The D. H. Hill Library

North Carolina State College

QK79
A1B68
v.2

ARIUM

ry of

(2)

Wellesley College.

This book may be kept out TWO WEEKS ONLY, and is subject to a fine of FIVE CENTS a day thereafter. It is due on the day indicated below:

ILL Ohio
10-6-76
IL: 4699304
AGL

50M—May-54—Form 3

Blume, K. L.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Disc. '56

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PRAEFATIO.

Tam benigne a multis exceptus est primus Tomus *Musei Botanici*, ut consilium ejus edendi vulgo probari sperare posse mihi videar; quo magis ad pergendum eâ viâ quâ institui inducor. Hoc utinam libro Scientiae amabili, cui toto animo deditum me esse profiteor, bene consuluerim, ut ita multa vel incognitarum vel minus bene exploratarum stirpium ex coloniis indicis nostris aliisque longinquis regionibus cognoscantur Genera et Species! Satis magnum mihi illud erit laboris praemium, cujus hoc imprimis fuit consilium, ut uberrimae Florae indicae Nederlandicae accuratius exponerentur Genera. Qua in re quamquam *Genera Plantarum secundum Ordines naturales a* STEPHANO ENDLICHER *disposita* maxime sum secutus, tamen, ut characterum proditorum perspicerem veritatem, vel eos, ubi opus esset, corrigerem aut illustrarem, omnia Genera in *Museo botanico* descripta, quantum potui, nunquam non ipse exploravi. Hinc spero fore, ut aliquantum vel ad emendandam, vel ad amplificandam stirpium, praesertim quae Archipelagum indicum incolunt, attulerim cognitionem, quo hic liber superiorum operum meorum botanicorum tamquam supplementum existimari possit. Quod a me postulavere viri complures de rê botanicâ optime meriti, ut Genera omnia minus nota vel nondum depicta analysi illustrarem, illud equidem libenter facerem, nisi metuendum foret, ne pretio libri ita nimis aucto multi a parando eo deterrerentur. Attamen singulis in posterum Tomis pro *viginti quatuor*, *octo et quadraginta* adjicientur *tabulae*, quae novorum aut minus bene notorum Generum exhibebunt analysin. Subscriptores autem non pluribus quam viginti quinque Fasciculis se astringunt, qui singuli, soluto pretio 50 Centes. Neerl. iis tradentur. Fasciculo vero duodecimo in lucem edito, iidem illis, qui non subscripserint, duplici vendentur pretio, quo et separati Fasciculi, quot supererunt, constabunt. Sigla, quibus ad figuras illustrandas etiam Tomo primo usi sumus, hic repetere visum fuit, cum praesertim iis pauca accesserint.

a.	Alabastrum.
a 1.	Flos expansus.
♂	Flos masculus.
♀	Flos femineus.
☿	Flos hermaphroditus.
⊙	Flos neuter.
b.	Operculum floris (e calyce et corollâ confluentibus saepius formatum).
c.	Perigonium (integumentum florale monocotyledonum, et ut plurimum simplex dicotyledonum).
c 1.	Perigonii foliola v. laciniae seriei exterioris, saepe calycinae indolis.
c 2.	Perigonii foliola v. laciniae seriei interioris, saepe texturae petaloideae.
c 3.	Labellum ejusve appendices. *In Orchideis.*

c 4.	Squamulae hypogynae *Graminum.*
c 5.	Appendices perigonii.
d.	Calyx.
e.	Corolla monopetala.
e 1.	Petala.
e 2.	Appendices corollae.
f.	Discus hypogynus v. epigynus.
f 1.	Glandulae v. squamulae hypogynae v. epigynae.
g.	Gynostemium s. Columna genitalium *Orchidearum.*
g 1.	Genitalia distincta, integumentis remotis.
h.	Stamina.
h 1.	Anthera.
h 2.	Pollen.
h 3.	Pollinia in *Orchideis* et *Asclepiadeis.*
h 4.	Stamina sterilia.
h 5.	Corona tubi staminei in *Asclepiadeis.*
i.	Pistillum.
i 1.	Ovarium.
i α.	Stylus.
i 2.	Stigma.
i 3.	Stigmatis indusium.
i 4.	Ovulum.
i β.	Chalaza.
i γ.	Micropyle.
i δ.	Rhaphe.
l.	Fructus compositus (floribus pluribus communis).
l 1.	Pericarpia plura distincta floris unici.
m.	Induviae s. reliquiae foliis fructum v. augentes v. coronantes v. eidem adnatae.
m 1.	Pappus.
m 2.	Calyptra *Muscorum.*
n.	Pericarpium (complectens ejusdem species omnes a simplicissima caryopside *Graminum*).
n n.	Endocarpium s. putamen.
n 1.	Pericarpium apertum.
n 2.	Dissepimentum.
n 3.	Valvulae.
n 4.	Operculum.
n 5.	Peristomium *Muscorum.*
n 6.	Spermophorum s. Placenta.
n 7.	Funiculus umbilicalis.
n 8.	Strophiola v. caruncula umbilicalis.
n 9.	Arillus.
o.	Semen.
o 1.	Ala seminis.
o 2.	Coma seminis in *Asclepiadeis* cet.
o 3.	Integumenta seminis.
o 4.	Albumen.
o 5.	Amnion.
p.	Embryon.
p 1.	Cotyledon.
p 2.	Plumula.
p 3.	Radicula.
q.	Folium.
q 1.	Petiolus.
q 2.	Stipula.
r.	Caulis v. scapi portio.
s.	Inflorescentia vel ejus particula (complectens species omnes, exceptis duabus sequentibus).
s c.	Pedunculus communis.
s p.	Pedunculus partialis s. pedicellus.
s 1.	Flos compositus.
s 2.	Locusta *Graminis* v. uniflora v. multiflora.
t.	Involucrum umbellae s. capituli.
t 1.	Involucrum floris compositi.
t 2.	Gluma *Graminum.*
t 3.	Calyx exterior *Malvacearum* cet.
t 4.	Indusium *Filicum.*
t 5.	Bracteae.
t 6.	Squamae amenti.
t 7.	Paleae.
t 8.	Paraphyses *Muscorum.*
t 9.	Calyptra, quae e bracteis connatis formata.
u.	Receptaculum floris unici.
u 1.	Receptaculum commune v. floris compositi v. amenti v. capituli.
x.	Diagramma floris.

Signa sequentia literis supposita sic intelligenda; ubi partes magnitudine auctae sunt, literae majusculae pro minoribus substituuntur.

* Partem vi expansam v. apertam esse denotat.
+ » sectam verticaliter.
∵ » » horizontaliter.
— » magnitudine diminutam.

Scribebam Lugduni-Batavorum die VI *Januarii* CIↃIↃCCCLII.

Auctor.

TOM. II. **Nr. 1.**

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM,

SIVE

STIRPIUM EXOTICARUM NOVARUM VEL MINUS COGNITARUM EX VIVIS AUT
SICCIS BREVIS EXPOSITIO ET DESCRIPTIO, ADDITIS FIGURIS.

SCRIPSIT

C. L. BLUME.

Auspiciis summorum Regni Neerlandici magistratuum in lucem editi et apud auctorem Lugduni-Batavorum venales prostant hi libri:

1. RUMPHIA auct. C. L. Blume, opus absolutum XL fasciculis sive IV Tomis, formâ maximâ, cum figuris coloratis, pretio . . . . 280 *Floren. Neerl.*

N°. 1.

Lugduni-Batavorum,
typis J. G. La Lau.
1852.

2. FLORA JAVAE auct. C. L. Blume, XLII fascic., formâ maximâ, quorum continuatio subscriptoribus divenditur, singuli fasciculi cum fig. col. pretio 5 *Flor. Neerl.*
Iidem, non colorati » 4 » »
(MUSEUM BOTANICUM. Unius schedae, quae XVI paginas habet cum tab. 2, pretium est 50 *Centes. Neerl.*)

Ord. **Nepenthaceae.**

NEPENTHES LINN. Flores dioici. Perigonium profunde quadripartitum, praefloratione imbricato-alternativâ. Masc. Stamina in columnam centralem connata; antherae 8—16, in capitulum sphaericum congestae, extrorsae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Fem. Ovarium liberum, quadri- rarissime triloculare. Ovula plurima, septorum parietibus utrinque multiplici serie affixa, ascendentia, anatropa. Stigma sessile, discoideum, obsolete quadri- v. trilobum. Capsula coriacea, quadri- rarissime trilocularis, loculicide quadri- v. trivalvis, valvis medio septa simplicia, faciebus utrinque seminifera gerentibus. Semina plurima, septorum parietibus multiplici serie affixa, scobiformia, ascendentia, imbricata; integumento membranaceo, utrinque relaxato, hilo prope basin laterali, rhaphe filiformi, intra integumenti basin ascendente, usque ad extremitatem superiorem nuclei extensâ ibique in chalazam nucleum inversum suspendentem desinens; cuticula tenuissima, nucleum arcte obtegens, ad ejus extremitatem inferiorem in apiculum stomatis producta. Embryon in axe albuminis carnosi orthotropum, cylindraceum; cotyledonibus semicylindricis, obtusis; radiculâ obtusâ, inferâ. — Suffrutices in Asiâ tropicâ et in Madagascariâ indigenae, ob foliorum fabricam peculiarem atque omni in re plane singularem summâ

12314

omnium et vel naturae scrutatorum admiratione dignissimi; foliis alternis, ascidiiformibus (ascidiis per apparatum glandularem superficiei interioris lympham aquosam copiosam secernentibus, antice nervo utroque inframarginali magis minusve prominente cristatis, nervo medio superne sub apice foliaceo primo clauso dein reflexo operculiformi exserto), praeter infima caudicalia petiolatis (petiolis foliaceo-dilatatis, imâ semiamplexicaulibus v. decurrentibus), caulinis saepe abortivis, utpote plerumque nonnisi phyllodia cirrhiformia efficientibus; floribus in racemum v. paniculam subterminalem, succrescente caule tandem lateralem dispositis.

Obs. Non operculum solum, ut quidam volunt, sed totum ascidium folium proprium harum stirpium judicamus, cujus lamina involuta et totâ fere longitudine in tubum unita esse putetur. Tubum hunc in latere dorsali percurrit nervus medius crassior, semper sub apice operculiformi laminae in apiculum filiformem retro versum protensus, cum appendice foliaceâ magis cristaeformi, quae in Speciebus nonnullis simul intus ad operculi basin invenitur, non commutandum. At in parte tubi anteriore nervi duo inframarginales laminae cristas duas longitudinales efficiunt, venisque lateralibus majori ex parte in tubum superne apertum convergentibus hic per ramificationem earum margo illa involuta pulchre striata orificium foliorum ascidiiformium cingens oritur, cui apex laminae opercularis primo agglutinatus deinde reflectitur neque iterum, ut quidam perhibent auctores, orificium occludit. Lympha aquosa in parte inferiore ascidiae per apparatum glandularem secernitur, quâ ad fomenta in oculorum inflammatione aut in variolis malignis utuntur indigenae. Tum vero quae ascidiis adhuc clausis inest praeferenda est, quum quae apertis continetur a formicis aliisque insectis plerumque sit inquinata.

1. Nepenthes destillatoria Linn.: phyllodiis caulinis lanceolatis (4—7 poll., 1—1$\frac{2}{3}$ poll. lat.) in petiolum brevem semiamplexicaulem angustatis integerrimis glabris v. subtus furfuraceo-lepidotis; ascidiis caulinis cylindraceo-infundibuliformibus (3—6 poll.) nudis ad orificium annulo angusto marginatis, operculo subrotundo intus inappendiculato; paniculis incano-pubescentibus, pedunculis 2—5-floris; ovario tetragono sericeo-pubescente. Linn. *Hort. Cliff.* 431. Ejusd. *Spec. Pl.* 1354. (excl. ut in seq. Syn. Rumph.). Ejusd. *Flor. Zeyl.* 321. Burm. *Flor. Ind.* 190. Gaertn. *de Fruct. et Sem. Pl.* II. 18. tab. 83. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 873. Pers. *Ench. bot.* II. 635. Poir. in *Dict. d'hist. nat.* XXXIV. 400. Spr. *Syst. Veg.* III. 84. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 42. — *N. indica* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 458. Brongn. in *Ann. sc. nat.* I. 43. tab. 5. fig. 1. A. Rich. in *Dict. Cl. d'hist. nat.* XI. 517. — *Bandura Zeylanica* Burm. *Thes. Zeyl.* 42. tab. 17. — *Nepenthes Zeylanicum flore minore* Breyn. *Prodr.* II. 75. — *Planta mirabilis destillatoria* Grim. in *Eph. Nat. Cur.* an. 1. Dec. 2. 363. fig. 363. — *Utricaria vegetabilis Zeylanensium*, *Bandura Cingalibus dicta* Pluken. *Phyt.*

tab. 237. fig. 3. — *Badura vel Bandura, planta Zeylanica in foliorum extremo folliculum peniformem expansum habens* Herm. *Mus. Zeyl.* 16 et 37. Breyn. *Prodr.* I. 18. — In Zeyloniâ et Indiâ orientali.

2. **Nepenthes Phyllamphora** Willd.: phyllodiis caulinis lanceolatis (3½—8½ poll., 1½—2½ poll. lat.) in petiolum longiusculum semiamplexicaulem angustatis integerrimis glabris v. subtus arachnoideo-puberulis; ascidiis caulinis cylindraceo-infundibuliformibus (4—6½ poll.) nudis ad orificium annulo angusto marginatis, operculo ovali-rotundato intus inappendiculato; racemis simplicibus ovariisque tetragonis incano-tomentosulis. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 874. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 86. Pers. *Ench. bot.* II. 636. Brongn. in *Ann. Sc. nat.* I. 48. Spr. *Syst. Veg.* III. 84. A. Rich. in *Dict. Cl. d'hist. nat.* XI. 518. — Phyllamphora mirabilis Lour. *Flor. Cochinch.* (ed. Willd.) II. 744. — *Cantharifera* Rumph. *Herb. Amb.* V. 121. — *Daun gindi* M.; *Sobe leyposso* s. *Aytiba* Amb.; *Nitu aläa* Leytim. — In Moluccis, Novâ Guineâ, Cochinchinâ, cet.

β *Var. platyphylla:* phyllodiis caulinis ovali-oblongis (7—9 poll., 3—4 poll. lat.) basi in petiolum coarctatis. — An Species? — In Provinciâ Bantam Javae occidentalis.

3. **Nepenthes macrostachya** Bl.: phyllodiis caulinis oblongis lanceolatisve (5—10 poll., 1½—3¾ poll. lat.) in petiolum longiusculum semiamplexicaulem angustatis, inferioribus denticulato-ciliatis, superioribus margine obsolete denticulatis glabris v. subtus pube stellari rarâ obsitis; ascidiis caulinis ventricoso-tubulosis (5—6 poll.) subnudis ad orificium annulo mediocri marginatis, operculo ovali intus inappendiculato; racemis subramosis ovariisque tetragonis incano-tomentosulis, pedunculis subbifloris. — *N. Phyllamphora* (haud Willd.) Jack. in Hook. *Comp. bot. Mag.* I. 271. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 28 (ex parte) tab. 15. — *Daun gindi* s. *Gada-gada* s. *Kachong-bru* s. *Priukra* M. — In Sumatrâ.

4. **Nepenthes fimbriata** Bl.: phyllodiis caulinis lanceolatis oblongisve (5—9 poll., 1—2½ poll. lat.) in petiolum longiusculum semiamplexicaulem angustatis, inferioribus denticulato-fimbriatis, superioribus margine obsolete denticulatis glabris v. subtus minutissime stellato-puberulis; ascidiis caulinis ventricoso-tubulosis (4—7 poll.) subnudis ad orificium annulo angusto marginatis, operculo ovali intus inappendiculato; racemis simplicibus ovariisque tetragonis obsolete tomentosulis. — *N. Phyllamphora* (haud Willd.) Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 28 (ex parte). — A *N. Phyllamphorâ* Willd. phyllodiis inferioribus mar-

gine semper denticulato-fimbriatis diversa. Differt etiam a *N. macrostachyâ* MIHI racemorum pedunculis semper unifloris et perigonii foliolis acutioribus. — Cum Varietate in Borneo.

β *Var. leptostachya:* racemis abbreviatis.

5. **Nepenthes melamphora** Bl.: phyllodiis caulinis lanceolatis ($4\frac{1}{2}$—12 poll., $1\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ poll. lat.) semiamplexicaulibus v. in petiolum brevem semiamplexicaulem v. brevissime decurrentem angustatis supra glabris subtus punctato-scabris margine tomentosulis et imprimis ad costam pube stellari hirtulis; ascidiis radicalibus et caulinis infimis ventricoso-ovoideis antice membranis duabus fimbriatis cristatis, caulinis superioribus cylindraceo-infundibuliformibus (4—$6\frac{1}{2}$ poll.) saepe nudis ad orificium annulo angusto postice paulo latiori marginatis, operculo cordato-subrotundo v. ovali intus inappendiculato; racemis subramosis hirsutulis, pedunculis bifloris; ovariis tetragonis fusco-sericeis. Bl. *Cat. Hort. Buitenz.* 111. — *N. Phyllamphora* (haud Willd.) Herb. Rwdt. — *N. gymnamphora* Nees ab Esenb. in *Ann. sc. nat.* III. 366. tab. 19. Spr. *Syst. Veg.* IV. 2. 256. Bl. *Enum.* 85. A. Rich. in *Dict. Cl. d'hist. nat.* XI. 518. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 32. tab. 3. — *Daun gindi* M.; *Paku serok radja* s. *Serok radja mantrie* S. — Nomen huic Speciei primum a me in *Cat. Hort. Buitenz.* tributum restituo, quod ob colorem ascidiae, imprimis intus orificium versus atropurpureum, longe melius eo, quod deinde illi datum, characterem indicat. In *Var.* β phyllodia supra magis lucida subtus aeque punctata et ad margines pariter lineâ tomentosâ cincta, sed operculo ascidiae magis ovali-oblongo, ad basin minus profunde cordato. Quum inflorescentia mihi sit incognita, accuratiore investigatione explorandum, an forte specifice haec diversa sit Varietas. — In Javâ.

β *Var. lucida:* phyllodiis magis lucidis; ascidiorum operculo ovali-oblongo basi subcordato. — In Borneo australi.

6. **Nepenthes Boschiana** Korth.: phyllodiis caulinis oblongis lanceolatisve ($\frac{1}{2}$—1 ped., $1\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{2}$ poll. lat.) in petiolum longiusculum decurrentem angustatis integerrimis glabris v. subtus pube rarâ stellari obsitis; ascidiis caulinis ventricoso-tubulosis (9—13 poll.) nudis ad orificium postice longe porrectum annulo latiusculo dein magis excrescente marginatis, operculo cordato-subrotundo intus ad basin costâ protuberante; racemis subramosis ovariisque tetragonis fusco-hirtulis, pedunculis subbifloris. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 25. tab. 2. — *Daun sompitan* M. — In Borneo.

7. **Nepenthes maxima** Rwdt.: phyllodiis caulinis oblongo-lanceolatis (5—8 poll., $1\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ poll. lat.) in petiolum semiamplexicaulem v. paululum decurrentem angustatis integerrimis gla-

bris v. ad costam subtus puberulis; ascidiis caulinis infundibuliformibus (5—11 poll.) nudis ad orificium postice longe porrectum annulo latiusculo marginatis, operculo cordato-ovato apice cum acumine inflexo intus ad basin appendiculato; racemis subramosis ovariisque tetragonis fusco-tomentosis, pedunculis subbifloris. Rwdt. in litt. ad Nees ab Esenb. Cf. *Ann. sc. nat.* III. 369. tab. 20. fig. 2. — In Celebes.

8. **Nepenthes Rafflesiana** Jack.: phyllodiis caulinis oblongis lanceolatisve (½—1½ ped., 1⅔—3 poll. lat.) in petiolum longum semiamplexicaulem angustatis integerrimis glabris v. ad costam subtus puberulis; ascidiis caulinis superioribus infundibuliformibus (10—15 poll.) nudis ad orificium postice longe porrectum annulo latiusculo sursum dilatato marginatis, operculo ovali-subrotundo apice rotundato v. retuso intus inappendiculato, inferioribus ventricosis (4—5½ poll.) antice membranis duabus fimbriatis cristatis, annulo ad orificium sursum dilatato marginatis, operculo ovali; racemis simplicibus ovariisque tetragonis canescenti-tomentosulis. Jack. in Hook. *Comp. bot. Mag.* I. 271. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 35. — In Sumatrâ, Singapurâ, cet.

9. **Nepenthes ampullacea** Jack.: phyllodiis caulinis lanceolatis v. cuneato-oblongis (5—11 poll., 1⅓—3 poll. lat.) in petiolum brevem semiamplexicaulem angustatis integerrimis glabris v. subtus stellato-puberulis; ascidiis radicalibus et caulinis ampullaceis (2—3¾ poll.) antice membranis duabus fimbriatis cristatis annulo ad orificium latiusculo marginatis, operculo ovali-oblongo (in ascidiis radicalibus lineari-oblongo) intus inappendiculato; paniculis ovariisque tetragonis fulvo-tomentosis, pedunculis 2—5-floris. Jack. in Hook. *Comp. bot. Mag.* I. 271. — *N. ampularia* Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 39. tab. 13. — In Sumatrâ, Singapurâ, cet.

10. **Nepenthes madagascariensis** Poir.: phyllodiis caulinis oblongis (5½—9 poll., 2—3 poll. lat.) semiamplexicaulibus integerrimis glabris v. subtus parce puberulis; ascidiis caulinis infundibuliformibus (5—6 poll.) nudis ad orificium annulo lato marginatis, operculo rotundato v. subreniformi intus inappendiculato; paniculis ferrugineo-hirsutulis, pedunculis corymboso-multifloris; ovario tetragono sericeo-pubescente. Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 459. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 873. Pers. *Ench. bot.* II. 635. Brongn. in *Ann. sc. nat.* I. 45. tab. 5. fig. 2. A. Rich. in *Dict. Cl. d'hist. nat.* XI. 518. Spr. *Syst. Veg.* III. 84. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 41. — *Amramatico* Flacourt. *Hist. Madag.* 150. fig. 43. — In Madagascariâ.

11. Nepenthes Pervillei Bl.: phyllodiis caulinis oblongis (4—5 poll., $1\frac{1}{2}$—2 poll. lat.) amplexicaulibus integerrimis glabris; ascidiis caulinis infundibuliformibus ($3\frac{1}{4}$—$4\frac{1}{2}$ poll.) nudis ad orificium annulo angusto marginatis, operculo rotundato intus inappendiculato; paniculis ferrugineo-velutinis, pedunculis racemoso-multifloris; ovario triquetro glabro. — In Seychelles insulis a V. Cl. Pervillé detecta.

12. Nepenthes Bongso Korth.: phyllodiis caulinis spathulato-oblongis ($2\frac{1}{2}$—4 poll., 8—14 lin. lat.) basi rotundatâ semiamplexicaulibus integerrimis glabris v. subtus furfuraceo-puberulis; ascidiis caulinis infundibuliformibus ($2\frac{3}{4}$—$4\frac{1}{2}$ poll.) nudis ad orificium annulo angusto marginatis, operculo cordato-subrotundo intus inappendiculato; racemis simplicibus ovariisque tetragonis canescenti-sericeis. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 19. tab. 14. — In Sumatrâ.

13. Nepenthes gracilis Korth.: phyllodiis caulinis lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—5 poll., $\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat.) basi latâ in caulem triquetrum decurrentibus integerrimis glabris v. subtus pube rarâ obsitis; ascidiis caulinis ventricoso-infundibuliformibus ($3\frac{1}{2}$—5 poll.) subnudis ad orificium annulo angustissimo marginatis, operculo subrotundo intus inappendiculato; racemis simplicibus ovariisque tetragonis fulvo-sericeis. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 22. tab. 1. — In Borneo.

β *Var. elongata:* phyllodiis magis elongatis (5—9 poll.) — *N. destillatoria* (haud Linn.) Jack. in Hook. *Comp. bot. Mag.* I. 271. Wall. *Cat.* N°. 2244. — In Sumatrâ, Singapurâ, cet.

Species non satis cognitae.

14. Nepenthes alata Blanco: phyllodiis lanceolatis in petiolum angustatis; ascidiis antice membranis duabus denticulatis cristatis, operculo ovali intus ad basin appendiculato. Blanco *Flor. Filipp.* 805. — *Jarro* s. *Batidor* s. *Gorgoreta* incolarum. — In Philippinis.

15. Nepenthes ventricosa Blanco: phyllodiis amplexicaulibus (circiter pedalibus, 1 poll. lat.); ascidiis praecedenti majoribus magis ventricosis nudis, orificio ampliore annulo latiore marginato; racemis simplicibus. Blanco *Flor. Filipp.* 807. — In Philippinis.

16. Nepenthes Blancoi Bl.: phyllodiis quam in duabus praecedentibus angustioribus; ascidiis magis elongatis antice anguste bialatis; racemis simplicibus. — Blanco *Flor. Filipp.* p. 808 in notâ. — *Sulud-sulud* s. *Sogon-sogon* incolarum. — In Philippinis.

Ord. **Laurineae.** Subord. **Tetranthereae.**

CYLICODAPHNE Nees ab Esenb. (Conf. Charact. generic. *Mus. bot.* I. 386 et 388. B.).

B. Subgenus *Lepidadenia.*

17. Cylicodaphne robusta Bl.: foliis e basi acutâ rarius rotundatâ elliptico-oblongis ($5\frac{1}{2}$—15 poll., 3—6 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) acutis v. obtusis subtus glauco-virescentibus et pube minutissimâ appressis; umbellulis longe pedunculatis; involucris 6-phyllis 6—7-floris; perigonio 6-fido. — *Litsaea robusta* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 560. — *Tetranthera robusta* Nees ab Esenb. *Laur.* 564. 41. — *Huru dapun* s. *Huru komplun* S. — In sylvis montanis Javae.

Species forsan hujus Sectionis non satis cognitae.

18. Cylicodaphne velutina Bl.: foliis e basi cuneatâ v. inaequali-attenuatâ obovato-oblongis (8—17 poll., $3\frac{1}{4}$—$7\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1—2 poll.) obtusis cum acumine brevi acuto v. obtusissimis et interdum retusis supra glabris subtus gilvis et pube minutissimâ sericantibus; ramulis novellis et foliorum costâ venisque subtus ferrugineo-velutinis. — In Javâ.

19. Cylicodaphne pallida Bl.: foliis (oppositis et alternis) e basi inaequali-attenuatâ elliptico-oblongis (7—12 poll., $3\frac{1}{4}$ - $4\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 1—$1\frac{1}{4}$ poll.) obtusiusculis v. obtusis supra glabris subtus pallide glaucinis et pube minutissimâ sericantibus; ramulis novellis petiolis foliorum costâ et venis subtus gilvo-furfuraceis. — In Bandâ.

20. Cylicodaphne infectoria Bl.: foliis e basi rotundatâ v. obtusiusculâ ovalibus v. ovali-oblongis ($4\frac{1}{2}$—12 poll., $2\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll.) breviter cuspidatis rarius rotundatis v. retusis supra glabris subtus reticulatis cinereo-glaucescentibus et imprimis in costis petiolis ramulisque fulvo-tomentosis; fructibus racemosis. — Arbor 20—30 ped. altitudine. — In Archipelago indico.

C. *Lecanodaphne.* Perigonium sex-rarius quadri- v. quinquefidum; laciniis subaequalibus, deciduis. Stamina 9—12, antheris omnium introrsis v. locellis infimis interdum extrorsum dehiscentibus antherisque interiorum passim imperfectioribus. Glandulae 6—12, sessiles v. stipitatae. Ovarii rudimentum in floribus masculis. Umbellulae glomeratae v. fasciculatae v. spicatae.

21. Cylicodaphne ferruginea Bl.: foliis (suboppositis) oblongis v. oblongo-lanceolatis (5—13 poll., $1\frac{1}{2}$—4 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll.) acuminatis v. acutis obtusisve supra glabris subtus glaucis tomentosulis et in nervo medio venis petiolis ramulisque ferrugineo-tomentosis; umbellulis glomeratis v. fasciculatis axillaribus; involucris 4-phyllis sub- 5-floris; perigonio 6-rarius 4—5-fido. — *Cryptocarya ferruginea* Bl. *Cat. Hort. Buitenz.* 65. — *Litsaea ferruginea* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 561. — *Tetranthera Blumii* Nees ab Esenb. in Wall. *Pl. Asiat. rar.* II. 65 in Annot. 2. — *Actinodaphne Blumii* Nees ab Esenb. *Laur.* 598. 5. — *Huru tankallak* s. *Huru kidang lalakkie* S. — In Javà.

22. Cylicodaphne cuneata Bl.: foliis oblongo-cuneiformibus (5—12 poll., 2—$5\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{4}$ poll.) acutiusculis v. breviter apiculatis v. rotundatis supra glabris subtus glaucescentibus et subtilissime puberulis; umbellulis glomeratis v. fasciculatis axillaribus; involucris 4-phyllis 3-floris; perigonio 4-fido. — In Sumatrâ.

23. Cylicodaphne diversifolia Bl.: foliis oblongis v. ellipticis lanceolatisve (3—9 poll., $\frac{2}{3}$—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll.) utrinque acutis v. acuminatis v. apice interdum obtusiusculis v. rotundatis supra glabris subtus glaucescentibus et minutissime puberulis; umbellulis solitariis v. paucis fasciculatis axillaribus; involucris 4-phyllis 4—6-floris; perigonio 6-fido; cupulâ fructus parce puberulâ. — *Litsaea diversifolia* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 564. — *Tetranthera diversifolia* Hassk. *Cat. Hort. Bog.* 90. —*Huru settang* (v. soetan) s. *Huru kisehreh* s. *Huru kibedas* S. — In sylvis montanis altioribus insulae Javae.

24. Cylicodaphne obtusifolia Nees ab Esenb.: foliis e basi acutiusculâ oblongis v. elliptico-oblongis ($1\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{2}{3}$ poll.) obtusis glabris v. subtus glaucis et pube minutissimâ scabridis; umbellulis spicatis v. fasciculatis axillaribus; involucris 4-phyllis 4-floris; perigonio 6-fido. Nees ab Esenb. *Laur.* 506. 2 (excl. Syn. *Litsaeae Noronhae* Bl.!). — *Litsaea obtusa* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 564. — In Javâ.

25. Cylicodaphne lucida Bl.: foliis oblongis v. oblongo-lanceolatis ($3\frac{1}{2}$—10 poll., 1—$2\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 6—11 lin.) utrinque acuminatis rarissime apice obtusis supra lucidis utrinque glabris v. subtus glaucescentibus et minutissime puberulis; umbellulis fasciculatis axillaribus; involucris 4—5-phyllis 6-floris; perigonio 6-fido; cupulâ fructus gilvo-tomentosulâ. — In Sumatrâ.

26. Cylicodaphne tuberculata Bl.: foliis oblongis v. lanceolato-oblongis (5—$9\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{2}$—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll.) utrinque angustatis glabris subtus caesio-albidis et in nervo medio et venis parce furfuraceis; umbellulis glomeratis v. spicatis axillaribus; involucris 4-phyllis 5-floris; perigonio 6-fido; cupulâ fructus tuberculato-rugosulâ. — In Sumatrâ.

27. Cylicodaphne fusca Bl.: foliis oblongis v. lanceolato-oblongis ($4\frac{1}{2}$—8 poll., 2—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ poll.) utrinque angustatis v. apice obtuse cuspidatis subtus glaucescentibus reticulatis puberulo-scabridis et in nervo medio et venis utrinque fusco- v. junioribus cum petiolis ramulisque ferrugineo-tomentosis; fructibus (majusculis) solitariis v. glomeratis axillaribus, cupulâ rugosâ fusco-tomentosâ. — In Sumatrâ.

28. Cylicodaphne rubiginosa Bl.: foliis oblongo-lanceolatis (6—11 poll., $1\frac{2}{3}$—$2\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 6—11 lin.) utrinque acuminatis glabris (siccatis supra rubiginosis) subtus glaucescentibus; fructibus (majusculis) fasciculatis axillaribus, cupulâ rugosulâ. — In Sumatrâ.

29. Cylicodaphne costata Bl.: foliis oblongo-lanceolatis (4—12 poll., 1—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll.) utrinque acuminatis glabris (siccatis supra pallide fuscis) subtus flavo-virentibus; fructibus fasciculatis axillaribus, cupulâ leviter costatâ furfuraceo-puberulâ. — In Archipelago indico.

30. Cylicodaphne ochracea Bl.: foliis oblongo-lanceolatis ($5\frac{1}{2}$—9 poll., $1\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 5—6 lin.) utrinque acuminatis, adultis utrinque glabris subtus cinereo-glaucescentibus, junioribus ochraceo-sericeis; umbellulis glomerulatis axillaribus; cupulâ fructus tuberculato-sulcatâ. — In Sumatrâ.

31. Cylicodaphne grisea Bl.: foliis ellipticis v. oblongo-ellipticis (8—13 poll., 4—7 poll. lat., pet. 1—2 poll.) utrinque acutis supra glabris subtus cinereo-glaucescentibus reticulatis et imprimis in costis petiolis ramulisque fulvo-tomentosis; umbellulis glomeratis axillaribus; involucris 4-phyllis 4-floris; perigonio 6-fido; cupulâ fructus gilvo-velutinâ. — Filamenta in floribus masculis hirsuta, imprimis staminum exteriorum elongata antherisque magis oblongis quadrilocellatis instructa; antherae staminum interiorum breviores, ovatae, mucronatae, bilocellatae. Glandulae 5—7, subrotundae v. quadratae, compressae, breviter stipitatae, filamentis interioribus interpositae v. iisdem supra basin annexae. — In Sumatrâ.

Species imperfecte cognitae ad hanc Sectionem v. potius ad Genus Polyadeniam *spectantes.*

32. Cylicodaphne hirta Bl.: foliis ellipticis v. oblongo-ellipticis (8—11 poll., 4—$4\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) breviter cuspidatis costato-venosis concoloribus supra in venis subtusque imprimis in reticulatione hirtis, utrinque in nervo medio petiolis ramulisque fusco-tomentosis. — *Huru dapung* S. — In Javâ.

33. Cylicodaphne punctata Bl.: foliis oblongo-ellipticis (1—$1\frac{1}{2}$ ped., 6—$7\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1 poll.) utrinque acutis costato-venosis supra glabris et impresso-punctatis subtus ochrascenti-cinereis et imprimis in reticulatione et venis hirtulis petiolis ramulisque fulvo-tomentosis. — In Borneo.

34. **Cylicodaphne macrophylla** Bl.: foliis obovatis v. cuneato-oblongis (15—21 poll., $6\frac{1}{2}$—9 poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—2 poll.) apice rotundatis v. obtusis costato-venosis concoloribus supra glabris subtus reticulatis et minutissime puberulis; umbellulis fasciculato-corymbosis axillaribus; involucris 4—5-phyllis 9—10 floris; perigonio 6-fido; cupulâ fructus furfuraceo-tomentosulâ. — *Cryptocarya macrophylla* Herb. Zipp. — Arbor 40—50 ped. altitudinis. Folia maxima, basi in petiolum validum angustata, coriacea, firma, inter costas subtus protuberantes arcuato-reticulata. Gemmae florales dense squamosae; squamis ovatis, coriaceis, concavis, extus ferrugineo-tomentosulis, caducis. — Involucra feminea plura, pisi majoris magnitudine, globosa, pedunculata, in pedunculo communi $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll. subcorymbosa, 4—5-phylla; foliolis orbiculatis, concavis, coriaceis, extus cum pedunculis et basi perigonii ferrugineo-tomentosulis. Flores feminei in quovis involucro 9—10, sessiles. Perigonium 6-fidum, basi longe tubulosâ crassiore; limbo membranaceo, deciduo. Staminodia circiter 12, lineari-spathulata, glabra, interiora breviora ac saepe dimidiata, nempe unâ tantummodo glandulâ laterali lineari-oblongâ carnosâ subpeltatâ suffulta, exteriora 6 majora, binis medio glandulis collateralibus sessilibus v. brevissime stipitatis lineari-oblongis subpeltatis. Ovarium ovoideo-globosum. Stylus brevis, crassus. Stigma capitato-incrassatum, rugosum. Baccae globosae, basi perigonii hemisphaericae truncatae imâ in stipitem crassum constrictae carnosae externe tomento raro gilvo obductae semiimmersae. — In Guineâ Novâ.

Ord. **Hypericineae.** Subord. **Elodeae.**

ELODEA Adans. Calyx quinquephyllus, persistens; foliolis subaequalibus, praefloratione quincunciali-imbricatis. Petala 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, aequilatera, basi intus nuda, decidua, praefloratione imbricatâ. Stamina 9—15, in phalanges tres cum squamulis totidem hypogynis alternantes coalita, persistentia; filamenta superne subulato-filiformia; antherae nephroideo-orbiculares, didymae, glandulâ terminatae. Ovarium sessile, septis tribus placentiferis plus minus completis uni- v. pseudo-3-loculare; ovulis plurimis, tri- v. multiseriatis, horizontalibus, anatropis. Styli 3, distincti, filiformes, intus stigmatosi. Capsula chartacea, pseudo-trilocularis, septicide trivalvis, spermophoris suturalibus v. tandem ab axe solutis. Semina plurima, cylindracea, recta; testâ crustaceâ, scrobiculatâ. Embryon exalbuminosum, orthotropum, cylindricum. Cotyledones breves, obtusae; radicula hilo proxima. — Herbae boreali-americanae et japonicae, perennes, glaberrimae; caule ramisque teretibus; foliis oppositis, subsessilibus v. amplexicaulibus, venosis, pellucido-punctatis; pedunculis axillaribus et terminalibus, 1—3- v. cymoso-paucifloris; pedicellis saepissime bibracteolatis; floribus incarnatis.

35. Elodea japonica Bl.: foliis sessilibus membranaceis oblongis v. spathulato-oblongis ($1\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ poll., 5—11 lin. lat.) obtusissimis; pedunculis terminalibus et ex foliorum superiorum axillis 1—3-floris; calycis foliolis lanceolatis obtusiusculis; petalis oblongis obtusis calyce paulo longioribus; androphoro (s. filamentorum basi unitâ) filamentorum apice vix dimidio longiore; stylis ovario triplo brevioribus. — Affinis *E. axillari* Spach. — In Japoniâ.

36. Elodea crassifolia Bl.: foliis semiamplexicaulibus v. sessilibus crassiusculis cordatis v. subcordato-oblongis (1—$1\frac{2}{3}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat.) obtusis margine revolutis; pedunculis terminalibus et ex foliorum superiorum axillis; calycis foliolis oblongis obtusis; androphoro filamentorum apice paulo longiore. — A priori foliis crassioribus basi subcordatis diversa. — In Japoniâ.

CRATOXYLON Bl. Calyx quinquephyllus, persistens; foliolis subaequalibus, praefloratione quincunciali-imbricatis. Petala 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, subaequilatera, basi intus nuda, praefloratione imbricatâ. Stamina plurima, hypogyna, in phalanges tres extrorsum in filamenta filiformia solutas coalita; antherae introrsae, subrotundo-didymae, longitudinaliter dehiscentes. Squamulae 3, hypogynae, staminum phalangibus alternae. Ovarium sessile, 3-loculare. Ovula 4—8, anguli centralis basi inserta, ascendentia. Styli 3, filiformes; stigmata capitata. Capsula coriacea, trilocularis, loculicide trivalvis, valvis medio septum basi seminiferum gerentibus. Semina in loculis 4—8, imbricata, compressa, superne in alam membranaceam obtusam producta. Embryon exalbuminosum, rectum, cylindricum; radiculâ inferâ. — Arbores v. frutices Asiae tropicae imprimis insularis, succo resinoso repleti; ramulis junioribus angulatis v. ancipitibus; foliis oppositis, breviter petiolatis, integerrimis, plerumque nigro-punctatis; stipulis nullis, sed petiolis lineâ interpetiolari junctis; pedunculis axillaribus et terminalibus, cymoso-pauci- v. multifloris, passim in racemum v. paniculam dispositis.

37. Cratoxylon Hornschuchii Bl.: foliis subcoriaceis e basi rotundatâ v. obtusâ oblongis v. ovato-lanceolatis (3—$6\frac{1}{2}$ poll., 1—2 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 lin.) acuminatis reticulato-venosis; pedunculis umbellato- 3—5-floris racemoso-paniculatis axillaribus et terminalibus; squamulis hypogynis parvulis ovatis obtusis. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 144. Spr. *Syst. Veg.* III. 352. Spach in *Ann. Sc. nat.* V. 353. — *Hornschuchia hypericina* Bl. *Cat. Hort. Buitenz.* 15. — *Maron* s. *Remang* s. *Hermang* S. — In Javâ.

38. Cratoxylon clandestinum Bl.: foliis chartaceis e basi rotundatâ v. obtusâ oblongis v. ovato-oblongis (2—5 poll, 1—$1\frac{1}{2}$

poll. lat., pet. 1 lin.) acuminatis reticulato-venosis; pedunculis cymoso- 5—7-floris paniculatis axillaribus et terminalibus; squamulis hypogynis minimis obtusis. — *Menger* s. *Benger*. S. — Affine priori, a quo floribus minoribus et inflorescentiâ paniculam magis laxam divaricatam ramulum terminantem sistente differt. — In Javâ.

39. **Cratoxylon racemosum** Bl.: foliis subcoriaceis e basi rotundatâ v. obtusâ oblongis v. ovato-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—6 poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 lin.) acuminatis reticulato-venosis; pedunculis subtrifloris in racemum terminalem dispositis; squamulis hypogynis subrotundis cucullatis. — Foliaturâ quamvis et haec, et superior duaeque sequentes cum *Cr. Hornschuchii* congruant, distinguuntur tamen cum inflorescentiâ floribus minoribus, tum maxime formâ squamularum hypogynarum, quae et in hac, et in duabus sequentibus multo majores quam in *Cr. Hornschuchii*, tum veluti caleiformes, nempe extus cucullatae sunt. — In Javâ.

40. **Cratoxylon sumatranum** Bl.: foliis subcoriaceis e basi rotundatâ v. obtusâ oblongis v. ovato-oblongis ($2\frac{1}{2}$—7 poll., 1—2 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 lin.) acuminatis reticulato-venosis; pedunculis cymoso-multifloris paniculatis axillaribus et terminalibus; squamulis hypogynis cuneato-oblongis obtusis cucullatis. — *Cr. Hornschuchii* (haud Bl.) Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 178. — *Elodea sumatrana* Jack. *Malayan plants* in Hook. *Journ. bot.* I. 372. — In Sumatrâ.

41. **Cratoxylon celebicum** Bl.: foliis coriaceis e basi obtuse attenuatâ lanceolatis (2—6 poll., 8—15 lin. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 lin.) acuminatis reticulato-venosis; pedunculis subtrifloris racemosis axillaribus et terminalibus; squamulis hypogynis spathulatis obtusis subcucullatis. — *Kaju arang* M. — In Celebes.

42. **Cratoxylon polyanthum** Korth.: foliis chartaceis ellipticis lanceolatisve ($1\frac{2}{3}$—$4\frac{1}{3}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—2 lin.) utrinque acutis v. apice acuminatis venosis; pedunculis supraaxillaribus 1—3-floris v. lapsu foliorum in racemum terminalem dispositis; squamulis hypogynis parvulis subulatis subrecurvis. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 175. tab. 36. — In Borneo.

43. **Cratoxylon ligustrinum** Bl.: foliis subcoriaceis lanceolatis v. lanceolato-oblongis ($\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. 1—2 lin.) utrinque acuminatis venulosis; pedunculis axillaribus et terminalibus 2—5-floris; squamulis hypogynis obovatis cucullatis. — *Ancistrolobus ligustrinus* Spach. in *Suit. à Buff.* V. 361. *Nouv. Ann. Sc. nat.* V. 352. tab. 6. B. — *Hypericum biflorum* Lam. *Enc. bot.* IV. 170. 59. Spr. *Syst. Veg.* III. 343. 26. — *Hypericum chinense* Retz. *Obs. bot.* V. 27. Willd. *Sp. Pl.* III. 2. 1449. 31. — In Sinâ.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Hypericineae.** Subord. **Elodeae.**

44. Cratoxylon myrtifolium Bl.: foliis chartaceis ellipticis v. elliptico-lanceolatis (½—1½ poll., 4—8 lin. lat., pet. vix 1 lin.) utrinque acutis v. apice breviter cuspidatis venulosis; pedunculis supraaxillaribus 1—3-floris v. lapsu foliorum in racemum terminalem dispositis; squamulis hypogynis cucullatis obtusis. — Affine *C. ligustrino* nob. — In Borneo australi.

45. Cratoxylon glaucum Korth.: foliis coriaceis ellipticis v. obovato-oblongis lanceolatisve (1¼—2¾ poll., 7—16 lin. lat., pet. vix 1 lin.) utrinque acutis v. rotundatis v. obtusis cum mucrone subaveniis; pedunculis 1—3-floris racemosis axillaribus et terminalibus; squamulis hypogynis cucullatis obtusis. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 176. — In Borneo.

Species incertae v. minus cognitae.

46. Cratoxylon petiolatum Bl.: foliis lato-lanceolatis; pedunculis axillaribus et terminalibus paucifloris; squamulis hypogynis magnis. — *Hypericum petiolatum* (haud Linn.) Lour. *Flor. Cochinch.* 577. 2 (excl. Syn.). — *Hoâng nieu thau* Sin. — An satis a *Cr. ligustrino* nob. distinctum? — In Sinâ prope Canton.

47. Cratoxylon cochinchinense Bl.: foliis lanceolato-ovatis (parvis) obtusis; pedunculis sub-5-floris axillaribus; squamulis hypogynis magnis reclinatis. — *Vismia cochinchinensis* Spr. *Syst. Veg.* III. 350. 3. — *Hypericum cochinchinense* Lour. *Flor. Cochinch.* 577. 3. — *Lenganhdo* Coch. — In Côchinchinâ.

48. Cratoxylon Blancoi Bl.: foliis ovato-elongatis basi biauriculatis; floribus paniculatis. — *Hypericum olympicum* (haud Linn.) Blanco *Flor. Filipp.* 613. — *Guyong guyong* indigenarum. — In Philippinis.

49. Cratoxylon arborescens Bl.: foliis coriaceis ellipticis (2 poll. et ultra) utrinque parum acuminatis subaveniis supra rore glauco aspersis; paniculâ terminali. — *Vismia? arborescens* Choisy *Prodr. Hyperic.* 36. et in De Cand. *Prodr.* I. 543. 17. Spr. *Syst. Veg.* III. 350. 1. — *Hypericum arborescens* Vahl. *Symb.* II. 86. tab. 43. Willd. *Spec. Pl.* III. 2. 1447. 24. — In Indiâ orientali.

50. Cratoxylon Wightii Bl.: foliis e basi attenuatâ oblongo-ellipticis (3—4 poll., circiter 1½ poll. lat.) obtusis; pedunculis axillaribus solitariis unifloris; squamulis hypogynis cuneatis apice saccatis. — *Ancistrolobus* species Wight *Illustr.* I. 111. — In Mergui Indiae orientalis.

TRIDESMIS Spach. Calyx quinquephyllus, persistens; foliolis subaequalibus, praefloratione quincunciali-imbricatis. Petala 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, aequilatera, basi intus appendice aucta, praefloratione imbricatâ. Stamina plurima, hypogyna, in phalanges tres apice in filamenta filiformia solutas coalita; antherae introrsae, subrotundo-didymae, longitudinaliter dehiscentes. Squamulae 3, hypogynae, staminum phalangibus alternae. Ovarium sessile, 3-loculare. Ovula plurima, loculorum angulo centrali biseriatim inserta, anatropa. Styli 3, filiformes; stigmata capitata. Capsula coriacea, trilocularis, loculicide trivalvis, valvis apice bifidis, medio septum totâ fere longitudine seminiferum gerentibus. Semina plurima, biseriata, imbricata, compressa, superne in alam membranaceam obtusam producta. Embryon exalbuminosum, rectum, cylindricum; radiculâ inferâ. — Arbor mediocris, foliaturâ admodum variabilis, in Archipelago indico et Moluccis crescens; ramis subdichotomis, cylindricis, florescentiae tempore aphyllis; ramulis compressis; foliis oppositis, petiolatis, integerrimis, coriaceis, glabris, pellucido-punctatis; pedunculis imprimis e foliorum annotinorum delapsorum axillis, solitariis v. fasciculatis, unifloris, nudis; floribus pallide roseis.

51. Tridesmis ochnoides Spach in *Suites à Buffon* V. 359. *Nouv. Ann. Sc. nat.* V. 352. 1. — *Tr. Billardieri* Spach. *Nouv. Ann. Sc. nat.* V. tab. VI. A. — *Tr. Jackii* Spach. *Nouv. Ann. Sc. nat.* V. 352. — *Tr. formosa* Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 179. tab. 37. — *Elodea formosa* Jack *Malayan plants* in Hook. *Jour. bot.* I. 374. — *Hypericum biflorum* (haud Lam.) Choisy in De Cand. *Prodr.* I. 546. 27 (excl. Syn. Lam. et Retz.). — *Hypericum aegiptium* Blanco *Flor. Filipp.* 615. — *Maron* s. *Kaju gaghak* s. *Sepadas Bunga* M. — Ad unam modo Speciem synonyma laudata videntur referenda, quamquam auctorum descriptione fisus tres Species esse putes, nempe: 1 *Tr. ochnoiden* Spach: calycis foliolis obtusissimis, interioribus paulo brevioribus ac tertiâ fere parte angustioribus quam exterioribus (Cf. Spach in *Suites à Buffon* 360); 2 *Tr. Jackii* Spach: foliolis calycis acutis (Cf. Jack. l. l., ubi legitur: „Calyx five-leaved, smooth; leaflets acute”); 3 *Tr. formosam* Korth.: foliolis calycis subaequalibus oblongo-ovalibus obtusis (Cf. Korth. l. l.). — Itaque ad priorem Speciem referendum foret citatum a Patre Blanco, cujus in descriptione haec leguntur: „Cal. de cinco hojuelas de color, las das alternas algo menores.” (Cf. Blanco l. l.) — In Moluccis nec non in Borneo, Sumatrâ, cet.

Subord. **Hypericeae.**

BRATHYS Mut. Calyx quinquephyllus, persistens; foliolis inaequalibus v. subaequalibus, imbricatis. Petala 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, inaequilatera, involuto-persistentia. Stamina plurima, interdum definita (5—30), basi brevissime monadelpha, persistentia; antherae nephroideo-didymae, glandulâ terminatae. Ovarium sessile, uniloculare; ovulis in oophoris parietalibus biseriatis. Styli 3, rarius 4—6, distincti. Stigmata capitata. Capsula chartacea v. subcoriacea, unilocularis, septicide 3-rarius 4—6-valvis, polysperma. Semina spermophoris angustis suturalibus affixa, cylindrica, recta, utrinque apiculata. — Frutices v. suffrutices v. herbae, praesertim in Americâ aequatoriali, nonnullae in Promontorio bonae spei, Indiâ orientali, Novâ Hollandiâ et Japoniâ crescentes; foliis oppositis, subsessilibus v. amplexicaulibus v. connatis, interdum parvulis et subimbricatis, saepe coriaceis et glanduloso-punctatis; floribus axillaribus et terminalibus, solitariis v. in ramis dichotomis cymosis v. subpaniculatis.

52. Brathys japonica Bl.: caule herbaceo tetragono erecto v. ascendente superne paniculato-ramoso rarius simplici; foliis amplexicaulibus subcordato-ovatis v. suborbiculatis (3—5 lin., 2—4 lin. lat.) obtusis nervosis glabris subtus glaucescentibus obsolete punctatis; floribus in pedunculis terminalibus dichotomis subracemosis v. laxe paniculatis; bracteis linearibus pedicello brevioribus; calycis foliolis lanceolatis acuminatis. — *Hypericum japonicum* Thunb. *Flor. Jap.* 295. tab. 31. Willd. *Spec. Pl.* III. 2. 1455. 45. Choisy in De Cand. *Prodr.* I. 548. 57 (excl. planta Nepalensis). Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh.* II. Cl. *Akad. Wiss.* IV. 2^te^ Abth. 163. 196. — *Fime oto giri* s. *Sitsijama Jap.* — Cum Varietate in Japoniâ.

β *Var. accumbens:* caule plerumque simplici; foliis minoribus cauli subappressis. — In Japoniâ.

53. Brathys nepalensis Bl.: caule herbaceo tetragono decumbente; foliis sessilibus ovalibus obtusis nervosis glabris pellucido-punctatis; floribus in dichotomiâ ramulorum solitariis v. furcato-racemosis; calycis foliolis ovato-oblongis mucronatis. — *Hypericum japonicum* (haud Thunb.) Don *Prodr. Nep.* 219. 7 (excl. ut in seq. *Syn.*). Spr. *Syst. Veg.* III. 345. 56. Wight et Arn. *Prodr.* I. 99. 347. — *Brathys japonica* Wight *Illustr.* I. 113. — In Nepaliâ.

54. Brathys laxa Bl.: caule herbaceo tetragono erecto v. ascendente simplici v. laxe ramoso; foliis amplexicaulibus ovalibus v. suborbiculatis (1½—3 lin., 1—2½ lin. lat.) rotundatis nervosis glabris subtus glaucis obsolete punctatis; floribus in

2*

apice ramulorum (saepe furcatorum) paucis; bracteis ovalibus oblongisve pedicellum adaequantibus; calycis foliolis oblongis obtusis v. acutiusculis. — *Hime woto giri sô* s. *Woto giri sô* Jap. — In Japoniâ.

55. Brathys debilis Bl.: caule herbaceo tetragono debili laxe ramoso; foliis sessilibus ovatis ovalibusve (2—4 lin., 1—2 lin. lat.) rotundatis v. obtusis nervosis glabris pellucido-punctatis; floribus in dichotomiâ ramulorum solitariis longe pedunculatis ebracteatis; calycis foliolis lanceolatis mucronatis. — *Hypericum japonicum* (haud Thunb.) Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 143. — An a *Br. nepalensi* satis distincta? — In Javâ.

56. Brathys radicans Bl.: caule herbaceo tetragono procumbente radicante; foliis amplexicaulibus subcordato-ovatis ovalibusve (2—5 lin., 1½—3 lin.) rotundatis v. obtusis nervosis glabris subtus glaucis pellucido-punctatis; floribus in pedunculis terminalibus dichotomis laxe racemosis; bracteis linearibus pedicello brevioribus; calycis foliolis lanceolatis acutis. — Affinis *Br. japonicae*, sed caule debiliore, procumbente, inferne radicante diversa. — In Sumatrâ.

57. Brathys cespitosa Bl.: caule herbaceo tetragono cespitoso; foliis amplexicaulibus ovatis v. ovalibus v. subrotundis (1—3 lin., 1—2½ lin. lat.) obtusis v. rotundatis nervosis margine scabridis subtus glaucis pellucido-punctatis; floribus terminalibus solitariis v. in pedunculis terminalibus dichotomis subracemosis; bracteis linearibus pedicello brevioribus; calycis foliolis lanceolatis acutis. — Cum Varietate in Sumatrâ.

β *Var. pusilla:* caule plerumque simplici ex apiee uni- v. cymoso-paucifloro.

58. Brathys oryzetum Bl.: caule suffruticuloso tetragono inde a basi ramoso erecto v. procumbente radicante; foliis amplexicaulibus subcordato-ovatis ovalibusve (1½—4 lin., 1—2½ lin. lat.) acutis v. plerumque obtusis nervosis glabris subtus glaucis obsolete punctatis; floribus in dichotomiâ ramulorum solitariis v. in apice ramulorum paucis subracemosis; bracteis ovatis lanceolatisve pedicello brevioribus; calycis foliolis lanceolatis acutis mucronulatis. — *Keweta rintak* Celeb. — In oryzetis insulae Celebes.

ROSCYNA Spach. Calyx quinquephyllus, persistens; foliolis inaequalibus v. subaequalibus, praefloratione imbricatis. Petala 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, inaequilatera, marcescentia. Stamina plurima, in phalanges quinque breves unita, persistentia; antherae nephroideo-orbiculares, glandulâ terminatae. Ovarium sessile, 5- v. interdum 6—8-loculare; ovulis in oophoris porrectis multiovulatis. Styli 5 rarius 6—8, inferne coaliti. Stigmata discoideo-peltata. Capsula chartacea, quinquelocularis, septicide quinquevalvis, polysperma; spermophoro centrali, pyramidali, pentagono, quinquecristato, cristis dorso seminiferis. Semina minuta, rectiuscula, utrinque apiculata. — Herbae in Asiâ et Americâ boreali crescentes, glabrae, caule ramisque tetragonis, foliis oppositis, amplexicaulibus, venulosis, pellucido-punctatis; pedunculis solitariis ternisve terminalibus et in foliorum superiorum axillis, unifloris, ebracteatis; floribus magnis, luteis.

59. Roscyna japonica Bl.: foliis cordato-oblongis v. cordato-lanceolatis (1⅔—3 poll., ⅓—¾ poll. lat.) acutis v. obtusis; calycis foliolis ovalibus subaequalibus obtusis corollâ triplo brevioribus. — *Hypericum Ascyron* (haud Linn.) Herb. von Sieb. — In Japoniâ.

Subord. **Hypericeae.**

NORYSCA Spach. Calyx quinquephyllus, persistens; foliolis subaequalibus v. inaequalibus, praefloratione imbricatis. Petala 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, inaequilatera, decidua, praefloratione imbricato-convolutâ. Stamina plurima, in phalanges quinque breves coalita, decidua; filamenta capillaria; antherae nephroideo-orbiculares v. cordato-oblongae, glandulâ terminatae v. eglandulosae. Ovarium sessile, quinqueloculare; ovulis in oophoris porrectis v. utrinque inflexis multiseriatis. Styli 5, filiformes, liberi v. plus minus coaliti. Stigmata parva, subcapitellata. Capsula coriacea v. chartacea, quinquelocularis, septicide quinquevalvis, polysperma; spermophoro centrali, pyramidali, pentagono, quinquecristato, indiviso, cristis nempe dorso seminiferis v. tandem in laminas quinque lineari-lanceolatas marginibus utrinque seminiferas secedente. Semina minuta, rectiuscula v. curvata, utrinque apiculata. — Suffrutices procumbentes v. ascendentes, glabri, praesertim in Indiâ orientali, insulis Borbonicis, Sinâ et Japoniâ indigenae; ramulis teretiusculis v. subtetragonis; foliis oppositis, saepe distichis, subsessilibus v. amplexicaulibus, integerrimis, pellucido-punctatis, pedunculis terminalibus, uni- v. furcato-multifloris, pedicellis post florescentiam saepe recurvis, lateralibus medio bibracteatis; floribus magnis, luteis.

Obs. Dignissima est V. Cl. Spach de hoc Ordine ac praesertim de Genere *Hyperico* monographia, quae diligenter cognoscatur, quum nulli non botanico, re bene perspectâ, perspicuum sit futurum Genus hoc, pro hodierno disciplinae statu, de integro esse constituendum et haud dubie in tot Genera dissolvendum, quot ex istâ turbâ Ordines habitu congrui emergunt. Mihi quidem nullum dubium, quin summi ejus botanici laborem in posterum suus sequatur honos, etsi illa dissolutio minus late, quam ipse voluit, patere videatur. Hoc certe lubens agnosco, magno mihi in ordinandis *Hypericineis* ex Indiâ orientali et Japoniâ usui fuisse illum laborem, ad habitum praesertim in Generibus naturalibus constituendis attendenti. Idcirco *Eremanthen* et *Campylosporum* tanquam Subgenera cum *Noryscâ* conjunxi, ex quibus Genus admodum naturale efficitur, quopraeter allatas hac quoque Species sunt referendae, partim tamen, quod ad specificum discrimen, accuratius comparandae.

1. *N. myrtifolia* Spach in *Suit. à Buff.* V. 428. *Nouv. Ann. sc. nat.* V. 364.

2. *N. mysorensis* Wight *Icon.* 56. Ejusd. *Illustr.* I. 113. — Hypericum mysurense Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 99. 345.

3. *N. Hookeriana* Wight *Illustr.* I. 113. — Hypericum Hookerianum Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 99. 346.

4. *N. oblongifolia* Bl. — Hypericum oblongifolium Chois. *Prodr. Hyperic.* 42. tab. 4. De Cand. *Prodr.* I. 545. 24. Spr. *Syst. Veg.* III. 341. I. — Hypericum Uralum Don *Bot. Mag.* tab. 2375. Ejusd. *Prodr. Nep.* 218. 4. — Hypericum patulum (haud Thunb.) De Cand. *Prodr.* I. 545. 20 (ex parte).

5. *N. cordifolia* Bl. — Hypericum cordifolium Chois. in De Cand. *Prodr.* I. 545. 12. — Hypericum bracteatum Don *Prodr. Nep.* 217. 1. Spr. *Syst. Veg.* III. 341. 3.

6. *N. cernua* Bl. — Hypericum cernuum Roxb. *Hort. Beng.* 59. Don *Prodr. Nep.* 218. 2. Spr. *Syst. Veg.* III. 341. 2. Roxb. *Flor. Ind.* III. 400. 1.

7. *N. venosa* Bl. — Hypericum venosum Lam. *Enc. bot.* IV. 146. 6. De Cand. *Prodr.* I. 545. 22. — Hypericum calycinum Spr. *Syst. Veg.* III. 341. 6 (ex parte).

8. *N. calycina* Bl. — Eremanthe calycina Spach in *Suit. à Buff.* V. 422. *Nouv. Ann. sc. nat.* V. 363. — Hypericum Ascyron Mill. *Dict.* 7. — Hypericum calycinum Linn. *Mant.* 106. Gisecke *Ic.* I. tab. 18. Ait. *Hort. Kew.* III. 103. Lam. *Enc. bot.* IV. 146. 5. Ejusd. *Illustr.* tab. 642. fig. 1 (mala). Jacq. *Fragm. bot.* 110. tab. 6. fig. 4. Willd. *Spec. Pl.* III. 2. 1442. 13. *Bot. Magaz.* tab. 146. De Cand. *Prodr.* I. 546. 25. Spr. *Syst. Veg.* III. 341. 6 (excl. Syn. Lam.). — Androsaemum flore et theca quinquecapsulari omnium maximis Moriss. *Hist. Pl.* II. 472. 13. — Androsaemum Constantinopolitanum, flore maximo Raj. *Hist. Pl.* II. 1017. — Asyrum magno flore Bauh. *Pin.* 280. Tournef. 256.

9. *N. lanceolata* Bl. — Campylosporus reticulatus Spach in *Suit. à Buff.* V. 424. *Nouv. Ann. sc. nat.* V. 363. — Hypericum lanceolatum Lam. *Enc. bot.* IV. 145. 3. Willd. *Spec. Pl.* III. 2. 1438. 4. Chois. *Prodr. Hyperic.* 41 (ex parte). De Cand. *Prodr.* I. 545. 18. Spr. *Syst. Veg.* III. 341. 10.

10. *N. angustifolia* Bl. — Campylosporus angustifolius Spach in *Suit. à Buff.* V. 425. *Nouv. Ann. sc. nat.* V. 363. — Hypericum angustifolium Lam. *Enc. bot.* IV. 145. 4. Willd. *Spec. Pl.* III. 2. 1438. 3. De Cand. *Prodr.* I. 545. 19. Spr. *Syst. Veg.* III. 341. 12.

11. *N. madagascariensis* Bl. — Campylosporus madagascariensis Spach in *Suit. à Buff.* V. 426. *Nouv. Ann. sc. nat.* V. 363.

Sect. 1. *Verae.* Calycis foliola margine subimbricata. Antherae glandulâ terminatae. Styli elongati, saepissime fere ad apicem coaliti. Spermophorus indivisus, quinquecristatus, cristis dorso seminiferis. Semina rectiuscula.

60. Norysca chinensis Spach: foliis semiamplexicaulibus oblongis v. ovali-oblongis ($\frac{3}{4}$—2 poll., 5—10 lin. lat.) utrinque obtusis v. basi subcordatis subtus glaucis eglandulosis; pedunculo subcorymboso-pauci- v. multifloro; calycis foliolis oblongis obtusis v. acutiusculis; staminibus corollam adaequantibus stylis ad apicem usque connatis paulo brevioribus. Spach in *Suit. à Buff.* V. 427. *Nouv. Ann. sc. nat.* V. 364. — *Hypericum chinense* Linn. *Amoen.* VIII. 323. Threw. *Pl. rar.* Vogel. *Dec.* III. 3. tab. 21. fig. 2. Lam. *Enc. bot.* IV. 144. 2 (excl. ut in seq. Syn. Thunb. et Kaempf.). Hassk. *Plant. Jav. rar.* 278. N°. 192. — *Hypericum monogynum* Linn. *Spec. Pl.* 1107. 29. Mill. *Dict.* 11. tab. 151. fig. 2. Curt. *bot. Mag.* tab. 334. Roxb. *Flor. Ind.* III. 400. 2 (excl. Syn. Lour.). Bl. *Bijdr.* 141. — In Sinâ; in hortis Indiae orientalis et insulae Borboniae saepe culta.

61. Norysca salicifolia Bl.: foliis sessilibus lanceolatis (1$\frac{1}{3}$—3$\frac{3}{4}$ poll., 4—14 lin. lat.) utrinque attenuatis v. obtusiusculis subtus glaucis eglandulosis; pedunculo corymboso multifloro; calycis foliolis lanceolatis acutis; staminibus corollam stylosque ad apicem usque connatos superantibus. — *Hypericum salicifolium* Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Akad. Wiss.* IV. 2^{te} Abth. 162. 194. — *Hypericum monogynum* Thunb. *Flor. Jap.* 297 (excl. Syn. Linn.). — *Bioru*, vulgo *Bijò Janagi* Kaempf. *Amoen. ex.* 845. — *Bijō riu* s. *Bijo Janagi* Jap. — In Japoniâ.

Species hujus Sectionis non satis cognitae.

62. Norysca aurea Bl.: foliis sessilibus oblongis obtusis; pedunculo subcorymboso paucifloro; staminibus corollâ brevioribus; stylis ad medium usque connatis corollam adaequantibus. — *Hypericum aureum* Lour. *Flor. Cochinch.* 578. 4.

63. Norysca punctata Bl.: foliis sessilibus oblongo-lanceolatis ellipticisve obtusis et foliolis calycinis oblongis obtusis nigropunctatis; staminibus corollâ longioribus; stylis coadunatis. — *Hypericum chinense* (haud Linn.) Chois. in De Cand. *Prodr.* I. 545. 11 (excl. Syn.). Spr. *Syst. Veg.* III. 341. 5.

Sect. 2. *Eremanthe.* Calycis foliola in praefloratione manifeste imbricata. Antherae eglandulosae. Styli distincti. Spermophorus indivisus v. tandem in laminas quinque lineari-lanceolatas utrinque seminiferas secedens. Semina rectiuscula.

64. Norysca patula Bl.: ramulis teretibus; foliis subsessilibus ovatis v. ovato-oblongis lanceolatisve ($\frac{2}{3}$—2$\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{4}$—1$\frac{1}{4}$ poll. lat.) utrinque attenuatis v. apice obtusis cum mucrone margine subrevolutis subtus glaucescentibus v. pallide ferrugineis; floribus saepe ternis v. subcorymbosis; calycis foliolis rotundatis ad marginem superne obsolete eroso-ciliatis. — *Hypericum patulum* Thunb. *Flor Jap.* 295. Ejusd. *Icon.* tab. 17. Willd. *Spec. Pl.* III. 2. 1442. 12. De Cand. *Prodr.* I. 545. 20 (ex parte!). Spr. *Syst. Veg.* III. 341. 4. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Akad. Wiss.* IV. 2^{te} Abth. 161. 193. — *Bijō Janagi* Jap. — In Japoniâ.

65. **Norysca rorida** Bl.: ramulis teretibus; foliis sessilibus amplexicaulibus ovato-oblongis v. lanceolatis (1—1¾ poll., 5—8 lin. lat.) acutis v. obtusiusculis cum mucrone margine revolutis utrinque pruinosis; floribus corymbosis v. solitariis; calycis foliolis ovali-oblongis obtusis v. acutiusculis. — In Javâ.

66. **Norysca javanica** Bl.: ramulis teretiusculis; foliis subsessilibus ovato-oblongis lanceolatisve (1—3¼ poll., ⅓—1½ poll. lat.) acuminatis v. obtusiusculis cum mucrone margine subrevolutis subtus glaucescentibus; floribus corymbosis v. solitariis ternisve; calycis foliolis lanceolatis acuminatis. — *Hypericum javanicum* Bl. *Bijdr.* 141. — *Kidjale* S. — In Javâ.

67. **Norysca Leschenaultii** Bl.: ramulis teretiusculis v. tereti-compressis; foliis subsessilibus v. semiamplexicaulibus ovato-oblongis lanceolatisve (1—3 poll., ½—1¼ poll. lat.) acutis v. obtusiusculis cum mucrone margine subrevolutis subtus pallide glaucescentibus; floribus ternis v. solitariis; calycis foliolis ovali-oblongis v. oblongo-lanceolatis acutis. — *Hypericum Leschenaultii* Chois. in De Cand. *Prodr.* I. 545. 23. — Spr. *Syst. Veg.* III. 341. 7. — Guillem. in Deless. *Icon. sel.* III. 17. tab. 27. — *Hypericum triflorum* Bl. *Bijdr.* 142. — In Javâ.

68. **Norysca coriacea** Bl.: ramulis subtetragonis; foliis sessilibus ovato-oblongis v. ovato-lanceolatis (1¼—3 poll., ½—1¼ poll. lat.) obtusiusculis cum mucrone planis subtus glaucis; pedunculis ternis 1—3-floris; calycis foliolis ovali-oblongis obtusis v. acutis. — *Hypericum coriaceum* Bl. *Bijdr.* 142. — In Javâ.

HYPERICUM Linn. Calyx quinquepartitus, persistens; laciniis aequalibus v. inaequalibus, praefloratione imbricatis. Petala 5, hypogyna, calycis foliolis alterna, plus minus inaequilatera, saepissime marcescentia, praefloratione imbricato-convolutâ. Stamina plurima, rarius definita, in phalanges tres breves coalita, persistentia; filamenta capillaria; antherae nephroideae, glandulâ terminatae. Ovarium sessile, tri-rarissime 4-loculare; ovulis in oophoris porrectis 2—4-seriatis, horizontalibus, anatropis. Styli 3, rarissime 4, filiformes, liberi. Stigmata subcapitata. Capsula cartilaginea v. chartacea, rarissime coriacea, trilocularis, septicide trivalvis, polysperma; spermophoro centrali, subpyramidali, trigono. Semina minuta, rectiuscula; testâ membranaceâ, nucleum arcte obtegente, minutissime reticulatâ. — Herbae rarius suffrutices, imprimis in temperatis veteris orbis indigenae, paucissimae americanae; foliis oppositis, sessilibus v. amplexicaulibus, integerrimis, rarissime denticulatis, saepissime pellucido-punctatis et punctis vesiculosis nigris conspersis, floribus axillaribus et terminalibus, parvis, saepe cymosis v. paniculatis, flavis.

69. Hypericum erectum Thunb.: suffruticosum, glabrum; caule erecto tereti; foliis sessilibus subamplexicaulibus cordato-oblongis lanceolatisve ($\frac{1}{2}$—1$\frac{2}{3}$ poll., 3—8 lin. lat.) acutiusculis v. saepe obtusis margine subreflexis subtus imprimis ad marginem nigro-punctatis; floribus terminalibus subcorymbosis; calycis laciniis lanceolatis obtusiusculis sicut petalis nigro-punctatis v. lineolatis; floribus trigynis. Thunb. *Flor. Jap.* 296. Willd. *Spec. Pl.* III. 2. 1457. 51. De Cand. *Prodr.* I. 548. 56. Spr. *Syst. Veg.* III. 345. 57. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Akad. Wiss.* IV. 2^{te} Abth. 162. 195. — *Otogirisô* Jap. — Adeo varians, ut, nisi plurima mihi in manibus essent specimina, ex quibus transitus in aliam ex aliâ formâ appareret, unius esse Speciei haud crederem. Modo autem caudex sublignosus, qualem descripsit Thunberg V. Cl. (cujus ex Herbario habemus specimen), strictus, apice tantum ramosus, foliis cauli subappressis, ex apice ramorum fastigiatorum pauciflorus; rarius simplex, ex apice paucissimis ramis floriferis corymbosis; aliorum paniculato-ramosus, foliis magis patentibus, inflorescentiâ magis ramosâ, in singulis ramis corymbum dichotomum efformante; alia ferme a basi inde in ramos divaricatos divisa, foliis formâ magis ovali-oblongâ, saepe minoribus et tenuioribus, punctis raris pellucidis subtus sicut laciniis calycis obtusis nonnisi ad marginem nigro-punctatis. Quasdam ex his formis paucis accuratius indicare sufficiet. — Cum Varietatibus sequentibus in Japoniâ.

β. *Var. thyrsoideum:* caule paniculato-ramoso, ramis erectis.

γ. *Var. divaricatum:* caule a basi laxe ramoso, ramis divaricatis.

δ. *Var. obtusifolium:* caule simplici v. fastigiato-ramoso; foliis e basi subcordatâ ovali-oblongis obtusis subtus calycibusque nigro-punctatis.

ε. *Var. flaccidum:* caule laxe ramoso, ramis flaccidis; foliis e basi subcordatâ ovalibus v. ovali-oblongis pellucido-punctatis subtus ad marginem nigro-punctatis.

Ord. **Homalineae.**

BLACKWELLIA Commers. Perigonium tubo brevi, turbinato, cum ovario inferne connato; limbi superi 8—30 partiti lobis biseriatis, patulis, subaequalibus v. interioribus latioribus magisque petaloideis. Stamina summo perigonii tubo inserta, numero varia, nempe ejusdem lobis interioribus solitarie v. geminatim ternatimve opposita, cum glandulis ante lacinias exteriores solitarie sitis v. iisdem adnatis alternantia; filamenta subulato-filiformia, libera; antherae introrsae, biloculares, loculis apice saepe divergentibus, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium semiinferum, uniloculare. Ovula 10—20, oophoris parietalibus nerviformibus apicem versus suspensa, anatropa. Styli 2—5, subulati, inferne in conum connati; stigmata simplicia, acuta. Capsula unilocularis, abortu mono- v. oligosperma. Semina inversa, angulata. Embryon in axe albuminis carnosi orthotropum; cotyledonibus foliaceis; radiculâ superâ. — Arbores v. frutices, in Madagascariâ, insulis Borbonicis, Asiâ tropicâ et Nepaliâ indigenae; foliis alternis, breviter petiolatis, exstipulatis, coriaceis, dentatis v. rarius integerrimis, glabris v. subtus pubescentibus; spicis v. racemis axillaribus et terminalibus, simplicibus v. paniculatis; floribus parvis, viridulis.

70. Blackwellia axillaris Lam.: foliis e basi attenuatâ obovato-oblongis ovalibusve ($1\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ poll., 7—15 lin. lat., pet. 1—$1\frac{1}{2}$ lin.) obtusis remote crenulatis coriaceis firmis glabris; spicis axillaribus simplicibus elongatis nutantibus; floribus (subsessilibus) 6—7-andris 3-gynis Lam. *Enc. bot.* I. 428. 3. *Illustr.* tab. 412. fig. 1. Willd. *Spec. Pl.* II. 2. 930. 3. De Cand. *Prodr.* II. 55. 6. Spr. *Syst. Veg.* II. 466. 1. — In Madagascariâ.

71. Blackwellia gracilis Bl.: foliis e basi acutiusculâ ovalibus oblongisve ($1\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{3}$ poll., 7—13 lin. lat., pet. 1 lin.) obtusiusculis obtuse serratis subcoriaceis glabris; racemis axillaribus simplicibus elongatis nutantibus; floribus 7-andris 2—3-rarissime 4-gynis fasciculatis. — A *Bl. axillari* Lam. distinguitur floribus racemosis nempe reverâ pedicellatis, in rhachi filiformi fasciculato-3—5-nis, multo minoribus. — In Madagascariâ, ex Herbario Musei Parisiensis sub N°. 297 nobiscum benevole communicata.

72. Blackwellia tomentosa Vent.: foliis e basi obtusâ rarius cuneatâ obovatis (4—$7\frac{1}{2}$ poll., 2—$4\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1—2 lin.) apice rotundatis v. retusis v. breviter apiculatis glanduloso-dentatis coriaceis subtus tomentosis; spicis axillaribus et terminalibus longissimis simplicibus; floribus 5—6-andris 3-rarissime 2-gynis glomeratis. Vent. *Choix.* tab. 57. De Cand. *Prodr.* II. 55. 7. Spr. *Syst. Veg.* II. 466. 7. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 1,15. — *Kibodas* s. *Kiboddas* S. — Quaeritur, an *B. spiralis* Wall. cum hac conjungenda sit. Quae in Herb. Sieber *Flor. Maurit.* N°. 324. *Bl. spiralis* Wall. divenditur, cui V. Cl. Sprengel in *Syst. Veget.* diagnosis satis congruit, ex meâ investigatione procul dubio ad Ordinem *Euphorbiacearum* referenda. — Ecce quaedam de hac Specie anno 1823 in diario meo notata, quum eam mense Julio in montanis Javae Parang florentem invenissem. Arbor satis procera, trunco 40—50 ped. altitudine, cortice albicante. Spicae elongatae, simplicissimae, rarissime furcatae, tomentosae, a basi inde floribus minutis glomeratis virescentibus odoris melliti, quorum glomeruli circum rhachin spiraliter dispositi. Perigonium semisuperum, tubo brevi, turbinato, inferne cum ovario connato; limbo supero, plano, 10—12 partito; laciniis biserialibus, oblongis, obtusis, villoso-ciliatis, persistentibus; interioribus paulo latioribus. Stamina 5 rarius 6, laciniis perigonii interioribus opposita, huic imâ inserta, cum totidem glandulis basi laciniarum perigonii exteriorum adnatis globosis rubicundis villosiusculis crassis alternantia; filamenta laciniis perigonii longiora, patentia, subulata, marcida. Antherae parvae, subrotundo-didymae, incumbentes, brunneae, introrsum longitudinaliter birimosae. Ovarium semiimmersum, villosiusculum, superne in stylos ternos raro binos subulatos divergentes desinens, stigmatibus simplicibus, uniloculare. Ovula 8—10, ellipsoidea, apicem cavitatis versus oophoris tribus striiformibus affixa, anatropa. Capsulis pauca modo continentur semina. — In Javâ.

73. Blackwellia paniculata Lam.: foliis obovato-subrotundis ($1\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ poll., $1\frac{1}{4}$—$2\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ poll.) rotundatis v. retusis obtuse dentatis coriaceis glabris; paniculis axillaribus et terminalibus divaricatis; floribus 10-andris 5-gynis fasciculatis. Lam. *Enc. bot.* I. 428. 2. Willd. *Spec. Pl.* II. 2. 930. 2. De Cand. *Prodr.* II. 54. 2. Spr. *Syst. Veg.* II. 466. 3. — Vidi specimina ex insulâ Mauritii a Cl. V. Commerson lecta.

74. Blackwellia foetida Wall.: foliis ellipticis obovatisve (3—6 poll., 2—$3\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 4—6 lin.) utrinque attenuatis v. apice obtusiusculis v. rotundatis obtuse dentato-serratis coriaceis glabris; racemis paniculatis axillaribus et terminalibus rectis; floribus 20—24-andris 4—5-gynis fasciculatis. Wall. *Cat.* N°. 4899. Guillem. in Deless. *Icon. sel.* III. 32. tab. 53. — *Ludia foetida* Roxb. *Flor. Ind.* II. 508. 2. — In Moluccis, Celebes, cet.

Species dubiae v. minus cognitae.

75. Blackwellia cochinchinensis Bl.: foliis ovatis serratis lanuginosis; spicis axillaribus elongatis simplicibus; floribus 6—8-andris 4-gynis. — *Astranthus cochinchinensis* Lour. *Flor. Cochinch.* I. 274. De Cand. *Prodr.* II. 55. Spr. *Syst. Veg.* II. 169. — In Cochinchinâ.

76. Blackwellia moluccana Bl.: foliis elliptico-oblongis (5—6 poll., 3 poll. lat.) acutis serratis; spicis subterminalibus simplicibus v. subfurcatis rectis folio brevioribus. — *Metrosideros Molucca* primo *Samar mas* s. rubra Rumph. *Herb. Amb.* III. 25. tab. 11. — *Kaju bessi* s. *Hatabessi* Ternat.; *Samar* s. *Samal* s. *Samar batu* Amb. — In Moluccis.

CORDYLANTHUS Bl. Perigonium tubo elongato, clavato, cum ovario connato; limbi superi 10—12-partiti lobis biseriatis, patentibus, interioribus majoribus, petaloideis. Stamina 15—20, summo perigonii tubo inserta, ejusdem lobis interioribus ternatim v. quaternatim opposita, cum glandulis 5—6 ante lacinias exteriores sitis alternantia; filamenta subulato-filiformia, libera; antherae introrsae, biloculares, subrotundae, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium inferum, uniloculare. Ovula circiter 15, ex oophoris parietalibus nerviformibus ad apicem suspensa, anatropa.

Styli 3—5, subulati, inferne connati; stigmata simplicia, acuta. Capsula unilocularis, abortu monosperma. Semen inversum. Embryon in axe albuminis carnosi orthotropum; cotyledonibus foliaceis; radiculâ superâ. — Frutex javanicus, ramosus; foliis alternis, brevissime petiolatis, exstipulatis, ellipticis, dentato-serratis, coriaceis, supra glabris, subtus imprimis ad costam puberulis; racemis axillaribus, subramosis, puberulis, pedicellis 1—3-floris; floribus albidis, odoratissimis.

Obs. A *Blackwelliâ* Commers. tubo perigonii clavato totâ longitudine ovario connato diversa. Nomen derivatum a *κοϱδύλη*, clava, et *ἄνθος*, flos.

77. Cordylanthus frutescens Bl. — In fruticetis humidis circa Kuripan Javae occidentalis.

NISA Noronh. Perigonium tubo brevissimo, acetabuliformi, cum ovarii basi connato; limbi superi 10—14-partiti lobis biseriatis, exterioribus calycinis usque ad basin fere distinctis, erecto-patentibus, interioribus petaloideis, brevioribus, imbricato-conniventibus, marcescentibus. Stamina 5—7, summo perigonii tubo inserta, ejusdem lobis petaloideis opposita; filamenta subulato-filiformia, imâ glandulis 5—7 lobis perigonii calycinis oppositis brevissime connexa; antherae ellipsoideae, dorso affixae (in praefloratione extrorsae), biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium semiadhaerens, uniloculare. Ovula 4—8, ex oophoris parietalibus cristaeformibus apicem versus geminatim suspensa, anatropa. Styli 2—4, breves, inferne in conum connati; stigmata obtusiuscula. Capsula perigonii lobis calycinis foliaceo-auctis stipata, unilocularis, abortu 1-sperma. — Frutices v. arbusculae madagascarienses; foliis alternis, petiolatis, exstipulatis, coriaceis, dentatis v. serratis, glabris; floribus in spicis ramosis axillaribus et terminalibus, nudis v. involucratis.

78. Nisa retusa Bl.: foliis obovatis v. obovato-oblongis ($1\frac{3}{4}$—4 poll., $1\frac{1}{4}$—2 poll. lat., pet. 5—10 lin.) rotundatis v. retusis remote serrulatis firmis glabris subtus reticulato-venosis; spicis ramosis axillaribus et terminalibus puberulis. — Nomine *Asteropeia* et *Mourangia* Touditsch ex Herb. Mus. Paris. mecum benevole communicata. — In Madagascariâ.

Ord. **Dipterocarpeae.** Subord. **Vaterieae.**

VATERIA Linn. Calyx quinquepartitus, imâ ovario adhaerens, paulum accrescenti-persistens; laciniis aequalibus, praefloratione imbricatis. Corollae petala 5, subhypogyna, ovato-oblonga, aequilatera, praefloratione convolutiva, per anthesin superne patentia. Stamina plurima, cum petalis inserta, pluriseriata; filamenta brevissima, latiuscula; antherae biloculares, aequivalves, elongato-lineares, connectivo in cuspidem setaceam simplicem v. bifidam producto. Ovarium fere liberum, triloculare, loculis biovulatis; ovula ex apice anguli centralis collateraliter pendula, anatropa. Stylus elongato-filiformis, simplex; stigma acutum. Capsula carnosa, crassa, calyce reflexo stipata, abortu unilocularis, trivalvis, 1-sperma. Semen inversum. Embryi exalbuminosi orthotropi cotyledones maximae, crassissimae, inaequales, basi bilobae, petiolatae; radiculâ immersâ, superâ. — Arbores Asiae tropicae, copalliferae; foliis alternis, integerrimis, venosis; stipulis lateralibus, liberis, deciduis; floribus paniculatis, axillaribus et terminalibus, albis.

79. Vateria indica Linn.: foliis e basi obtusâ v. subcordatâ ellipticis oblongisve ($\frac{1}{2}$—1 ped., $2\frac{1}{4}$—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 poll.) acuminatis v. breviter obtuse cuspidatis supra glabris subtus imprimis in nervo medio ramulisque pube stellari furfuraceis; paniculae ramis elongatis; antheris puberulis subsessilibus, connectivo bifido. Linn. *Spec. Pl.* 734 (excl. ut in seq. Syn. *Hort. Mal.*). Ejusd. *Flor. Zeyl.* 204. N. Burm. *Flor. Ind.* 122. Lam. *Enc. bot.* VIII. 418. *Illustr.* tab. 475. — Gaertn. fil. III. 53. tab. 189. Spr. *Syst. Veg.* II. 599. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 8[illegible] (ex parte !). — *Elaeocarpus copalliferus* Retz. *Obs. bot.* IV. 27. Vahl. *Symb. bot.* III. 67. Willd. *Spec. Pl.* II. 2. 1170. 5. — *Arbor Kaekuriaghaha odorata, ex qua fluit Gumm. Elemi* Herm. *Mus. Zeyl.* 52. Burm. *Thes. Zeyl.* 28 (ex parte). — Arbor, quae nobis Gummi *Elemi exhibet, Kakuna-Ghaha* incolis dicta Grimm *Thes. med.* 108. — *Amygdalo adfinis indica, fructu umbilicato, nucleo nudo, cortice pulvinato trifido tecto* Raj. *Hist. Pl.* 1482. Pluk. *Alm.* 28. — Hoc nomine Species aliquot commutari Wight V. Cl. *Illustr.* I. 88 assentior. In manibus mihi sunt specimina zeylanica ex herbariis J. Burmann et Van Royen, quibus Vahl et, ut verisimile, ante Linneus usi sunt. A zeylanicâ illâ, cujus figuram exhibuit Wight, differt filamentis distinctis et antheris glabris, quarum connectivum setiformi-productum, fide ejus figurae, non bifidum, licet Species utraque foliorum formâ satis congruat. Paniculae quoque in malabaricâ et in stirpe a Wight depictâ minus elongatae videntur, quam in zeylanicâ, quae haud dubie genuina *Vateria indica* Linn. — In Zeylaniâ.

80. Vateria malabarica Bl.: foliis e basi obtusâ v. subcordatâ elliptico-oblongis (4—8 poll., 2—4 poll. lat., pet. 1 poll.) acutis glabris; paniculae ramis brevibus; antheris glabris filamentis distinctis suffultis, connectivo indiviso. — *V. indica* (haud Linn.) Roxb. *Corom.* III. tab. 288. Ejusd. *Flor. Ind.* II. 602. 2. Wight *Illustr.* I. tab. 36. — *Chloroxylon Dupada* Buchan. *Journ. in Mysore* etc. II. 476. — *Paenoe* Rheed. *Hort. Mal.* IV. 33. 15. — *Peini marum* s. *Dupa* s. *Dupada mara* indig. — Jam Roxburgh

V. Cl. in annotatione ad *Vateriam indicam*, *Flor. Ind.* II. 603 animadvertit: „In all the flowers examined by me the stamina had uniformly short broad filaments, and linear anthers, terminating in a single tapering, acute threads, or soft bristle. Can König's Ceylon tree with two bristles be the same?" Cf. et quae de eâ habet Wight V. Cl. *Illustr.* I. 88, cujus tamen *Vateria ceylanica* diversa ab illâ, quam König exploravit, quae haud dubie *Vateria indica* Linn. — In Malabariâ.

VATICA Linn. Calyx liber, quinquepartitus, plus minus accrescenti-persistens; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Corollae petala 5, hypogyna, lineari-oblonga, inaequilatera, praefloratione convolutiva, per anthesin superne patentia. Stamina 15, hypogyna, imâ connata, quinque petalis opposita cum decem per paria sibi oppositis alternantia; filamenta brevia, basi dilatata; antherae biloculares, inaequivalves, cordato-oblongae, connectivo brevi interdum glanduloso apiculatae. Ovarium liberum, triloculare, loculis biovulatis; ovula ex apice anguli centralis collateraliter pendula, anatropa. Stylus brevis, crassus; stigma denticulatum. Capsula carnosa, crassa, calyci reflexo aequaliter aucto insidens, abortu unilocularis, trivalvis, 1—2-sperma. Semen inversum. Embryi exalbuminosi orthotropi cotyledones maximae, crassissimae, aequales, subbilobae; radiculâ superâ. — Arbores Asiae tropicae, resiniferae; foliis alternis, integerrimis, venosis; stipulis lateralibus, distinctis, deciduis; floribus paniculatis, axillaribus, albis v. flavicantibus, odoratissimis.

Obs. Genus hoc ad *Vateriam* Linn. quam proxime accedere, est sane quod V. Cl. Smith assentiar, sed tamen et praefloratione calycis valvatâ, et staminum numero atque dispositione, et antherarum conformatione satis differt. Animadvertatur autem plerosque hoc Genus non agnovisse auctores, qui *Shoreae* Species Roxburgh et Wallich eo referendas existiment, licet a *Vaticâ chinensi* Linn., qui Generis hujus typus, plane differant. Quaedam *Vateriae* Species auctorum, quas proprium Genus constituere posse censuit Arnott V. Cl. (cf. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 84), Wight V. Cl. autem *Vateriae* Linn. Subgenus, nomine *Isauxin*, attribuit, reverâ *Vaticae* Linn. sunt sociandae. — Non ad hoc Genus, nec nisi dubie ad *Dipterocarpeas* referendae sunt *Vatica sinensis* et *V. Mangachapoi* Blanco *Flor. Filip.* 401. In his novum Genus agnoscere mihi videor, quod *Pterantheram* nominandum esse censeo, his characteribus insigne. Calyx profunde quinquepartitus; laciniis inaequalibus. Corolla hypogyna, quinquepetala, petalis linearibus. Stamina 15, hypogyna, quorum 5 cum 10 per paria unitis alternantia; filamenta brevissima, squamaeformia; antherae aristatae, bialatae. Ovarium liberum, stipitatum? (quod ex his conjicere licet: „Germen medio globoso asentado sobre la flor"), depresso-quinquegonum. Stylus brevis; stigma depressum, in lobulos 3 v. plures divisum. Drupa 3—5-sperma. — Arbores in Philippinis indigenae; foliis alternis, brevissime petiolatis, integerrimis, glabris; floribus paniculatis, axillaribus, albis. Species: *Pteranthera sinensis* Bl. s. Vatica sinensis (haud Linn.) Blanco l. c. et *Pteranthera Mangachapoi* Bl. s. Vatica Mangachapoi Blanco l. c.

81. Vatica lanceaefolia Bl.: foliis chartaceis e basi acutâ oblongis v. lanceolato-oblongis (4—9 poll., $1\frac{1}{2}$—3 poll. lat., pet. 6—7 lin.) acuminatis v. obtusiusculis; paniculis axillaribus divaricatis brevibus; antherarum connectivo ovato mutico; stigmate tridentato. — *Vateria lancaefolia* Roxb. *Flor. Ind.* II. 601. Wight *Illustr.* I. 88. 2. Herb. Wall. N°. 4405. — *V. lanceolata* Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. Or.* I. 84. — *Retinodendron lanceaefolium* Korth. *in Verh. nat. Gesch. bot.* 56. — In Sihet, Chittagong, cet.

82. Vatica Roxburghiana Bl.: foliis e basi rotundatâ v. retusâ ovato- v. elliptico-oblongis (4—$6\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll., lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 poll.) acutis v. obtusiusculis; racemis axillaribus brevibus paucifloris; antherarum connectivo ovato mucronato; stigmate sexdentato. — *Vateria Roxburghiana* Wight. *Illustr.* I. 88. 3. Ejusd. *Icon.* I. tab. $\frac{26}{299-300}$. — In Peninsulâ Indiae orientalis.

83. Vatica Rassak Bl.: foliis e basi obtusâ v. rotundatâ rarius acutâ oblongis v. lanceolato-oblongis (5—13 poll., $1\frac{3}{4}$—3 poll. lat., pet. 1 poll.) acuminatis; paniculis axillaribus et terminalibus laxis elongatis; antherarum connectivo truncato v. acutiusculo; stigmate denticulato. — *Retinodendron Rassak* Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 56. tab. 8. — *Rassak* indig. — Arbor haec vulgarem gignit resinam, Malaice *Dammar*, ab indigenis *Njato* s. *Njating* dictam, quae magnâ copiâ praecipue ex Banjermassing exportatur. Prostat haec resina magnis frustis plurium saepe librarum pondo, specie colophonii nostri; est autem fragilis, semipellucida, lutea vel brunnea, jam infra punctum ebullitionis aquae mollescens, atque in Archipelago indico, perinde ac *Dammar Selan* e Moluccis, frequens ejus, vice picis vel resinae terebinthinae, usus est. Nempe liquatur, vel potius contritum assidue cum oleo aut lacte coci versando sensim ad pastam molliorem redigitur. Similiter palmarum frondibus aliisve foliis majoribus involuta ad faces resinosas vulgares adhibetur, quarum parandarum ratio prorsus eadem est, quam de *Dammar Selan* copiose tradit Rumphius noster *Herb. Amb.* II. 171. — In Borneo cum Varietate sequenti.

β Var. subcordata: foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ oblongis (5—15 poll., 2—$4\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 10—14 lin.) breviter obtuse acuminatis v. obtusiusculis, venis quam in α supra magis distinctis; capsulis obtusioribus. — An Species distincta?

84. Vatica pauciflora Bl.: foliis e basi acutiusculâ ellipticis v. elliptico-oblongis ($3\frac{1}{3}$—6 poll., $1\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 5—6 lin.) obtuse acuminatis v. obtusiusculis; racemis axillaribus ramosis brevibus; antherarum connectivo acutiusculo; stigmate subcapitato. — *Retinodendron pauciflorum* Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 58. — In Sumatrâ.

Species dubia.

85. Vatica venulosa Bl.: foliis oblongis lanceolatisve (3—4 poll., 1—1½ poll. lat., pet. 2—3 lin.) utrinque obtuse attenuatis venuloso-reticulatis. — *Kaju Rassa* indig. — In Borneo.

Subord. **Shoreae.**

SHOREA Roxb. Calyx pentaphyllus, foliolis imbricatis, inaequalibus, denique in alas foliaceas erectas aequales v. inaequales expansis. Corollae petala 5, hypogyna, aequilatera, praefloratione convolutiva, basibus latiora imbricata, superne patentia. Stamina 25 v. indefinita, hypogyna, bi-triseriata; filamenta basibus membranaceo-dilatatis cohaerentia; antherae biloculares, subinaequivalves, cordatae, obtusae, connectivo infra apicem in cuspidem penicillatam producto. Ovarium liberum, triloculare, loculis biovulatis. Ovula ex apice anguli centralis collateraliter pendula, anatropa. Stylus brevis, crassus; stigma obtusiusculum v. tridentatum. Nux coriacea, calycis foliolis inferne arcte imbricatis superne conniventibus inclusa, abortu monosperma. Semen inversum, dissepimentorum axe perforatum. Embryon exalbuminosum, orthotropum; cotyledones maximae, crassissimae, inaequales, oblique incumbentes, petiolatae, basi bilobae; radicula immersa, supera. — Arbores Asiae tropicae, resiniferae; foliis alternis, integerrimis v. repandis, venosis; stipulis lateralibus, geminis, liberis, deciduis; paniculis axillaribus et terminalibus; floribus secundis, flavis, odoratissimis.

Obs. Genus hoc a *Vaticâ* Linn., cui plerique illud accensent auctores, plane diversum, nempe et praefloratione calycis imbricatâ, et staminibus numerosioribus, in *Vaticâ* Linn. perinde dispositis atque in *Hopeâ* Roxb. Huc accedit differentia fructus, qui in *Shoreâ* nux foliolis calycis imâ arcte imbricatis superne conniventibus foliaceo-auctis inclusa, in Linneano illo Genere autem capsula nuda, imâ laciniis calycis patentibus v. reflexis similiter minus magisve auctis, quarum praefloratio manifesto valvata, cincta.

86. Shorea obtusa Wall.: foliis coriaceis obovato- v. elliptico-oblongis (3½—7 poll., 1¾—3¼ poll. lat., pet. ½—1 poll.) obtusis basi acutis rarissime rotundatis subrepandis in axillis venarum subtus pubescentibus; paniculis ramulisque canescenti-subvelutinis. Wall. *Cat.* N°. 966 (sed impura!) — *Vatica obtusa* Steud. *Nomencl. bot.* II. 745. — In Indiâ orientali.

87. Shorea lepidota Bl.: foliis coriaceis ovalibus v. elliptico-oblongis (2¾—6 poll., 1—2¼ poll. lat., pet. 5—7 lin.) acutis v. breviter acuminatis rarius obtusis basi subrotundatis integerrimis subtus furfuraceis; paniculis ramulisque ochraceo-tomentosulis. — *Vatica lepidota* Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 73. — In sylvis Melintang insulae Sumatrae.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Dipterocarpeae.** Subord. **Shoreae.**

88. Shorea Selanica Bl.: foliis chartaceis cordato-oblongis (4—8 poll., 2—2¾ poll. lat., pet. 5—6 lin.) cum acumine brevi obtuso supra in nervo medio tomentosulis subtus stellato-puberulis; paniculis ramulisque ochraceo-tomentosis. — *Engelhardtia Selanica* Bl. in *Flor. Jav. Juglandeae* 8. — *Dammara Selanica mas* Rumph. *Herb. Amb.* II. 168. tab. 56. — *Dammar-Selan Boom* Valent. *Amb.* 211. fig. XXVIII. — *Kaju Bappa* Ternatice; *Hiny* s. *Bahut* s. *Biahut* Buroensium. — In *Florâ Javae* l. c. arborem hanc falso *Engelhardtiam* putavi, quem errorem hoc loco corrigo, simulque animadverto *Juglandibus* nullos contineri succos resinosos, id quod in omnibus *Dipterocarpeis* atque adeo in hac arbore obtinct, de quâ jam Rumphius *l. c.* 169 haec retulit: „neque usquam „terrarum arborem cognovi, quae tantâ copiâ resinam proferat; quippe „ramos merae resinae ab hac arbore dependentes invenias, tres quatuorve „pedes longos ac femoris crassitie; vulgares autem sunt coni brachium „crassi, et Xulorum frusta nactus sum, quae rupem artificialem credas." Cf. porro quae de usu hujus resinae, apud indigenas nominibus *Dammar Selan* s. *Dammar Sila* s. *Dammar Malejo* s. *Salo Garo* s. *Cama Lilan* s. *Salo Hiny* cognitae, copiose tradit, cum illis quae de resinâ *Vaticae Rassak* retulimus fere congruentia. — Cum Varietate in Moluccis.

β *Var. latifolia:* foliis majoribus. — *Engelhardtia spicata* Bl. *Flor. Jav. l. c.* (solummodo quod attinet ad Syn. *Herb. Amb.*). — *Dammara Selanica femina* Rumph. *Herb. Amb.* II. 169.

Species non satis cognitae.

89. Shorea ovalis Bl.: foliis chartaceis ellipticis (8—14 poll., 4—5 poll. lat. pet. ½—1 poll.) obtuse acuminatis basi obtusis v. rotundatis v. retusis integerrimis supra in nervo medio tomentosis subtus stellato-pubescentibus (et reticulatione inter venas arcuatâ); ramulis pilis fasciculatis hirsutulis. — *Vatica ovalis* Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 73. — In Borneo ad montem Prarawin.

90. Shorea Mayapis Bl.: foliis membranaceis brevissime petiolatis ovatis v. lato-lanceolatis glabris; floribus paniculatis terminalibus. — *Mocanera Mayapis* Blanco *Flor. Filip.* 449. — *Mayapis* indig. — In Philippinis.

91. Shorea Guiso Bl.: foliis firmis brevissime petiolatis ovato-oblongis glabris; paniculis paucifloris. — *Mocanera Guiso* Blanco *Flor. Filip.* 449. — *Guiso* s. *Guijo* indig. — In Philippinis.

92. Shorea Mangachapoi Bl.: foliis membranaceis brevissime petiolatis lato-lanceolatis; paniculis axillaribus paucifloris. — *Mocanera Mangachapoi* Blanco *Flor. Filip.* 450. — *Guisong dilao* s. *Mangachapoi* indig. — In Philippinis.

93. Shorea Malaanonan Bl.: foliis ovato-lanceolatis subtus incanis. — *Monacera Malaanonan* Blanco *Flor. Filip.* 858. — *Malaanonan* indig. — In Philippinis.

HOPEA Roxb. Calyx pentaphyllus, foliolis imbricatis, inaequalibus, duobus oppositis v. tribus denique alaeformi-increscentibus. Corollae petala 5, hypogyna, praefloratione convolutiva, basibus imbricatis cum staminibus in tubum coalita, linearia, obliqua, superne patentia. Stamina 15, hypogyna, biseriata, inaequilonga, corollae basi adhaerentia, decem calycis foliolis per paria opposita, quinque iisdem alterna breviora; filamenta basibus dilatatis imâ cohaerentia; antherae biloculares, aequivalves, cordatae, retusae, connectivo infra apicem in cuspidem setaceam producto. Ovarium liberum, triloculare, loculis biovulatis. Ovula ex apice anguli centralis collateraliter pendula, anatropa. Stylus filiformis; stigma simplex v. denticulatum. Drupa chartacea, calycis foliolis inferne arcte imbricatis superne conniventibus inclusa, abortu monosperma. Semen inversum. Embryi exalbuminosi orthotropi cotyledones maximae, crassissimae, inaequales, subbilobae; radicula immersa, supera. — Arbores Asiae tropicae, resinifluae; foliis alternis, integerrimis, venosis, in venarum axillis subtus saepe glandulosis v. pubescentibus; stipulis lateralibus, liberis, caducis; paniculis axillaribus et terminalibus; floribus secundis, flavis v. roseis, odoratissimis.

Obs. A *Shoreâ* Roxb. maxime nonnisi staminum numero ac dispositione diversa, cum quo Genere eadem prorsus ei intercedit necessitudo, quae *Vaticae* Linn. cum *Vateriâ* Linn.

94. Hopea Balangeran Korth.: foliis coriaceis e basi rotundatâ ellipticis v. oblongo-ellipticis (4—6 poll., $1\frac{3}{4}$—3 poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—1 poll.) acuminatis subtus dense sericeo-velutinis et in venarum axillis glandulâ perforatâ; paniculae ramis calycibusque sericeo-pubescentibus. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 74. — *Balangeran* indig. — Arbor haec resinam umbrinam, ab indigenis *Njating-Mahambong* dictam, profert. — In Borneo.

Species dubiae.

95. Hopea Sangal Korth.: foliis coriaceis e basi inaequali-rotundatâ ovato- v. elliptico-oblongis ($3\frac{1}{2}$—6 poll., $1\frac{1}{2}$—2 poll.

lat., pet. $\frac{1}{2}$ poll.) obtuse acuminatis in axillis venarum infimarum subtus glandulâ perforatâ utrinque ramulisque glabris. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 75. — *Sangal* et resina vitrea hujus arboris *Njating mata-pusa* s. *Njating pleppek* ab indigenis nominata. — In Borneo.

96. Hopea sericea Bl.: foliis chartaceis e basi obtusâ v. acutiusculâ ellipticis (2—3$\frac{1}{2}$ poll., 1—1$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 3—4 lin.) cum acumine obtuso in axillis venarum subtus pubescentibus supra in nervo medio ramulisque sericeo-velutinis. — *Dryobalanops? sericea* Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 72. — In Borneo.

97. Hopea Tangili Bl.: foliis membranaceis ovato-oblongis glabris. — *Mocanera Polysperma* Blanco *Flor. Filip.* 448. — *Tangili* indig. — In Philippinis.

Subord. **Pterygieae.**

DIPTEROCARPUS Gaertn. fil. Calyx tubo libero, denique aucto; limbi quinquefidi laciniis tribus brevioribus, duabus oppositis elongatis, increscentibus, praefloratione valvatis. Corollae hypogynae petala 5, praefloratione convolutiva, basi latâ subcohaerentia, superne inaequilatera, patentia. Stamina hypogyna, plurima, subbiseriata; filamenta brevia, basibus dilatatis distincta v. cohaerentia; antherae biloculares, aequivalves, elongatae, sagittato-lineares, connectivo producto cuspidatae. Ovarium liberum, triloculare, loculis biovulatis. Ovula ex apice anguli centralis collateraliter pendula, anatropa. Stylus filiformis, simplex; stigma simplex v. obsolete tridentatum. Nux lignosa, calycis tubo aucto inclusa, ejusque laciniis tribus brevibus, duabus foliaceo-auctis cincta, abortu monosperma. Semen inversum, chalazâ cum fundo nucis concrescente situm erectum mentiens. Embryon exalbuminosum, orthotropum; cotyledonibus maximis, carnosis, contortuplicatis; radiculâ cylindricâ, superâ, paululum prominente. — Arbores Asiae tropicae, excelsae, resinifluae; foliis alternis, integerrimis v. repando-crenatis v. serratis, costato-venosis; stipulis saepius majusculis, in apice ramorum convolutis, post lapsum cicatricem circularem relinquentibus; floribus axillaribus, racemosis, speciosis, albis, rubro tinctis, odoratissimis.

98. Dipterocarpus vernicifluus Bl.: foliis lato-lanceolatis firmis subtus villosis. — *Mocanera Verniciflua* Blanco *Flor. Filipp.* 450. — *Panao* s. *Balao* s. *Malapaho* indig. — In Philippinis.

99. Dipterocarpus Blancoi Bl.: foliis lato-ovatis obsolete obtuse serratis (s. crenatis?) glabris; calycis laciniis majoribus in fructu lanceolatis. — *Mocanera grandiflora* Blanco *Flor. Filipp.* 451. — *Apiton* s. *Hapiton* indig. — In Philippinis.

100. Dipterocarpus quinquegonus Bl.: foliis e basi rotundatâ ovatis ovalibusve (5—8 poll., $2\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1 poll.) obtusiusculis repandis coriaceis supra glabris subtus in nervo medio et costis appresse puberulis; gemmis subulatis ramulisque glabriusculis; calyce imâ subquinquegono. — *D. Hasseltii* (haud Bl.) Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 65. — A *D. Hasseltii* foliis basi haud cuneato-obtusis sed rotundatis subtusque in nervis pubescentibus satis distinctus. — In Borneo.

101. Dipterocarpus Baudii Korth.: foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ ovatis ovalibusve (4—10 poll., $2\frac{1}{4}$—$6\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1—$1\frac{2}{3}$ poll.) acutis v. cum acumine brevi obtuso margine repandis subtus pube stellari sericantibus et in nervo medio et costis gilvo-strigosis; gemmis cylindraceis obtusis et ramulis petiolisque stellato-hirsutis; calycis fructiferi laciniis majoribus lineari-oblongis obtusis. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 59. — In Sumatrâ.

102. Dipterocarpus tampurau Korth.: foliis e basi subcordatâ ovali-oblongis (5—8 poll., 2—$3\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 8—10 lin.) acutis v. breviter cuspidatis integerrimis utrinque sed praesertim in nervo medio et ad marginem petiolisque stellato-hirsutulis; gemmis cylindraceis obtusiusculis ramulisque stellato-hirsutis; calycis fructiferi laciniis majoribus lineari-oblongis obtusissimis v. retusis. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 63. — *Tampurau* ind. — In Borneo.

Species non satis cognitae.

103. Dipterocarpus elongatus Korth.: foliis e basi subcordatâ ellipticis v. oblongo-ellipticis ($1\frac{1}{4}$—2 ped., $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ ped. lat., pet. $\frac{2}{3}$—1 poll.) acuminatis repandis chartaceis supra glabris subtus in nervo medio (supra plano) et costis appresso-pubescentibus; gemmis cylindraceis obtusis ramulisque pilis penicillatis fuscis stuppeis v. dense tomentosis. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 62. — In Borneo.

104. Dipterocarpus validus Bl.: foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ ellipticis (1—2 ped., 7—11 poll. lat., pet. 2—$2\frac{1}{2}$ poll.) acutis v. obtuse apiculatis repandis coriaceis firmis transverse plicatis glabris v. in nervo medio (supra convexiusculo) utrinque et costis subtus appresso-pubescentibus; gemmis cylindraceis obtusis ramulisque pilis penicillatis stuppeis. — In Borneo.

105. Dipterocarpus oblongifolius Bl.: foliis e basi obtusâ oblongis v. elliptico-oblongis (6—9 poll., $1\frac{3}{4}$—3 poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—1 poll.) obtuse acuminatis repandis coriaceis glabris. v. in nervo medio et venis subtus appresso-pubescentibus; gemmis cylindraceis obtusiusculis ramulisque fusco-tomentosis. — In Borneo.

106. Dipterocarpus balsamifer Bl.: foliis e basi obtusâ v. subcordatâ oblongis (8—11 poll., $2\frac{1}{3}$—4 poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$1\frac{3}{4}$ poll.) obtuse acuminatis subrepandis chartaceis supra glabris subtus in nervo medio et venis appresso-pubescentibus; gemmis subulatis ramulisque glabris. — In Borneo.

107. Dipterocarpus fulvus Bl.: foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ ellipticis lanceolatisve (4—8 poll., 1—$3\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—1 poll.) breviter acuminatis subintegerrimis coriaceis, junioribus utrinque villosiusculis, adultis supra glabris subtus stellato-tomentosulis et in nervo medio et venis fusco-hirsutis; gemmis conicis obtusis ramulisque fulvo-villosis. — An a *D. vernicifluo*, qui mihi solummodo ex descriptione V. Cl. Blanco notus, satis distinctus? — In Philippinis a divo Perrottet lectus.

108. Dipterocarpus marginatus Korth.: foliis e basi obtusâ v. retusâ oblongis v. elliptico-oblongis ($5\frac{1}{2}$—11 poll., 2—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1—$1\frac{1}{2}$ poll.) cuspidatis integerrimis subtus stellato-puberulis et in nervo medio costis petiolisque fusco-tomentosis, junioribus margine villosiusculis; gemmis cylindricis obtusis ramulisque villosis. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 64. — In Borneo.

DRYOBALANOPS Gaertn. fil. Calyx tubo libero, deinde aucto; limbi quinquepartiti laciniis aequalibus, omnibus increscentibus, praefloratione valvatis. Corollae hypogynae petala 5, ovato-lanceolata, aequilatera, basi coalita. Stamina hypogyna, plurima; filamenta brevissima, basi latâ in annulum coalita; antherae biloculares, aequivalves, elongatae, sagittato-lineares, mucrone membranaceo connectivi apiculatae. Ovarium liberum, triloculare, loculis biovulatis. Stylus filiformis, simplex; stigma obtusum. Capsula calycis tubo cupulari semiimmersa, ejusque laciniis quinque aequalibus foliaceo-auctis cincta, sublignosa, unilocularis, trivalvis, monosperma. Semen inversum. Embryi exalbuminosi orthotropi cotyledones maximae, carnosae, inaequales, contortuplicatae; radiculâ crassâ, superâ. — Arbor insulas Sumatra et Borneo incolens, procera, camphorifera; foliis alternis, integerrimis, coriaceis, tenuiter divergenti-costatis; stipulis lateralibus, geminis, liberis, subulatis, fugacibus; floribus axillaribus et terminalibus, subpaniculatis.

Obs. Genus hoc, ut ad *Dipterocarpum* Gaertn. fil. florum fabricâ accedit, ita vegetatione ab eo foliis per venas tantum teneras crebras parallelas divergentes percursis et stipulis liberis distinguitur, fructificatione autem calycis laciniis quinque aequaliter increscentibus fructuque capsulari. *Dryobalanops sericea* Korth. magis cum *Hopeâ* Roxb. convenit et foliaturâ, et eo quod in paginâ aversâ foliorum in venarum axillis impressiones pubescentes cernuntur.

109. Dryobalanops aromatica Gaertn. fil. *Suppl. Carpol.* 49. tab. 186. Bl. *Flor. Jav. Dipterocarpeae* 6 in Annot. — *Dryobalanops Camphora* Colebr. in *Asiat. Research.* XII. 536 cum tab. Jack. in *Mal. Miscell.* et in Hook. *Comp. Bot. Mag.* I. 264. Hayne *Arzn. Gew.* XII. tab. 18. Korth. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 68. De Vriese in *Ned. Kruidk. Arch.* III. 38 cum tab. — *Dipterocarpus Dryobalanops* et *Dipterocarpus teres* Steud. *Nomencl. bot.* (ed. 2ª) I. 518. — *Shorea camphorifera* Roxb. *Flor. Ind.* II. 616. 2. — *Pterygium teres* Correa in *Ann. Mus.* X. 159. tab. 8. fig. 1. — *Laurus* species Macdonald in *Asiat. Research.* IV. 1. — *Kamfer van Borneo* Houttuyn *Nat. Hist.* II. 2. 341. — *Laurus foliis ovalibus, acuminatis, lineatis; floribus magnis Tulipaceis* Houttuyn in *Verh. Holl. Maatsch. Wet.* XXI. 272. tab. 8. — *Camphorâ* v. potius *Caphura Baros* de Jager Epist. ad Rumph. (1683) in M. B. Valent. *Ind. lit.* 390. — *Arbor Camphorae* Grimm. in *Ephem. Nat. Cur. Dec.* II. 371. fig. 33. — *Camphora Sumatrensis* W. ten Rhyne in J. Breyn. *Prod.* 9. — *Arbor Camphorifera* W. ten Rhyne in J. Breyn. *Pl. exot. Cent.* I. App. 110. A. Sylvius in M. B. Valent. *Ind. lit.* 488. tab. 7. M. B. Valent. *Hist. Simpl. ref.* 250. F. Valent. *Oud en Nieuw Oost-Ind.* III. 212. Rumph. *Herb. Amb. Auct.* 68. — *Caphura de Borneo* M. Slado in Boccone *Rech. et Obs. Nat.* et in J. Breyn. *Pl. exot. Cent.* I. 16. — Operae pretium videtur, Synonyma hujus arboris, de quibus jam in *Florâ Javae*, cum de *Dipterocarpeis* 6 agerem, quaedam dixi, hoc loco accuratius exponere. Nam si nostrâ saepius aetate violatur jus prioritatis nominum systematicorum, quam injuriam quicunque Scientiae amabili bene cupit vindicare conabitur, vulgo hoc ignorantiae aut negligentiae eorum, quae in *Philosophiâ botanicâ* Vir immortalis Linneus constituit, videtur tribuendum. Quantopere enim, ut e multis exemplum afferam, legibus Botanices repugnet *Dryobalanopem aromaticam* Gaertn. fil. *Dr. Camphorae* postea a Colebrooke V. Cl. notatae Synonymum vel dubitanter adjungere, intelliget quisquis illum summi Doctoris librum cognoverit, id quod ab omni auctore botanico jure videtur postulari. Genus hoc, ut notum est, constituit Gaertner filius, characteribus sane e fructu tantum desumtis, sed hinc jure stirpi quoque, cujus illi fructus essent, nomen specificum tribuere illi licebat, nam „nomen „omne plantarum constabit nomine generico et specifico" (Linn. *Phil. bot.* § 212). Quodsi Generis alicujus una tantummodo Species, ut hic, nota est, characteres Specierum vel specifici, quod nonnulli volunt, prodi nequeunt, idque tum demum licebit, quum plures reperientur Species eidem Generi annumerandae. Cf. *Phil. bot.* § 293, ubi haec habet Linneus: „ubi nulla differentia specifica ad plantam nominatam, ibi praesupponitur „in genere non nisi unicam speciem esse detectam." Sequitur eum, qui Genus *Dryobalanopem* Gaertn. fil. agnoscit, ne Specierum quidem posse recusare nomina, quae, quod primum innotuerunt, profecto retinenda sunt. Jam si stirpem a se exploratam aliam existimaret esse Speciem, indicare debuisset Colebrooke V. Cl, quibus rebus a *Dr. aromaticâ* Gaertn. fil. distingueretur. „Nomen specificum imponat, qui novam „adinvenerit speciem, si modo necesse sit tale. Qui novam detegit speciem,

″ addat et non modo ejusdem differentiam, sed et in congeneri vel congene-″ ribus differentias augeat, ut distinguantur in posterum species sufficienti differentiâ.” (Linn. *Phil. bot.* § 294). Quum autem non indicaverit Colebrooke V. Cl., quatenus *Dr. Camphora* ejus a Specie Gaertnerianâ differat, neque porro aut patriae falso ei attributae, aut eorum, quae addit, ″ in ″ hac arbore genuinum eumque pretiosissimum corticem Cinnamomi innasci ″ perhibent,” ulla sit habenda ratio, sequitur addubitari posse, an reverâ a *Dr. aromaticâ* differat, ut adeo aut Species dubia habenda, aut synonymum *Dr. aromaticae* accensenda sit. Differentias quidem nonnullas in figuris laudatis conformationis et fructuum et foliorum jam in *Florâ Javae l. c.* indicaveram, sed has nonnisi diverso maturitatis stadio fructuum depictorum aut aetati arboris, cujus folia fuerint decerpta, esse tribuendas accuratior me docuit exploratio. Habemus fructum ex Herbario Houttuyn nostri, quem ei e Sumatrâ miserat Radermacher V. Nob., figurae Gaertner. fil. e collectione V. Nob. Banks plane congruum. Hic non e Zeylaniâ, ut prodit Gaertner V. Cl., sed procul dubio e Sumatrâ oriundus est; nam fructus illos Banks V. Nob. nactus est a V. Cl. Macdonald, cujus in *Asiat. Researches* IV gravissima de Camphorâ sumatranâ est disputatio. Hanc, quicunque rationem colligendi ex illâ arbore Camphoram et oleum Camphorae cognoscere velit, ut legat, non satis suadere possumus, utpote a viro ejus rei peritissimo scriptam. Pauca inde in medium proferemus. Camphora haec, ut jam veteres prodidere scriptores, non ut ille e *Camphorâ officiniarum* J. Bauh. (s. *Lauro Camphorâ* Linn.) artis adminiculo per ignem extrahitur, sed nativâ matrice ligno prodit, cujus in fissuris et lacunis longitudinalibus in arboribus provectioris aetatis, quarum truncus 2 vel 3 pedes diametro non excedit, tam exiguâ subinde copiâ concreta deposita est, ut singulae arbores raro plus tres libras vulgares (s. $1\frac{1}{2}$ ℔ Neerl.) pondo proferant. His autem major insuper continetur copia olei essentialis (*Mienjak kapur* s. *Kapur muda* indigenarum), quae Camphora liquida imperfecta est habenda. Itaque junioribus arboribus Camphorae concretae ne vestigium quidem oleique Camphorae nonnisi exigua copia continetur. Camphora haec, nomine *Kapur-Baros* (*Cáfúr* Arabice; *Kafur Khansuri* Persice; *Kapúra* s. *Kampúra* Sanscritice) cognita, quia plerumque e *Baros* in orâ occidentali Sumatrae partim per *Atsjin* (s. *Atsin* v. *Achin*), partim per *Padang* exportatur, minus pellucida est, odore haud ita penetrante caput stimulante, sed magis balsamico, nec sane tam volatilis quam Camphora vulgaris, quae e Sinâ et Japoniâ advehitur. Ob magnum, quo constat, pretium nunquam in foris nostris venalis fuit; in Sinâ (*) vero praesertim, atque etiam in Japoniâ, Co-

---

(*) Quae Crawfurd V. Cl., *Hist. of Ind. Arch.* III. 418, de hac merce refert, haec sunt: »Mercis hujus aestimatio pendet a pretio arbitrario, quod ei tribuunt »Sinenses, et ab exiguâ ejus, quam natura gignit copia. Libra 16 unciarum (*avoir-du-pois*) »optimi generis in Sinâ vulgo venalis est ingenti pretio fere $18\frac{75}{100}$ Imperialium Hisp. »sive Libr. Sterl. 4,4 s., $4\frac{1}{2}$ d.” (in *Voyage en Chine* Hausmann. Paris. 1848. III. 203. anno 1844 in urbe Canton librae $1\frac{1}{4}$ s. Catty pretium est 30 Imper. Hisp., quod Kaempferi aetate in Japoniâ erat Libr. Sterl. 11) »quum Camphora japonica, quae ab »eâ differre non videtur atque alio quovis loco pariter aestimatur, parte 78 hujus pretii »vendatur, scilicet 1 s., 1 d. in singulas libras.” — Copia hujus mercis media, quae quotannis exportatur, circiter 6200 librarum vulgarium pondo est, quarum Bataviam per Padang 1200 librae, per Atsjin 2000, et ex Borneo 2000 maxime in Sinam, quarum omnium pretium in loco fere 130000—150000 florenorum est.

chinchinâ et in Persis valde adhuc expetitur, quod eo magis mirandum, quod pretium ejus illic septuagies vel centies et ultra tantum, quantum Camphorae vulgaris esse solet, in Sumatrâ vero et Borneo libra vulgaris (s. ½ ℔ Neerl.) 22—30 florenis constat. Medici enim Sinenses, qui Camphoram suam, propter stimulum vehementem tumultuarium, tamquam ad usus internos noxiam spernunt, Camphorae-*Baros* sedandi et systema nervorum corroborandi virtutem tribuunt eamque utiliter maxime adversus febres malignas adhibent. Oleo quidem Camphorae ipse saepius optimo successu in frictionibus usus sum ad sanandam affectionem catarrhalem maxime importunam, cum rigore et torpore membrorum conjunctam et nomine *Berri-berri* notam, in quâ alia nihil aut parum efficiebant stimulantia. — Itaque haud mirum, si jam olim hanc arborem et mercem tanti pretii, quanti Camphoram istam, attentione suâ nationes mercaturae studentes sint dignatae. Jam antiquissimi peregrinatores illi duo, alter anonymus, alter Abou-Zeyd-Hassan Alsîrâfî, qui saeculo nono in mediterraneis Indiae ad Sinam usque penetraverunt, Camphoram sumatranam, tamquam plane singularem, laudibus extollunt (Cf. Renaudot *Anciennes Relations des Indes et de la Chine de deux voyageurs Mahométans etc.* 1718). Auctoribus Avicennâ, Ishak Ibn Amrān et Abou'l-féda, optima e Sumatrae portu *Fansur* advehitur. In libro geographico Qazvînii anni 1275 de eâ haec leguntur: „Fançur (s. potius *Pantsur* v. *Pansur*) regio in Indiâ, unde „Camphora Fançurica exportatur omnium optima. Camphoram dicunt „frequentem esse in annis, in quibus tonitrua, fulgura et terrae motus „sunt; quae si rariora sunt, etiam Camphora paucior invenitur." — Camphorae Abdorráchîd Baqûi Javam, Scherifa Idrisi Sobormam (Borneo) insulam patriam esse tradunt. Graecis demum e Persarum Arabumve scriptis videtur innotuisse, siquidem in opusculo a Symeone Seth saeculo undecimo conscripto, de virtutibus alimentorum (πεϱὶ τϱοφῶν δυνάμεων) legitur, καφουϱὰν succum esse concretum arboris magnae in Indiâ, cujus umbrâ vel centum homines contegantur, cet. Idem refert scriptor arabs Qazvînius in libro laudato anni 1275, de magnâ insulâ *Zábig* (v. potius *Zâbedj*, quo titulo scriptis Arabum Sumatra et quoque Java intelligitur) in confinio Sinarum ad Indiam vergentium agens: „ex ejus mirabilibus sunt „arbores Camphorae, valde magnae ita ut centum homines vel plus obum„brare possint. Perforatur suprema arbor, inde profluit Camphora liquida, „quâ plures compleri possunt lagenulae; tum inferior pars in mediâ arbore „transfigitur, unde particulae Camphorae decurrunt, quae gummi arboris „efficiunt, praeter id, quod in ejus interiori est. Quibus inde sumptis „arbor exarescit." Neque omittendum silentio, Marcum Polum quoque, celeberrimum peregrinatorem Venetum, qui saeculo decimo tertio exeunte in patriam e Sinâ rediens Sumatram attigit, arboris Camphorae sumatranae mentionem fecisse et inter alia Camphoram Venetias attulisse. Itaque antequam Lusitani aliaeque gentes Europaeae ad Indiam orientalem navigarant, jam arbor haec cum merce per Orientem celeberrimâ nota erat: quapropter quae de eâ retulerunt Boccone, Grimm, W. ten Rhyne, A. Sylvius, F. Valentyn, Rumphius, Houttuyn, alii, silentio praetermitto, quorum scripta, etiamsi argumentum illud satis illustrarunt, nihil tamen docent de organis fructificationis, quae, ut arbori ordinem suum tribuat, imprimis novisse botanici interest. Quum enim vulgo notum esset, Camphoram venalem e *Lauro* gigni, porro arboris Canelliferae zeylanicae (id est, *Cinnamomi Zeylanici* s. *Lauri Cinnamomi* Linn.) radices et folia similiter destillatione Camphoram praebere, hinc ultro Camphoram-

Baros quoque e *Lauro* gigni credebant, quamquam fructus alatus ejus arboris huic sententiae repugnabat. Itaque accuratam ejus cognitionem demum Gaertner filio, Colebrooke atque maxime Jack debemus, qui primus florum ejus fabricam exposuit, unde reliquarum omnium *Dipterocarpearum* manifesto typus elucet. Arbor procera, auctore John Prince, ex altissimis maximisque arboribus, quae in Battarum agro orae occidentalis Sumatrae gignuntur, ad summam aetatem perveniens. Truncus strictus, columnaris, diametro saepe 6—8 ped., ut jam Rumphius tradidit, ad basin expansionibus laminaribus viri altitudine, cortice griseo fisso vernicoso obtectus, superne coronam latam ramorum divaricatorum haud ita multorum efformans. Ramuli teretes, rubiginosi, vulgo latere solis lumini adverso veluti crustâ pertenui griseâ resinosâ obducti, glabri, novissimi tenerrimique lineis ab insertione stipularum inde decurrentibus obsolete angulati. Folia alterna, arborum juniorum, quarum, quum in Javâ degerem, in horto botanico apud Buitenzorg nonnullas ex Sumatrâ nacti eramus, majora formâque magis ellipticâ quam adultiorum (nempe 3—$4\frac{3}{4}$ poll., $1\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{4}$ poll. lata, petiolis 3—5 lin.) in cuspidem obtusam contracta, basi acutiuscula, margine subrecurva, nervo intermedio utrinque, sed subtus magis, prominente, venis numerosis parallelis divergentibus tenuibus paginae superiori obscure viridi nitidae impressis, in dorsali griseo-virente parce furfuraceis paululum prominentibus. Quaedam novae stirpis folia jam in eandem formam abeunt, quae vulgo in adultis cernitur arboribus, quarum minora lanceolato-ovata, et apice aeque cuspide obtusâ constrictâ terminata. Stipulae ad basin petiolorum laterales, geminatae, lineari-subulatae, glabrae, fugacissimae. Flores in axillis foliorum superiorum specie paniculae dispositi. Calyx tubo brevi, cupulari; limbo quinquepartito, laciniis lineari-oblongis, obtusis, foliaceo-excrescentibus. Corolla calyce longior, quinquepetala, decidua; petalis ovato-lanceolatis, basi inter se et cum annulo staminifero cohaerentibus. Stamina hypogyna, plurima; filamenta brevissima, basi latâ in annulum connata; antherae erectae, conniventes, basi cordatâ elongato-lineares, biloculares, aequivalves, cuspide membranaceâ connectivi apiculatae. Ovarium ovoideum, triloculare, loculis biovulatis. Stylus stamina aliquantum superans, filiformis, stigmate obtusiusculo. Capsula ovoidea, sublignosa, fusca, stylo mucronata, basi calycis auctae et insigniter incrassatae hemisphaericae extus tuberculato-gibbae insidens ac laciniis ejus quinque spathulato-oblongis obtusis erecto-patentibus rigidis nervosis inter nervos areolatis imâ sinu rotundato disjunctis alaeformibus rubro-fuscis cincta, trivalvis, monosperma. Quod ad seminis structuram, lectorem ad librum Gaertner filii V. Cl. relegatum volumus. — Auctore Jack V. Cl., in Sumatrae orâ occidentali in Battarum agro, qui per gradum et dimidium ad septentriones protenus ab Aequatore extenditur; in Borneo sub eodem fere latitudinis parallelo, atque, ut idem suspicatur, in vicinis Singapura et Johore.

ANISOPTERA Korth. Calyx tubo inferne cum ovario connato, deinde aucto; limbo supero, quinquefido, laciniis primum subaequalibus, dein excrescentibus, duabus oppositis denique maximis, praefloratione valvatis. Corollae petala 5, calycis tubo superne inserta, oblonga, subaequilatera, praefloratione convolutiva, per anthesin patentia. Stamina 25 v. plurima, disco epigyno inserta, bi- v. quadriseriata; filamenta brevia, filiformia;

antherae biloculares, inaequivalves, cordato-oblongae, obtusae, connectivo in cuspidem setaceam producto. Ovarium semiinferum, triloculare, loculis biovulatis: Ovula ex apice anguli centralis collateraliter pendula, anatropa. Stylus crassus, conicus; stigma trifidum. Nux coriacea, calycis tubo aucto innata, ejusque laciniis excrescentibus superata, abortu monosperma. Semen inversum. Embryon exalbuminosum, orthotropum; cotyledonibus maximis, crassis, inaequalibus, conferruminatis; radiculâ tereti, superâ. — Arbores Archipelagi indici et Moluccarum, procerae, resiniferae; foliis alternis, coriaceis, integerrimis, venosis; stipulis parvis, deciduis; floribus axillaribus et terminalibus, paniculatis, parvis, albidis.

110. Anisoptera marginata KORTH.: foliis ovalibus v. ovali-oblongis (2—$3\frac{1}{2}$ poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 4—6 lin.) acutiusculis v. obtusis basi rotundatis v. subcordatis venosis glabris; floribus sub-25-andris. KORTH. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 66. tab. 6. fig. 1^a—13^a. — In Borneo.

111. Anisoptera polyandra BL.: foliis ovalibus v. ovali-oblongis (2—6 poll., 1—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) acutiusculis v. obtusis basi rotundatis v. subcordatis venosis glabris; floribus polyandris. — *Dipterocarpus parviflorus* et *D. microcarpus* Herb. ZIPP. — In novâ Guineâ.

112. Anisoptera costata KORTH.: foliis ovalibus v. ovali-oblongis ($3\frac{3}{4}$—7 poll., $1\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—1 poll.) acutis v. breviter acuminatis basi rotundatis v. subcordatis rarissime acutiusculis supra glabris subtus costato-venosis et furfuraceo-puberulis; floribus sub- 25-andris. KORTH. in *Verh. nat. Gesch. bot.* 67. — In Borneo.

Species adhuc dubiae.

113. Anisoptera thurifera BL.: foliis ovato-oblongis glabris; floribus paniculatis terminalibus polyandris. — *Macanera Thurifera* BLANCO *Flor. Filip.* 446. — *Sandana* s. *Lavaan* indig. — In Philippinis.

114. Anisoptera Plagata BL.: foliis lanceolatis glabris firmis in axillis venarum subtus glandulosis; floribus in racemis axillaribus ramosis polyandris. — *Mocanera Plagata* BLANCO *Flor. Filip.* 447. — *Jakal* s. *Sapolongan* indig. — In Philippinis.

Ord. **Urticaceae** (*).

PILEA Lindl. Flores monoici rarius dioici, masculi et feminei saepissime in eodem glomerulo, bracteati. Masc. Perigonium quadripartitum, laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum minutissimum. Fem. Perigonium triphyllum v. tripartitum, saepius inaequale, foliolo uno majori, cucullato, duobus collateralibus minoribus. Staminodia 3, perigonii foliolis opposita, plerumque minutissima. Ovarium liberum, subobliquum, uniloculare. Ovulum unicum, basilare, orthotropum. Stigma sublaterale, sessile, penicillatum s. villosiusculum. Caryopsis saepe inflata, perigonii foliolis carnosulis cincta, laevigata v. tuberculata. Semen erectum. Embryon in axe albuminis carnosi inversum, rectum; cotyledonibus plano-convexiusculis; radiculâ brevi, superâ. — Herbae v. suffrutices tropicae et subtropicae; foliis oppositis v. interdum subverticillatis, sessilibus v. saepius longe petiolatis, stipulatis, integerrimis v. dentatis, glabriusculis v. pilis fusiformibus adnatis obsitis; floribus in capitulis v. glomerulis, saepe corymbosis v. paniculatis, axillaribus v. terminalibus.

Obs. Genus naturae valde congruum, quo pleraeque Species *Urticae* auctorum e regionibus tropicis vel subtropicis foliis oppositis, pilis non urentibus, referendae. Hae majorem partem glabrae, at praesertim folia striolis vix saepe conspicuis, a pilis tenerrimis fusiformibus adnatis, conspersa. Perigonium femineum trinis constat foliolis, ex quibus collateralia plerumque minora, majus vero lateri ovarii paulo breviori obversum magis cucullatum; sed in quibusdam Speciebus haec foliola inter se aequalia, rarissime, ut in *P. petiolari*, in cupulam ore tridentatam unita. In Speciebus, quas exploravi, in floribus femineis semper staminodia inveni minus magisve perspicue evoluta. Praeter allatas, fieri potest, ut etiam sequentes huc referendae sint, id quod accuratiori florum femineorum examine dijudicandum, nempe: *U. cellulosa* Spr., *U. leptophylla* Humb. et Bonpl., *U. convexa* Hornem., *U. collina* Berter., *U. variegata* Spr., *U. Mutisiana* Spr., *U. floribunda* Humb. et Bonpl., *U. punctata* Humb. et Bonpl., *U. arguta* Humb. et Bonpl., *U. procera* Mühlenb., *U. chamaedryoides* Pursh.

(*) Ordini huic amplissimo, cujus ob flores minutissimos difficillima est investigatio, peculiare studium adhibuit Gaudichaud V. Cl., cujus fructus libro saepius mihi laudato nempe Freycinet *Voyage autour du monde Part. Botanique*, continentur. Dolendum vero pleraque e Generibus ab eo propositis non in eodem libro imaginibus esse illustrata, quibus ea dignoscere jam olim facilius fuisset. Hanc tamen nuper lacunam Vir de re botanicâ optime meritus explevit plurimis iisque egregiis figuris in opere splendidissimo: *Voyage autour du monde sur la* Bonite *Part. Botanique*, et nos praecipue quod ad Genera Florae indicae propria, quantum poterimus, explere conabimur. Creberrimis autem investigationibus persuasum nobis est discrimini generico earum stirpium haud sane magni pretii characteres exhibere flores masculos, qui in omnibus gravioribus rebus magnopere congruant; at femineos cum perigonio, tum praesertim conformatione et situ stigmatis non solum constantes, sed et dijudicatu facillimos praebere characteres genericos, in fructu saepe adhuc superstites, quapropter ad horum fabricam imprimis attendimus.

115. Pilea muscosa Lindl.: herbacea, suberecta; foliis oppositis obovatis v. obovato-ellipticis ovatisve (2—3 lin., 1—2½ lin. lat., petiolo ½—1 lin.) obtusis v. mucronulatis subintegerrimis carnosulis supra pilis adnatis conspersis; capitulis pedunculatis axillaribus. Lindl. *Collect.* tab. 4. — *Drubrueilia serpilifolia* Gaudich. in Freycin. *Voyag. bot.* 495. — *Urtica serpyllacea* Humb. et Bonpl. II. 37. Kunth. *Syn. Plant. Orb. Nov.* I. 373. 1. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 28. — *Parietaria prostrata* Spr. *nov. prov.* — *Parietaria serpyllifolia* Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 16. 9. — In Indiâ occidentali.

116. Pilea thymifolia Bl.: herbacea, procumbens; foliis oppositis subrotundis v. obovato-orbiculatis obtusis obsolete crenulatis carnosulis supra pilis adnatis obsitis; umbellis geminis pedunculatis. — *Urtica thymifolia* Humb. et Bonpl. II. 37. Kunth. *Syn. Plant. Orb. Nov.* I. 373. 2. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 29. — Praecedenti proxima, sed omnibus partibus minor. — In Novâ Granadâ.

117. Pilea callitrichoides Bl.: herbacea, erecta; foliis oppositis obovato-oblongis obtusis basi cuneatis obsolete crenatis subcarnosis supra pilis adnatis striolatis; floribus glomerato-umbellatis. — *Dubrueilia callitrichoïdes* Gaudich. *l. c.* — *Urtica callitrichoides* Humb. et Bonpl. II. 40. Kunth. *Syn. Plant. Orb. Nov.* I. 375. 9. Spr. *Syst. Veg.* III. 843. 109. — In Novâ Andalusiâ.

118. Pilea microphylla Bl.: herbacea, ascendens; foliis oppositis subsessilibus ovatis v. subrotundis oblongisve utrinque acutiusculis integerrimis glabris; floribus aggregatis. — *Dubrueilia microphylla* Gaudich. *l. c.* — *Urtica microphylla* Swarz *Act. Holm.* (1787) 67. Ejusd. *Prodr.* 37. Ejusd. *Flor. Ind. occ.* I. 305. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 359. 41. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 26. — *Parietaria microphylla* Linn. *Amoen. acad.* V. 412. Ejusd. *Spec. Plant.* 1492. Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 16. 8. — *Urtica humilior disticha diffusa compressa oblique assurgens, foliolis minimis.* Brown *Jam.* 336. 4. — *Herniaria lucida, aquatica* Sloan. *Jam.* 50. *Hist.* I. 145. tab. 93. fig. 2. — In Indiâ occidentali.

119. Pilea herniarifolia Bl.: herbacea, radicans, diffuse ramosa; foliis oppositis v. terminalibus quaternis obovato-subrotundis obtusis integerrimis glabris; floribus terminalibus aggregatis. — *Urtica herniarifolia* Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 359. 40. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 25. — *Urtica Herniarioides* Swartz *Act. Holm.* (1787) 65. tab. 2. fig. 1. Ejusd. *Prodr.* 36. *Flor. Ind. occ.* I. 309. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 220. 60. — In Indiâ occidentali.

120. Pilea trianthemoides Bl.: herbacea, erecta; foliis petiolatis oppositis (alternis majoribus) cuneato-oblongis obtusis integerrimis enerviis striolatis glabris lucidis; glomerulis confertis axillaribus subsessilibus. — *Urtica trianthemoides* Swartz *Act. Holm.* (1787) 68. Ejusd. *Prodr.* 37. *Flor. Ind. occ.* I. 307. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 359. 42. — Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 220. 59. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 27. — In Indiâ occidentali.

121. Pilea nudicaulis Bl.: herbacea, erectiuscula; foliis breviter petiolatis subterminalibus oppositis oblongis v. ovato-oblongis acuminatis integerrimis trinerviis glabris nitidis; racemis axillaribus v. lapsu foliorum lateralibus brevibus. — *Urtica nudicaulis* Swartz *Act. Holm.* (1785) 36. ibid. (1787) 71. Ejusd. *Prodr.* 35. *Flor. Ind. occ.* I. 311. Lam. *Enc. bot.* IV. 645. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 356. 27. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 220. 57. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 23. — In Indiâ occidentali.

122. Pilea stolonifera Bl.: acaulis v. subcaulescens stolonifera; foliis longissime petiolatis oblongis acuminatis serrulatis nervosis pubescentibus; stipulis oblongis integris; pedunculis terminalibus elongatis, floribus masculis capitatis, femineis subcorymbosis. — *Urtica stolonifera* Swartz *Act. Holm.* (1787) 62. Ejusd. *Prodr.* 36. *Flor. Ind. occ.* I. 296. Lam. *Enc. bot.* IV. 645. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 355. 26. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 219. 56. Spr. *Syst. Veg.* III. 840. 65. — In Indiâ occidentali.

123. Pilea rugosa Bl.: herbacea, erecta; foliis oppositis oblongis obtusis trinerviis acute serratis rugosis supra glabriusculis subtus in nervis venis petiolisque hirsutis; stipulis ovatis; racemulis terminalibus brevibus. — *Urtica rugosa* Swartz *Act. Holm.* (1787) 60. Ejusd. *Prodr.* 35. *Flor. Ind. occ.* 293. Lam. *Enc. bot.* IV. 645. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 355. 24. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 219. 54. Spr. *Syst. Veg.* III. 840. 64. — In Indiâ occidentali.

124. Pilea portulacina Bl.: herbacea, radicans, ascendens; foliis oppositis subrotundis crassiusculis integerrimis glaberrimis, alternis majoribus; floribus terminalibus aggregatis. — *Urtica portulacina* Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 24. — In Indiâ occidentali.

125. Pilea nummularifolia Bl.: herbacea, repens; foliis oppositis orbiculatis crenatis hirsutis; floribus terminalibus confertis. — *Urtica nummularifolia* Swartz *Act. Holm.* (1787) 63. tab. 1. fig. 2. Ejusd. *Prodr.* 36. *Flor. Ind. occ.* I. 301. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 358. 38. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 221. 63. Spr. *Syst. Veg.* III. 841. 69 (excl. Syn. *U. hederaceae* Poir.). — In Indiâ occidentali.

126. Pilea hederacea Bl.: herbacea, repens; foliis oppositis ovato-subrotundis basi subtruncatis crenulatis imprimis in nervis petiolisque pilis raris obsitis; umbellulis longe pedunculatis axillaribus. — *Dubrueilia hederacea* Gaudich. *l. c.* — *Urtica hederacea* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 642. 29. — In Indiâ occidentali.

127. Pilea depressa Bl.: herbacea, repens; foliis oppositis subrotundis v. obovato-subrotundis crenatis glabris; floribus terminalibus confertis. — *Urtica depressa* Swartz *Act. Holm.* (1787) 64. Ejusd. *Prodr.* 36. *Flor. Ind. occ.* I. 303. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 359. 39. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 221. 64. Spr. *Syst. Veg.* III. 839. 50. — In Indiâ occidentali.

128. Pilea repens Bl.: herbacea, repens; foliis oppositis subrotundo-ovatis ovalibusve obtuse serratis supra glabris subtus hirsutulis; capitulis solitariis geminisve axillaribus pedunculatis. — *Urtica repens* Swartz *Act. Holm.* (1787) 61. tab. 1. fig. 1. Ejusd. *Prodr.* 35. *Flor. Ind. occ.* I. 294. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 355. 25. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 219. 55. Spr. *Syst. Veg.* III. 839. 39. — In Indiâ occidentali.

129. Pilea pedunculata Bl.: herbacea, radicans; foliis oppositis ovalibus ($\frac{1}{2}$—1$\frac{1}{3}$ poll., 4—10 lin. lat., pet. 2—7 lin.) utrinque obtusis trinerviis mucronulato-serratis pube adnatâ striolatis; capitulis longissime pedunculatis axillaribus. — A sequenti capitulis longe pedunculatis diversa. — In Chili.

130. Pilea radicans Bl.: herbacea, radicans; foliis oppositis rhombeo-ovatis obtusis superne crenatis glabris nitidis; capitulis subpedunculatis axillaribus. — *Urtica radicans* Swartz *Act. Holm.* (1785) 29. Ejusd. *Prodr.* 36. *Flor. Ind. occ.* I. 299. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 358. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 221. 62. Spr. *Syst. Veg.* III. 839. 41. — In Indiâ occidentali.

131. Pilea ciliata Bl.: herbacea, assurgens; foliis oppositis ovato-oblongis trinerviis superne serratis ciliatis; capitulis breviter pedunculatis terminalibus. — *Urtica ciliata* Swartz *Act. Holm.* (1785) 32. Ejusd. *Prodr.* 36. *Flor. Ind. occ.* I. 298. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 357. 34. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 221. 61. Spr. *Syst. Veg.* III. 839. 40. — In Indiâ occidentali.

132. Pilea lanceolata Bl.: herbacea, procumbens; foliis oppositis subsessilibus lineari-lanceolatis (1 poll., 2—3 lin. lat., pet. vix lineam longo) subundulatis subtus albidis; capitulis axillaribus subsessilibus. — *Dubrueilia lanceolata* Gaudich. *l. c.* — *Urtica lanceolata* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 639. 15. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 356. 28. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 30. — In Indiâ occidentali.

133. Pilea pendula Bl.: fruticulosa; foliis oppositis et verticillato-4-nis ovatis ellipticisve (5—15 lin., 4—11 lin. lat., pet. 1½—8 lin.) obtusis v. subacutis triplinerviis obtuse serratis supra pilis adnatis striolatis; glomerulis corymbosis axillaribus et terminalibus. — *Dubrueilia rupipendia* Gaudich. *l. c.* — *Urtica umbellata* Bory It. III. 173. — *Urtica pendula* Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 358. 36. Spr. *Syst. Veg.* III. 839. 42. Herb. Sieb. *Flor. Maurit.* II. N°. 132. — *Urtica rupipendia* Poir. in Lam. *Enc. bot.* 18. — In insulis Mascarenis.

134. Pilea urticaefolia Bl.: fruticulosa; foliis oppositis saepe dissimilibus, uno ovato v. subrotundo-ovato (3—6 lin., 3—5 lin. lat., pet. ½—1 lin.), altero oblongo-lanceolato (7—13 lin., 4—6 lin. lat., pet. 1—2 lin.) obtuse serratis pilis adnatis strigosulis; capitulis breviter pedunculatis axillaribus et terminalibus. — *Boehmeria urticaefolia* Spr. *Syst. Veg.* III. 844. 12. — *Parietaria urticaefolia* Linn. *Suppl.* 434. Willd. *Spec. Plant.* IV. 2. 8. — In insulis Mascarenis.

135. Pilea sessilifolia Bl.: fruticulosa, ascendens, inferne radicans; foliis oppositis et verticillato-3—4-nis subsessilibus lanceolatis ellipticisve (3—10 lin., 2—3 lin. lat.) trinerviis argute mucronato-serratis utrinque pilis adnatis conspersis; capitulis longissime pedunculatis axillaribus et terminalibus. — *Dubrueilia sessilifolia* Gaudich. *l. c.* — *Urtica sessilifolia* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 642. 30. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 358. 37. — In insulis Mascarenis.

136. Pilea cuneiformis Bl.: fruticulosa ascendens, inferne radicans; foliis oppositis et verticillato-3—4-nis cuneiformibus (4—6 lin., 2—3 lin. lat., pet. 1—2 lin.) obtusis trinerviis superne obtuse serratis subtus pallidis utrinque pilis adnatis striolatis; capitulis brevisssime pedunculatis axillaribus. — *Dubrueilia cuneiformis* Gaudich. *l. c.* — *Urtica cuneiformis* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 640. 20. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 361. 47. Spr. *Syst. Veg.* III. 841. 68. — In insulis Mascarenis.

137. Pilea serrulata Bl.: fruticulosa, erecta; foliis subsessilibus oppositis (alterno saepe minori) lanceolatis acuminatis basi attenuatis a medio ad apicem serrulatis enerviis glabris; capitulis pedunculatis axillaribus. — *Urtica serrulata* Swartz *Act. Holm.* (1787) 65. Ejusd. *Prodr.* 36. *Flor. Ind. occ.* I. 313.

Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 360. 43. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 220. 58. Spr. *Syst. Veg.* III. 837. 13. — In Indiâ occidentali.

138. Pilea lucida Bl.: fruticulosa, erecta; foliis sessilibus oppositis subpinnatifidis obtusis glabris nitidis; capitulis longissime pedunculatis axillaribus. — *Urtica lucida* Swartz *Act. Holm.* (1785) 31. Ejusd. *Prodr.* 36. *Flor. Ind. occ.* I. 315. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 360. 44. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 222. 65. Spr. *Syst. Veg.* III. 841. 73. — In Indiâ occidentali.

139. Pilea tribolata Bl.: fruticulosa; foliis oppositis et verticillato-3—4-nis ovalibus oblongisve (4—5 lin., 2—3 lin. lat.) obtusis integerrimis v. subtrilobis utrinque pilis adnatis strigosulis. — *Urtica trilobata* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 639. 14. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 360. 45. — In insulis Mascarenis.

140. Pilea lucens Bl.: herbacea, erecta; foliis oppositis longe petiolatis ovatis ellipticisve (2¼—3 poll., 1—2 poll. lat., pet. ¾—1½ poll.) acuminatis basi obtusis v. retusis trinerviis, obtuse serratis nitidis utrinque pilis adnatis obsitis; corymbis axillaribus subgeminis divaricatis. — *Dibrueilia lucens* Gaudich. *l. c.* — *Urtica cuspidata* Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 349. 6. Spr. *Syst. Veg.* III. 836. 6. — *Urtica lucens* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 641. 22. — Cum Varietate in insulis Mascarenis.

β *Var. cordifolia:* foliis cordato-ovatis. — Herb. Sieb. *Flor. Maurit.* II. N°. 130.

141. Pilea Parietaria Bl.: herbacea, erecta; foliis oppositis (magnitudine nonnihil dissimilibus) oblongo-lanceolatis (1½—2¾ poll., 7—10 lin. lat., pet. ¼—1 poll.) acuminatis basi obtusis trinerviis inaequilateralibus integerrimis supra pubescentibus subtus pilis adnatis obsitis; corymbis axillaribus divaricatis. — *Dubrueilia Parietaria* Gaudich. *l. c.* — *Urtica Parietaria* Linn. *Spec. Plant.* 1397. 11. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 2. 233. 11. Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 639. 13 (excl. Var. ex insulâ Maurit.). Swartz *Obs.* 387. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 357. 31. Spr. *Syst. Veg.* III. 836. 2. — *Urtica foliis lanceolatis integerrimis, hinc anguſtioribus* van Royen *Prodr.* 210. — *Parietaria foliis ex adverso nascentibus, urticae racemiferae flore* Sloan. *Flor. Jam.* 50. *Hist.* I. 144. tab. 93. fig. 1. — In Indiâ occidentali.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Urticaceae.**

142. Pilea ciliaris BL.: herbacea, erecta; foliis oppositis (nonnihil dissimilibus) ovatis v. ovato-oblongis (1½—4 poll., ¾—1⅓ poll. lat., pet. 5—11 lin.) acuminatis basi oblique subcordatis trinerviis integerrimis ciliatis utrinque pube minutâ innatâ conspersis; corymbis axillaribus divaricatis. — *Dubrueilia ciliaris* GAUDICH. *l. c.* — LINN. *Spec. Plant.* 1396. 10. HOUTT. *Nat. Hist.* II. 11. 233. 10. LAM. *Enc. bot.* IV. 642. 28. WILLD. *Spec. Plant.* IV. 1. 357. 32. SPR. *Syst. Veg.* III. 837. 20. — *Urtica foliis oppositis, ovatis et ciliatis* BURM. *Plant. amer.* 111. *Icon.* 120. fig. 2. — *Parietaria racemosa ad oras villosa* PLUM. *Cat. Plant. amer.* 10. — Herb. SIEB. *Flor. Martin.* N°. 210. — In Indiâ occidentali.

143. Pilea Lindenii BL.: herbacea, suberecta; foliis oppositis ovatis v. ovato-oblongis (1½—2¼ poll., 7—11 lin. lat., pet. 2—5 lin.) acuminatis basi oblique rotundatis v. subcordatis trinerviis integerrimis utrinque dense pubescentibus; stipulis amplexicaulibus ovatis obtusis pubescentibus diu persistentibus; floribus monoicis, masculis in spicis interrupte verticillatis, femineis in paniculis pedunculatis. — Coll. de J. LINDEN N°. 799. — In Provinciâ Bogotâ Novae Granatae in Salto de Tequendama.

144. Pilea rubiaefolia BL.: herbacea v. inferne suffrutescens, ramosissima; foliis oppositis (alternis paulo minoribus v. brevius petiolatis) ovatis v. subrotundo-ovatis rarissime obovatis (⅓—1 poll., ⅓—1 poll. lat., pet. 2—9 lin.) acutis v. obtusis basi rotundatis v. oblique obtusis v. retusis trinerviis integerrimis subciliatis glabris striolatis; stipulis brevibus ovatis persistentibus; glomerulis racemosis v. paniculatis axillaribus. — *Yantencillo* incolar. — In Guatemalâ ad rivos.

145. Pilea Wydlerii BL.: herbacea, ascendens; foliis oppositis terminalibus decussato-approximatis (magnitudine et longitudine petiolorum interdum dissimilibus) ovatis v. ovato-oblongis (¼—1⅓ poll., 2½—7½ lin. lat., pet. 1—4½ lin.) acutis v. acuminatis basi rotundatis v. subcordatis trinerviis integerrimis ciliatis supra setulis raris obsitis; glomerulis racemosis subterminalibus. — Affinis *P. nudicauli* MIHI (s. *Urt. nudicauli* SWARTZ) a quâ foliis ciliatis longius petiolatis differre videtur. — Herb. WYDLER. *Portorico* (1827) N°. 199. — In Indiâ occidentali.

146. Pilea tetraphylla Bl.: herbacea; caule erecto simplici v. basi ramulosâ inferne aphyllâ v. medio foliis minutissimis subquaternis (formâ et longitudine petiolorum dissimilibus) apiceque foliis 4-6 subsessilibus ovatis v. rhombeo-ovatis trinerviis ($\frac{1}{2}$—1 poll., 5—10 lin. lat.) integerrimis v. crenatis supra pilosiusculis et utrinque pube innatâ striolatis obvallato; cymis terminalibus brevibus densifloris. — *Urtica tetraphylla* Steud. in *Florâ Regensb.* (1850) 260. 16. — Schimp. *Pl. Abyss.* Sect. I. N°. 74. — In graminosis humidis riparum altarum prope Adoam Abyssiniae.

147. Pilea peploïdes Bl.: foliis oppositis suborbiculatis longe petiolatis; floribus glomerulatis. — *Dubrueilia peploïdes* Gaudich. *l. c.* — *Urtica peploïdes* Steud. *Nomencl. bot.* (ed. 2^a) II. 735. — In insulis Sandvicensibus.

148. Pilea corymbosa Bl.: herbacea; foliis longe petiolatis oppositis oblique ovatis (5 poll., 3 poll. lat.) acutis integerrimis scabris; corymbis longe pedunculatis axillaribus. — *Urtica corymbosa* Lam. *Enc. bot.* IV. 640. 17. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 356. 30. Spr. *Syst. Veg.* III. 837. 21. — In Indiâ occidentali.

149. Pilea rhombea Bl.: herbacea, erecta; foliis longe petiolatis oppositis rhombeo-ovatis (1 poll.) obtusiusculis trinerviis integerrimis glabriusculis; corymbis axillaribus folio brevioribus. — *Dubrueilia rhombea* Gaudich. *l. c.* — *Urtica rhombea* Linn. *Suppl.* 417. Gmel. *Syst. nat.* II. 270. Lam. *Enc. bot.* IV. 642 27. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 357. 33. Spr. *Syst. Veg.* III. 837. 19. — In Mexico.

150. Pilea cuneifolia Bl.: herbacea v. fruticulosa, erecta; foliis oppositis (magnitudine nonnihil dissimilibus) cuneato-obovatis lanceolatisve (1—3$\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—1$\frac{1}{6}$ poll. lat., pet. 2—6 lin.) acutis v. acuminatis triplinerviis superne serrulatis supra pube innatâ obsitis subtus pallidioribus; paniculis terminalibus laxis. — *Urtica cuneifolia* Swartz *Act. Holm.* (1787) 70. Ejusd. *Prodr.* 37. *Flor. Ind. occ.* I. 319. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 360. 46. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 222. 66. Spr. *Syst. Veg.* III. 837. 14. — *Urtica crenulata* Swartz *Act. Holm.* (1785) 35. Herb. Sieb. *Flor. Martinic.* N°. 344. — Cum Varietate in Indiâ occidentali.

β *Var. pusilla:* nana; caule herbaceo simplici; foliis ovatis; floribus minutissimis.

151. Pilea inaequalis Bl.: herbacea, erecta; foliis oppositis petiolatis (magnitudine inaequalibus) ovatis ovalibusve ($\frac{1}{2}$—1 poll., 6—8 lin. lat.) obtusis nervosis obtuse serratis utrinque strigosulis; corymbis axillaribus longe pedunculatis. — *Dubrueilia inaequalis* Gaudich. *l. c.* — *Urtica inaequalis* Juss. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 222. 67. Spr. *Syst. Veg.* III. 840. 67. — In Indiâ occidentali.

152. Pilea semidentata Bl.: herbacea, erecta; foliis oppositis lanceolatis (1—1½ poll., 8 lin. lat., pet. ¾—1 poll.) utrinque angustatis trinerviis superne serratis glabriusculis; stipulis lanceolatis scariosis; floribus paniculatis subterminalibus. — *Dubrueilia semidentata* Gaudich. *l. c.* — *Urtica semidentata* Juss. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 222. 68. Spr. *Syst. Veg.* III. 839. 43. — *Parietaria racemosa major* Plum. *Cat. Plant. amer.* 10. — In Indiâ occidentali.

153. Pilea laxa Bl.: herbacea, laxe ramosa; foliis longe petiolatis oppositis ovatis acuminatis dentato-serratis trinerviis scabriusculis subtus hirsutulis; floribus masculis capitatis, femineis aggregato-racemosis, capitulis racemisque subterminalibus longissime pedunculatis. — *Urtica laxa* Swartz *Act. Holm.* (1787) 58. Ejusd. *Prodr.* 35. *Flor. Ind. occ.* I. 288. Lam. *Enc. bot.* IV. 645. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 351. 12. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 218. 50. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 34. — In Indiâ occidentali.

154. Pilea diffusa Bl.: fruticulosa, procumbens; foliis oppositis ovatis acutis v. acuminatis argute serratis trinerviis hispidis; stipulis revolutis bifidis; paniculis axillaribus et terminalibus elongatis. — *Urtica diffusa* Swartz *Act. Holm.* (1787) 30. Ejusd. *Prodr.* 35. *Flor. Ind. occ.* I. 290. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 350. 13. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 218. 51. — In Indiâ occidentali.

155. Pilea betulaefolia Bl.: herbacea, prostrata, inferne stolonifera; foliis longe petiolatis oppositis cordato-subrotundis serratis trinerviis glabris; stipulis oblongis integris; paniculis pedunculatis terminalibus. — *Urtica betulaefolia* Swartz *Act. Holm.* (1787) 59. Ejusd. *Prodr.* 35. *Flor. Ind. occ.* I. 291. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. — Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 351. 14. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 218. 52. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 35. — In Indiâ occidentali.

156. Pilea rufa Bl.: fruticulosa, hirsuta; foliis breviter petiolatis oppositis ovato-oblongis (parvis) acuminatis trinerviis serratis imprimis subtus hirsutis; stipulis subrotundis persistentibus; racemulis terminalibus pedunculatis brevibus. — *Urtica rufa* Swartz *Act. Holm.* (1787) 59. Ejusd. *Prodr.* 35. *Flor. Ind. occ.* I. 292. Lam. *Enc. bot.* IV. 646. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 352. 15. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 219. 53. Spr. *Syst. Veg.* III. 837. 11. — In Indiâ occidentali.

157. Pilea reticulata Bl.: suffruticosa, erecta; foliis oppositis oblongis (3—4 poll., 1½—2 poll. lat., pet. 1 poll.) acutis v. acuminatis trinerviis medio ad apicem serratis, subtus reticulatis crassiusculis glabris; corymbis axillaribus et terminalibus coarctatis. — *Dubrueilia multiflora* Gaudich. *l. c.* — *Urtica multiflora* Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 223. 71. — *Urtica reticulata* Swartz *Act. Holm.* (1787) 30. Ejusd. *Prodr.* 35. *Flor. Ind. occ.* I. 286. Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 218. 49. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 351. 11. Spr. *Syst. Veg.* III. 837. 10. — In Indiâ occidentali, Peru, cet.

158. Pilea crassifolia Bl.: suffruticosa; foliis oppositis ovato-oblongis (1½ poll., ¾ poll. lat., pet. ½ poll.) acutis trinerviis basi ad apicem serrulatis crassiusculis subtus reticulatis albidis; corymbis longe pedunculatis axillaribus dichotomis. — *Urtica crassifolia* Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 349. 7. Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 217. 47. Spr. *Syst. Veg.* III. 836. 4. — In Americâ australi?

159. Pilea grandifolia Bl.: suffruticosa, erecta; foliis oppositis ovatis v. ellipticis acuminatis trinerviis inaequaliter serratis supra strigillosis; stipulis ellipticis utrinque obtusis; corymbis pedunculatis axillaribus et terminalibus diffusis. — *Dubrueilia grandifolia* Gaudich. *l. c.* — *Urtica grandifolia* Linn. *Spec. Plant.* 1396. 7. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 232. 7. Lam. *Enc. bot.* IV. 637. 6. Swartz *Obs.* 357. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 349. 8. Spr. *Syst. Veg.* III. 836. 7. — *Urtica erecta, foliis ovatis, acuminatis, trinerviis, nitidis, racemis compressis* Brown. *Jam.* 337. — *Urtica iners, racemosa, sylvatica, folio nervoso* Sloan. *Jam.* 38. *Hist.* I. 124. tab. 83. fig. 2. — In Indiâ occidentali.

160. Pilea pumila Gray: herbacea, erecta; foliis oppositis longe petiolatis ovatis (1—3¼ poll., ½—2 poll. lat., pet. ½—2½ poll.) acutis v. obtuse acuminatis trinerviis grosse obtuse serratis glabris subtus pube rarâ innatâ obsitis; floribus glomerulato-corymbosis axillaribus; perigonii feminei laciniis subaequalibus. Gray *Man. of bot. Un.* St. 437. — *Dubrueilia pumila* Gaudich. *l. c.* — *Urtica fasciculata* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 640. 19. — *Urtica pumila* Linn. *Spec. Plant.* 1395. 4. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 225. 4. Lam. *Enc. bot.* IV. 637. 5. Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 348. 4. Spr. *Syst. Veg.* III. 838. 32. — *Urtica glabella lucida, caule carnoso, foliis ovalibus subtrinerviis, racemis monoicis triandris brevissimis sessilibus* Michx. *amer.* II. 179. — *Urtica foliis lanceolato-ovatis petiolorum longitudine, racemis dichotomis petiolo brevioribus* Gronov. *Virg.* II. 145. — Cum Varietate in Americâ boreali.

β *Var. palustris:* suffruticosa; foliis ovato-lanceolatis. — *Urtica palustris* Juss. Pers. *Syn. Plant.* II. 552. 5. Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 223. 69. — *Urtica foliis oblongis, serratis, nervosis, petiolatis* Gronov. *Virg.* II. 145.

161. Pilea petiolaris Bl.: herbacea; foliis longe petiolatis oppositis (altero minore) elliptico-v. ovato-oblongis (2½—6 poll., 1—2$\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 1—3 poll.) acuminatis basi rotundatis v. obtusis trinerviis grosse dentato-serratis utrinque pilis innatis obsitis glabris; stipulis lanceolatis obtusis foliaceis deciduis; corymbis axillaribus divaricatis subsessilibus; perigonio femineo cupulari-tridentato. — *Urtica petiolaris* SIEB. et ZUCC. in *Münch. Abh. II. Cl. Ak. Wiss.* IV. 3te Abth. 215. N°. 761. — ZUCCARINI V. Cl. *l. c.*, qui folia hujus Speciei alterna esse refert, aut errore lapsus est, aut specimina, quae exploravit, imperfecta fuerunt, cum foliorum oppositorum alterum aliquanto minus ac brevius petiolatum facilius a caule sejungatur quam majora, unde facile error ille intelligitur. — In Japoniâ.

162. Pilea triplinervia BL.: herbacea, erecta; foliis oppositis ovato-oblongis longe acuminatis triplinerviis obtuse serratis glabris; fasciculis laxe paniculatis axillaribus. — *Dubrueilia triplinervia* GAUDICH. *l. c.* — *Urtica triplinervis* PERS. *Syn. Plant.* II. 552. 10. POIR. in LAM. *Enc. bot. Suppl.* IV. 224. 74. SPR. *Syst. Veg.* III. 839. 45. — In insulis Mascarenis.

163. Pilea pulegifolia BL.: herbacea, ramosissima; foliis oppositis approximatis ovatis (3 lin., 2 lin. lat.) obtusis crenato-serratis supra glabris subtus pilis appressis; capitulis axillaribus breviter pedunculatis. — *Urtica pulegifolia* POIR. in LAM. *Enc. bot. Suppl.* IV. 224. 75. SPR. *Syst. Veg.* III. 839. 46. — In Peru.

164. Pilea Hügelii BL.: herbacea, ramosa, prostrata; foliis oppositis petiolatis ovatis (3—6 lin., 2—5 lin lat., pet. 1—2 lin.) acutis v. obtusiusculis basi rotundatis v. cordatis trinerviis acute serratis glabris; floribus in cymis axillaribus longe pedunculatis dense glomeratis. — Herb. HÜGEL N°. 4169. — In Asiâ.

165. Pilea leucophaea BL.: suffruticosa, scandens; foliis longe petiolatis oppositis (magnitudine inaequalibus) ovato- v. elliptico-oblongis (1$\frac{3}{4}$—5$\frac{1}{2}$ poll., 1—2$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2$\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis basi oblique attenuatis rarissime obtusis trinerviis grosse dentato-serratis ciliatis utrinque strigoso-puberulis subtus cinerascentibus; paniculis axillaribus longe pedunculatis. — *Urtica leucophaea* BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 493. — *Popoan* s. *Pochpochan* sund. — In Javâ.

166. Pilea Goglado BL.: suffruticosa; foliis longe petiolatis oppositis (altero minore) elliptico-oblongis lanceolatisve (4$\frac{1}{2}$—8 poll., 1$\frac{1}{2}$—2$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2 poll.) longe acuminatis basi attenuatis trinerviis subintegerrimis glabris subtus imprimis in nervis pube furfuraceâ aspersis; corymbis axillaribus subsessilibus divaricatis densifloris. — *Urtica Goglado* Herb. WALL. N°. 4593. — In Nepaul Indiae orientalis.

167. Pilea melastomoides Bl.: suffruticosa, subscandens; foliis longe petiolatis oppositis (magnitudine inaequalibus) elliptico-oblongis (2—6 poll., $\frac{3}{4}$—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2$\frac{1}{4}$ poll.) acuminatis basi obtusis rarissime oblique attenuatis trinerviis inaequaliter serratis utrinque pube minutissimâ innatâ striolatis subtus reticulatis; paniculis axillaribus longissime pedunculatis nutantibus. — *Urtica cataractae* Steud. Nomencl. bot. (ed. 2^a) II. 734. Hassk. *Plant. Jav. rar.* 206. N°. 132. — *Urtica gibbosa* Herb. Zipp. — *Urtica elongata* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 494. *Dubrueilia melastomoides* Gaudich. *l. c.* — *Urtica melastomoides* Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 223. 72. Spr. *Syst. Veg.* III. 839. 44. — *Pochpochan* sund. — In Javâ.

168. Pilea glaberrima Bl.: suffruticosa, subscandens; foliis longe petiolatis oppositis (magnitudine inaequalibus) ovato- v. elliptico-oblongis (3$\frac{1}{2}$—7$\frac{1}{2}$ poll., 1$\frac{1}{2}$—3 poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—2 poll.) acuminatis basi rotundatis v. obtusis v. acutis trinerviis infra medium ad apicem inaequaliter serratis utrinque glaberrimis et minutissime punctatis subtus reticulatis; paniculis axillaribus breviter pedunculatis subgeminis. — *Urtica glaberrima* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 493. — *Pochpochan* sund. — Cum Varietatibus in Javâ, Sumatrâ, cet.

β *Var. subintegerrima:* foliis subintegerrimis v. parce serrulatis.

γ *Var. lanceolaria:* foliis oblongo-lanceolatis subrugosis medio ad apicem parce serrulatis. — *Urtica glaberrima* Var. Bl. *l. c.*

169. Pilea subcrenata Bl.: suffruticosa; foliis longe petiolatis oppositis (altero minore) ellipticis v. oblongo-lanceolatis (4—9 poll., 1$\frac{3}{4}$—3$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—4 poll.) acuminatis basi attenuatis trinerviis supra basin ad apicem obtuse crenatis v. dentato-crenatis utrinque pube minutissimâ innatâ obsitis glabris subtus reticulatis; paniculis axillaribus breviter pedunculatis subgeminis. — In Sumatrâ.

170. Pilea pellucida Bl.: suffruticosa; foliis longe petiolatis oppositis (altero paulo minore) oblongis v. oblongo-lanceolatis (3—6 poll., 1—2$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—1$\frac{1}{2}$ poll.) acuminatissimis basi obtusis v. retusis trinerviis argute serratis utrinque pube subtilissimâ innatâ conspersis glabris subtus reticulatis (reticulatione pellucidâ); stipulis parvis triangulari-ovatis acutis emarcidis; corymbis axillaribus pedunculatis brevibus. — In Javâ.

171. Pilea oreophila Bl.: suffruticosa; foliis longe petiolatis oppositis (altero minore) ellipticis v. oblongis (3—7 poll, 1—2 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2 poll.) acuminatis basi obtusis v. saepe oblique retusis trinerviis supra basin ad apicem inaequaliter argute serratis utrinque pube innatâ obsitis glabris subtus reticulatis (reticulatione pellucidâ); paniculis axillaribus longissime pedunculatis divaricatis. — *Urtica oreophila* Miq. *Plant.* Jungh. I. 27. 2. — In Javâ.

172. Pilea Riedlei Bl.: suffruticosa; foliis longe petiolatis oppositis subcordato-ovatis ($2\frac{1}{2}$—5 poll., $1\frac{1}{4}$—2 poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis trinerviis grosse dentatis utrinque pilis innatis conspersis; cymis axillaribus pedunculatis diffusis. — *Dubrueilia Riedlei* De Caisn. in *Nouv. Ann. Mus. d'hist. nat.* III. 489. — In Timor.

173. Pilea elongata Bl.: herbacea v. suffruticosa; foliis oppositis (magnitudine saepe dissimilibus) ovatis v. ovato-oblongis ($\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—9 lin.) acutis v. acuminatis basi rotundatis v. subcordatis trinerviis supra basin ad apicem dentato-serratis subciliatis supra striolatis subtus imprimis in nervis petiolisque hirtulis; stipulis oblongis obtusis deciduis; corymbis axillaribus longe pedunculatis divaricatis. — Sub nomine *Böhmeriae elongatae* haud raro in hortis botanicis invenitur, forsan ex Asiâ introducta.

174. Pilea angulata Bl.: herbacea v. suffruticosa; foliis longe petiolatis oppositis (altero paulo minore) elliptico-oblongis (3—5 poll., 1—$2\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 1—2 poll.) acuminatis basi rotundatis v. obtusis trinerviis (nervis lateralibus infra apicem folii evanescentibus) supra basin ad apicem dentato-serratis utrinque pube adnatâ inspersis glabris; stipulis oblongis obtusis foliaceis diu persistentibus; corymbis axillaribus densifloris. — *Urtica angulata* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 494. — *Pochpochan* sund. — Foliorum tam magnitudine et formâ, quam serraturis et texturâ valde variabilis, quapropter Varietates esse sequentes non dubito. — In Javâ.

β *Var. semipellucida:* foliis elliptico-oblongis basi obtusis v. subcordatis semipellucidis; corymbis sessilibus v. pedunculatis.

γ *Var. stipulosa:* foliis ovato-ellipticis (3—6 poll., $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll.) pellucidis; corymbis subsessilibus.

δ *Var. obscura:* foliis ovatis v. lato-ellipticis ($2\frac{1}{2}$—5 poll., $1\frac{1}{2}$—3 poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{2}$ poll.) basi subcordatis crenato-dentatis impellucidis; corymbis subsessilibus.

ε *Var. minor:* foliis ovatis v. ovato-ellipticis $1\frac{2}{3}$—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll.) basi subcordatis dentato-serratis impellucidis; corymbis subsessilibus.

175. Pilea Griffithii Bl.: herbacea v. suffruticosa; foliis longe petiolatis oppositis (altero paulo minore) ellipticis v. elliptico-oblongis ($2\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{2}$ poll., 1—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ poll.) obtuse acuminatis basi rotundatis obtusis v. subcordatis trinerviis (nervis lateralibus fere ad apicem folii excurrentibus) acute serratis utrinque glabris et imprimis subtus pube adnatâ inspersis; stipulis deciduis; paniculis axillaribus pedunculatis subgeminis folio brevioribus. — A *P. angulatâ* foliorum nervis lateralibus ad apicem fere excurrentibus stipulisque fugacibus facile distinguenda. — In Malaccâ a Cl. Griffith lecta.

176. Pilea hygrophila Bl.: herbacea; foliis longe petiolatis oppositis (altero paulo minore) elliptico-oblongis ($1\frac{3}{4}$—$3\frac{3}{4}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{2}{3}$ poll.) acuminatis basi obtusis v. acutiusculis trinerviis supra basin ad apicem dentato-serratis utrinque pube minutissimâ adnatâ et supra pilis raris conicis inspersis subtus reticulatis; stipulis lanceolatis parvis deciduis; corymbis axillaribus subsessilibus densifloris. — *Urtica hygrophila* Miq. *Plant.* Jungh. I. 28. 4. — In Javae humidis montanis.

177. Pilea umbrosa Bl.: herbacea; foliis longe petiolatis oppositis (altero minore) ovatis v. ovato-oblongis ($2\frac{1}{3}$—$5\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{3}$—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis v. cuspidatis basi subrotundatis v. oblique-retusis trinerviis grosse dentato-serratis utrinque puberulis; paniculis axillaribus longe pedunculatis divaricatis. — *Urtica umbrosa* Herb. Wall. N°. 4589. — In Indiâ orientali.

178. Pilea producta Bl.: herbacea; foliis longe petiolatis oppositis (altero minore) ovatis v. ovato-oblongis ($1\frac{1}{2}$—5 poll., $\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ poll.) acuminatis v. cuspidatis basi in petiolum productis trinerviis grosse dentato-serratis utrinque pubescentibus et in petiolis nervisque subtus subtomentosis; paniculis axillaribus breviter pedunculatis divaricatis. — Priori affinis, sed foliis basi in petiolum productis paniculisque breviter pedunculatis facile distinguenda. — In montibus Himelayae Indiae orientalis.

179. Pilea verbascifolia Bl.: fruticosa; foliis breve petiolatis v. superioribus passim sessilibus oppositis cuneato-v. obovato-oblongis (3—7 poll., $1\frac{1}{4}$—3 poll. lat., pet. 3—8 lin.) acutis triplinerviis superne serratis glabris utrinque pilis innatis striolatis; corymbis axillaribus subsessilibus densifloris. — *Dubrueilia verbascifolia* Gaudich. *l. c.* — *Urtica longifolia* Willd. *Spec. Plant.* IV. 1. 348. 5. Spr. *Syst. Veg.* III. 836. 5. — *Urtica verbascifolia* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 641. 21. Herb. Sieb. *Flor. Maurit.* II. N°. 131. — Cum Varietate in insulis Mascarenis.

β *Var. humilis:* foliis minoribus cuneato-lanceolatis ($1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 3—4 lin.) — *Urtica reticulata* (haud Swartz) Herb. Sieb. *Flor. Maurit.* II. N°. 129.

180. Pilea insignis Bl.: suffruticosa; foliis breve petiolatis v. superioribus sessilibus oppositis v. verticillato-3-nis 4-nisve ellipticis v. subcuneato-oblongis ($2\frac{1}{2}$—4 poll., 1—2 poll. lat., pet. 1—2 lin.) acutis basi obtusis v. subrotundatis trinerviis superne serratis glabris utrinque pilis innatis striolatis; corymbis axillaribus et terminalibus longe pedunculatis densifloris. — Sub nomine *Neraudiae melastomaefoliae* (haud Gaudich.) et *Urticae cuneiformis* (haud Poir.) ex Herb. Mus. Paris. benevole mecum communicata. — In insulis Mascarenis.

Species non satis cognitae v. dubiae.

181. Pilea Kakurang Bl : herbacea, erecta; foliis oppositis lanceolatis v. rhomboideo-lanceolatis (1½—3¼ poll., ⅔—1½ poll. lat., pet. 3—7 lin.) obtusiusculis basi angustatis triplinerviis inaequaliter glanduloso-serratis v. repandis membranaceis glabris. — *Kakurang* indigen. — In Bandâ.

182. Pilea venulosa Bl.: herbacea, erecta; foliis oppositis elliptico-oblongis lanceolatisve (4—8 poll., 1¼—2¾ poll. lat., pet. ½—2¼ poll.) acuminatissimis basi angustatis triplinerviis medio ad apicem repando-glanduloso-serrulatis utrinque pube minutissimâ innatâ obsitis glabris subtus venulis crebris arcuatis reticulatis. — In Celebes.

183. Pilea trinervia Bl.: fruticosa; foliis oppositis lato-lanceolatis crenatis ad apicem usque trinerviis; paniculis axillaribus longitudine petiolorum. — *Urtica trinervia* Roxb. *Flor. Ind.* III. 582. 3.

184. Pilea scripta Bl.: caule simplici; foliis oppositis ellipticis acuminatis subserratis glabris venis subtus nigrescentibus; spicis compositis tenuifloris. — *Urtica scripta* Hamilt. in Don. *Prodr. Flor. Nepal.* 59. 1. — Ad Narainhetty Nepalensium.

ACHUDEMIA Bl. Flores polygami, hermaphroditi et feminei in eodem glomerulo, bracteati. Masc. Perigonium quinquepartitum; laciniis inaequalibus, praefloratione margine subimbricatis. Stamina 5, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primo inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum minutissimum. Fem. Perigonium quinquephyllum; foliolis paulo inaequalibus. Staminodia 5, perigonii foliolis opposita, inflexa. Ovarium liberum, subobliquum, uniloculare. Ovulum unum, basilare, orthotropum. Stigma paulo excentricum, sessile, villosiusculum. Hermaphr. Perigonium et pistillum ut in Fem. Stamina 5 ut in Masc. Caryopsis lenticulari-compressa, nonnihil inflata, perigonii foliolis vegeto-persistentibus inclusa, laevigata. Semen erectum. Embryon in axe albuminis carnosi inversum, rectum; cotyledonibus plano-convexiusculis; radiculâ brevi, superâ. — Herba javanica, ramosa, repens; foliis oppositis, petiolatis (alternis minoribus et brevius petiolatis), ovatis, dentato-serratis, trinerviis, membranaceis, supra pube innatâ striolatis et pilis raris hirsutulis, subtus imprimis in nervis puberulis; stipulis axillaribus, deciduis; floribus in corymbis axillaribus longe pedunculatis trifidis glomerulato-spicatis.

Obs. Habitu maxime *Pileae* Lindl. affine, perigonio florum femineorum s. hermaphroditicorum quinquephyllo satis ab eo distinguitur. In memoriam Doctoris Malabarici Itti Achudem appellavi, quem Patri Reverendo Joanni Matthaei, in edendo *Horto Malabarico*, egregiam tradendis stirpium descriptarum nominibus vernaculis, virtutibus medicis et proprietatibus praestitisse operam ex illo libro accepimus.

185. Achudemia javanica Bl.

Ord. **Celtideae.**

TREMA Lour. Flores polygami. Masc. Perigonium quinquepartitum, laciniis in praefloratione superne valvato-inflexis. Stamina 5, perigonii laciniis opposita, in praefloratione erecta; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, demum exsertae. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonii quinquepartiti laciniis quincunciali-imbricatis. Ovarium uniloculare. Ovulum unum, parieti prope apicem appensum, amphitropum. Stigmata 2, subulata, papilloso-villosa, imâ in unum terminale confluentia. Hermaphr. Perigonium et stamina fere ut in Masc., pistillum ut in Fem. Drupa minuta, baccata, stigmatibus involutis coronata, perigonio vegeto-persistenti suffulta, putamine saepe scrobiculato. Albumen parcum, intra sinum embryi immersum. Embryon subperiphericum, arcuatum, inversum. Cotyledones falcatae, crassiusculae, plane sibi accumbentes. Radicula ascendens. — Frutices v. arbusculae, intra tropicos totius orbis diffusae, inermes; foliis alternis, distichis, nervoso-venosis, serratis, saepe sericeo- v. canescenti-pubescentibus; stipulis lateralibus, liberis; cymis axillaribus, solitariis v. geminis; floribus parvulis, pedicellis apice articulatis.

Obs. *Trema* Lour. *Flor. Cochinch.* II. 689 hac nostrâ aetate neglecta fuit, siquidem neque Sprengel in *Syst. Veg.*, neque Endlicher in *Gen. Plant.*, nec Meisner in *Gen.*, nec Lindley in *Veg. Kingd.* Generis huius meminerunt, quod tamen lege prioritatis dignum est quod servetur, tantoque magis, quod non modo nomine nititur, id quod *Sponiae* Commers. obvenit, sed character ejus genericus *l. c.* rite exponitur. Praeter alias, de quibus hoc loco diligentius agemus, sequentes Species ad Genus hoc sunt referendae: *T. cannabina* Lour. (an eadem ac *T. velutina* mihi?), *T. glabrescens* (Sponia glabrescens Planch.), *T. aspera* (Sponia aspera Decaisne s. Celtis aspera Brongn.), *T. viridis* (Sponia viridis Planch.), *T. strigosa* (Sponia strigosa Planch.), T. *africana* (Sponia africana Planch.), *T. bracteolata* (Sponia bracteolata Hochst.), *T. glomerata* (Sponia glomerata Hochst.), *T. Wightii* (Sponia Wightii Planch.), *T. Sieberi* (Sponia orientalis Var. *β* Sieberi Planch.), *T. argentea* (Sponia argentea Planch.), *T. discolor* (Sponia discolor Decaisne), *T. Griffithii* (Sponia Griffithii Planch.), *T. nitens* (Sponia nitens Hook. et Planch.), *T. politoria* (Sponia politoria Planch.), *T. angustifolia* (Sponia angustifolia Planch.), *T. Blancoi* (Sponia Blancoi Planch. s. Celtis Lima? Blanco), *T. affinis* (Sponia affinis Planch.), *T. riparia* (Sponia riparia Decaisne), *T. canescens* (Sponia canescens Decaisne s. Celtis canescens Humb. et Bonpl.), *T. mollis* (Sponia mollis Decaisne s. Celtis mollis Willd.), *T. macrophylla* (Sponia macrophylla Decaisne s. Celtis macrophylla Humb. et Bonpl.), *T. lima* (Sponia lima Decaisne s. Celtis lima Sw.), *T. rugosa* (Sponia rugosa Decaisne s. Celtis rugosa Willd.), *T. Lamarckiana* (Sponia Lamarckiana Decaisne s. Celtis Lamarckiana Roem. et Schult. s. Celtis lima Lam.), *T. micrantha* (Sponia micrantha Decaisne s. Celtis micrantha Sw. s. Rhamnus micranthus Linn. ex parte), *T. rufescens* (Sponia rufescens Planch.), *T. Chichilea* (Sponia Chichilea Planch.), *T. Schiedeana* (Sponia Schiedeana Planch. s. Celtis Schiedeana Cham. et Schl.).

186. Trema virgata Bl.: ramulis novellis undique v. unifariam appresse puberulis; foliis ovato-oblongis lanceolatisve (2—3½ poll., ⅔—1½ poll. lat., pet. 3—5 lin.) acuminatissimis basi subaequali-rotundatis v. subcuneatis denticulato-serrulatis membranaceis glabriusculis (in nervis subtus parce appresse puberibus); cymis laxis paucifloris petiolum adaequantibus v. brevioribus; perigonii feminei laciniis ovato-lanceolatis subacutis. — *Sponia virgata* Planch. *Ann. Sc. nat.* 3ᵉ Sér. 316. 1. — *Celtis virgata* Herb. Wall. N°. 3694. — Ut aliae Species, admodum varians magnitudine foliorum, quorum color in siccis viridis aut flavo-virens, nervis subtus flavicantibus nec raro pube exiguâ, reticulatione satis pellucidâ. In specimine Herb. Wallich ex Pulu-Pinang pagina superior sub lente minutissime punctata, in quibusdam ex Javâ et Moluccis haud ullis fere punctis, sed in adultioribus saepe supra paulum pustulata, ut rugulosa sit aspectu, tactu vero magis minusve scabra. Id maxime obtinet in *Var. β*, in quâ reticulatio quoque inter nervos infra distinctior, non aliter quam in adultioribus foliis *Var.*? *γ*, quae haud sane Genus diversum. — Ex Pulu-Pinang per Archipelagum indicum et Moluccos ad Novam Guineam usque dispersa.

β Var. scabra: foliis utrinque scabris subrugosis. — *Celtis amboinensis* (haud Willd.) Bl. *Bijdr.* 486. — In Javâ occidentali, nec non in Sumatrâ.

γ Var. microphylla: foliis vulgo minoribus glabriusculis, adultis interdum rugulosis. — *Celtis microphylla* Herb. Zipp.

187. Trema morifolia Bl.: ramulis novellis scabriusculis; foliis ovato-oblongis (2—5 poll., ⅔—1⅔ poll. lat., pet. 4—7 lin.) acuminatissimis basi subinaequali-rotundatis serrulatis scabriusculis; cymis laxis paucifloris petiolo brevioribus; perigonii feminei laciniis ovato-oblongis acutiusculis. — A *T. virgatâ*, praesertim ab ejus *Var. scabrâ*, vix diversa ramulis rigidioribus foliisque majoribus, venis primariis majore numero percursis, denique stylis longioribus. Color quoque foliorum, ut in illâ, vulgo minus magisve laete viridis. — In oryzetis aridis circa Tondano insulae Celebes a divo Forster lecta.

188. Trema carinata Bl.: ramulis novellis sericeo-puberulis; foliis lanceolatis (1—1½ poll., 4—6 lin. lat, pet. 2—2½ lin.) acuminatis basi aequali-rotundatis obtuse serrulatis carinatis v. conduplicatis supra punctato-scabridis subtus imprimis in nervis appresse pubescentibus; cymis petiolum adaequantibus paucifloris; perigonii feminei laciniis ovatis obtusis. — Affinis *T. virgatae* et *T. angustifoliae*, quibus maxime habitu simillima. Ramuli graciles, virgati, nigro-brunnei, lenticellis raris cinnamomeis punctati, glabrati aut pube sericeâ rarâ appressâ, in tenuioribus et in petiolis densiore, minus appressâ. Folia supra nervis impressis et punctis crebris pilisque raris strigulosis paululum scabrida, subtus pubescentiâ non ita densâ appressâ conspersa; siccatorum color supra fuscus, subtus sordide virens s. lividus. Stipulae laterales ovato-lanceolatae, acuminatae, leviter falcatae, extusnervo medio carinatae et sericeo-pubescentes, deciduae. Cymae parvulae, valde contractae, petiolum vix adaequantes, polygamae, vulgo floribus paucissimis masculis unoque femineo, unde fructus minuti pedunculati in foliorum axillis solitarii. Florum alabastra parce sericea. Drupae ovoideae, vix compressae, glabrae, in vertice stigmatibus perbrevibus obsessae, imâ perigonio persistenti explanato insidentes. — In Moluccis.

189. Trema pallida Bl.: ramulis novellis strigosulo-puberulis; foliis ovato-oblongis lanceolatisve (2—2¾ poll., 7—10 lin., lat., pet. 2—2½ lin.) acuminatis basi suboblique rotundatis serrulatis supra scabridis subtus appresse puberulis; cymis petiolum superantibus multifloris; perigonii feminei laciniis ovato-oblongis obtusiusculis. — Ad superiorem et praesertim ad *T. angustifoliam* et ad *T. virgatam* accedens. Ramuli graciles, leniter flexuosi, atro-brunnei, inferne glabrati, superne pube appressâ strigulosi. Folia siccitate pallide s. flavo-virentia, satis approximata, non ut in superiori Specie conduplicata, basi quoque rotundatâ vulgo subobliqua. Cymae polygamae, pedunculatae, floribus parvulis, cunctis fere masculis, uno tantum femineo longius pedicellato intermixto. — In Amboinâ.

190. Trema pubigera Bl.: ramulis novellis appresse puberulis; foliis ovato-oblongis lanceolatisve (2—4 poll., ¾—1½ poll. lat., pet. 2½—4 lin.) acuminatis basi subaequali-rotundatis denticulato-serrulatis supra scabriusculis subtus sericeo-puberulis; cymis paucifloris petiolo brevioribus; perigonii feminei laciniis exterioribus acutis, interioribus obtusiusculis. — Etiam *T. virgatae* affinis, sed colore foliorum siccatorum magis obscuro et fusco, denticulis marginalibus sphacelatis, praesertim pubescentiâ sericeâ in paginâ dorsali ab illâ diversa, quum superior puntis elevatis et strigulis brevibus raris scabrida sit. — In Moluccis.

191. Trema timorensis Bl.: ramulis tomentosis; foliis ovato-oblongis lanceolatisve (2½—3¾ pol., 10—14 lin. lat., pet. 4—5 lin.) acuminatissimis basi subaequali-rotundatis v. leviter cordatis obtuse denticulato-serratis supra punctato-asperulis subtus scabris et imprimis in nervis hirsutulis; cymis petiolum adaequantibus v. brevioribus multifloris; perigonii feminei laciniis ovato-oblongis acutiusculis. — *Sponia timorensis* Decaisne in *Nouv. Ann. Sc. nat.* III. 498. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3ᵉ Sér. 318. 4. — Cum Varietate in Timor.

β *Var. procera:* ramulis hirsutulis; foliis saepe majoribus (3—5 poll, 1—1¾ poll. lat.) et membranaceis; cymis brevibus paucifloris. —

192. Trema Commersonii Bl.: ramulis novellis parce pubescentibus; foliis ovatis v. ovato-oblongis (1¾—6 poll., 1—3½ poll. lat., pet. 3—5 lin.) acuminatis basi subaequali-cordatis v.

rotundatis dentato-serratis supra striguloso-scabridis subtus imprimis in nervis (his flavescentibus) appresse puberulis; cymis petiolum adaequantibus v. paulo longioribus densifloris; perigonii feminei laciniis obtusis margine subvillosis. — *Sponia Commersonii* Decaisne in *Nouv. Ann. Sc. nat.* III. 498. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3e Sér. 317. 3. — *Celtis Commersonii* Brongn. in Duperr. *Vay. bot.* 215. 4. — *Celtis orientalis* (haud Linn.) Lam. *Enc. bot.* IV. 138. 5 (ex parte). — *Andaraise* s. *Sponia Andaresa* Herb. Commers. — Ramuli modo novelli pube rarâ ut plurimum appressâ conspersi, quae in petiolis venisque paginae dorsalis foliorum vix conspicua. Folia et magnitudide et formâ admodum variabilia, statu sicco magis minusve virentia aut subtus in flavo-virentem vergentia, dentibus marginalibus acutis v. obtusis. — Vidi specimen Herb. Commerson ex Insulâ Francicâ, alia a Pervillé in insulis Seychellis collecta, nec non in Madagascariâ haec invenitur Species.

193. Trema amboinensis Bl.: ramulis hirtello-tomentosis; foliis ovato-oblongis ($2\frac{1}{2}$—5 poll., 1—$2\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—4 lin.) acuminatis basi subaequali-cordatis v. rotundatis dentato-serrulatis supra striguloso-asperulis subtus molliter sericeo-puberulis; cymis petiolum vix aequantibus v. superantibus multifloris; perigonii feminei laciniis ovatis acutis pubescentibus. — *Sponia amboinensis* Decaisne in *Nouv. Ann. Sc. nat.* III. 498. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3e Sér. 321. 11. — Celtis *amboinensis* Willd. *Spec. Pl.* IV. 2. 997. 12. Brongn. in Duperr. *Voy. bot.* 212. tab. 47. A. — *Rupong* in Bandâ. — *T. velutinae* proxima, quamquam foliis basi magis symmetricis, serraturis dentes magis rectos acutos efficientibus, denique pubescentiâ in paginâ dorsali praesertim foliorum adultiorum inter nervos multo rariore quam in illâ. Foliorum quoque in hac superficies venis impressis haud raro magis minusve rugulosa. — In Moluccis.

194. Trema rigida Bl.: ramulis tomentosis; foliis ovato-oblongis (3—$6\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{4}$—$2\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{2}{3}$ poll.) acuminatis basi aequali- v. inaequali-cordatis v. rotundatis dentato-serrulatis supra striguloso-scabris subtus cinerascenti-tomentosis; cymis laxis petiolum adaequantibus v. longioribus, masculis densifloris; perigonii feminei laciniis ovatis acutis. — *Sponia rigida* Decaisne in *Nouv. Ann. Sc. nat.* III. 498. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3e Sér. 336. — *Celtis rigida* Bl. *Bijdr.* 486. — *Kuray* sund. — Foliis crassioribus magis rigidis facile a *T. velutinâ* distinguitur. Ramuli et petioli furfuraceo-tomentosi. Folia impressione venularum supra saepe rugulosa, striguloso-scabra, tandem glabriuscula et nitida, sub lente magis minusve excavato-punctata, serraturis inaequalibus, partim denticulos s. crenulas obtusas exhibentibus, siccata supra flavo- v. fuscescenti-viridia, subtus cinereo-tomentosa et reticulata. Cymae dioicae, femineae paucis admodum floribus breviter pedicellatis, masculae in ramificationibus brevibus interrupte glomeratae. Drupae ovoideae, magnitudine pisi parvi, stylis involutis coronatae, in basi laciniis perigonii persistentibus margine villosiusculis cinctae. — In Javae sylvis montanis.

195. Trema Burmanni Bl.: ramulis novellis tomentosis; foliis ovato-oblongis (3½—5½ poll., 1—2 poll. lat., pet. 3—4 lin.) acuminatis basi subinaequali-cordatis dentato-crenatis supra punctato-scabris subtus molliter incano-tomentosulis; cymis masculis petiolum adaequantibus v. longioribus multifloris; alabastris masculis sericeis. — Folia fere membranacea multoque minus discolora et magis regulariter crenata quam *T. rigidae*, pubescentiâ in paginâ dorsali magis in sericeum vergente. — Habemus specimen in Herb. Joh. Burmann, procul dubio ex Indiâ orientali oriundum.

196. Trema orientalis Bl.: ramulis sericeo-puberulis; foliis ovato-oblongis (3—4 poll., 1—1½ poll. lat., pet. 2½—4 lin.) acuminatissimis basi oblique rotundatis acute serrulatis supra punctato-asperulis subtus canescenti-sericeis; cymis contractis petiolum adaequantibus; perigonii feminei laciniis ovatis acutis puberulis margine villosiusculis. — *Sponia orientalis* Decaisne in *Nouv. Ann. Sc. nat.* III. 498. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3^{e} Sér. 323. 13. — *Celtis orientalis* Linn. *Spec. Pl.* 1478. 2 (excl. Rheed. *Hort. Mal.*). Ejusd. *Flor. Zeyl.* 176. N°. 369 (excl. ut in seq. plur. Synon.). N. Burm. *Flor. Ind.* 218. Houtt. *Nat. Hist.* II. 3. 571. 2. Lam. *Enc. bot.* IV. 138. 5 (excl. Specim. Commers. et Mart.). Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 995. 6. Spr. *Syst. Veg.* I. 932. 16. Brongn. in Dupperr. *Voy. bot.* 216. — *Ulmus fructu baccato* Linn. *Hort. Cliff.* 83. — *Salvifolia arbor orientalis, foliis tenuisse crenatis* Pluk. *Alm.* 329. tab. 221. fig. 4. — Arbor *Ghaeduba* dicta Herm. *Mus. Zeyl.* 14. Burm. *Thes. Zeyl.* 26. — *Gaedhumba* Herm. *Mus. Zeyl.* 60. Burm. *Thes. Zeyl.* 102. — Ex laudatis a Linné in *Flor. Zeyl.* cet., inde ab initio variae Species, nomine *Celtis orientalis*, inter se profecto valde affines, confusae fuere. Equidem hanc Speciem, pube ramulorum rarâ appressâ sericeâ et foliis basi oblique rotundatis vel oblique truncatis subtus pube sericeâ subtili appressâ insignem, Zeylaniae tantum propriam esse existimo, unde specimen habemus in Herbario Hermanni.

197. Trema velutina Bl.: ramulis hirtello-tomentosis; foliis ovato-oblongis (2½—5¾ poll., 1—2¼ poll. lat., pet. ¼—½ poll.) acuminatissimis basi subinaequali-cordatis v. suboblique rotundatis acute serrulatis supra striguloso-exasperatis subtus molliter velutinis; cymis petiolum aequantibus v. superantibus multifloris; perigonii feminei laciniis ovatis acutis subpubescentibus. — *Urtica cordatifolia* Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 258. 8. — *Sponia velutina* Planch. *Ann. Sc. nat.* 3^{e} Sér. 327. 21. Miq. *Pl. Jungh.* 68. 2. — *Sponia orientalis* (haud Decaisne) Hasskl. *Cat. Hort. Bogor.* 74. — *Celtis amboinensis* Wall. *Cat.* N°. 3690. — *Celtis orientalis* (haud Linn.) Roxb. *Flor. Ind.* II. 65. 2 (excl. Syn. Kaempf.). Bl. *Bijdr.* 485. Wight *Icon. pl.* tab. 602—603. Hook. et Arn. *Bot. of Capt.* Beech. *Voy.* 215. — *Celtis tomentosa* Roxb. *Flor. Ind.* II. 66. 6. — *Kurai* s. *Kurai burrum* sund.; *Angrung* Jav. — Per omnes fere Asiae regiones tropicas et subtropicas latissime diffusa et pro varietate locorum tam foliorum magnitudine et texturâ, quam pubescentiâ paginae inferioris velutinâ minus magisve densâ satis varians. *T. Blancoi* et vel *T. amboinensis* et *T. affinis* nonnisi levioribus characteribus vix inter se diversae. In Varietate *membranaceâ* hoc loco allatâ perigonii feminei laciniae magis oblongae, nervo medio magis distincto, margine longe ciliatae, exteriores tres acutae, interiores duae paulo latiores et obtusiusculae. Hanc tamen, non magis quam reliquas, diversam esse Speciem existimo, cum inter omnes transitus fere inconspicui locum habeant.

β *Var. membranacea:* foliis membranaceis, serraturis minus appressis; cymis laxis; perigonii feminei laciniis tribus exterioribus acutis, interioribus obtusiusculis. — In Javâ.

γ *Var. subcrenulata:* foliis membranaceis, serraturis passim obtusis et crenulaeformibus; cymis saepe paucifloris. — In Sumatrâ.

δ *Var. minor:* foliis minoribus (2—3 poll., $\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat.) impressione venularum supra saepe rugosulis; cymis densifloris. — In provinciâ javanicâ Bantam.

ε *Var. densiflora:* foliis firmioribus impressione venularum supra rugulosis; cymis densifloris. — In Sumatrâ.

ζ *Var. rufescens:* foliis exsiccatione supra magis rufescentibus (in antecedentibus fuscis) impressione venularum supra saepe rugosulis, serraturis interdum crenulaeformibus. — In Sumatrâ, Borneo, cet.

198. Trema imbricata Bl.: ramulis hirtello-tomentosis; foliis ovatis v. ovato-oblongis (3—$5\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{2}$—3 poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatis basi profunde et subinaequali-cordatis dentato-serrulatis supra punctato-scabridis subtus molliter sericeo-velutinis; cymis petiolum superantibus multifloris; perigonii feminei laciniis ovatis acutis hirtulis. — Formâ magis ovatâ foliorum, quae in basi profundius cordata et subtus dense sericeo-velutina, satis diversa a *T. amboinensi.* Folia disticha ut plurimum ita approximata, ut bases eorum cordatae alternatim sibi incumbant. Pagina superior pube densâ strigulosâ scabrida venisque impressis haud raro rugulosa, aversa autem sericea, nitida. — In Moluccis.

199. Trema scaberrima Bl.: ramulis hirtulis; foliis ovatis v. ovato-oblongis (5—7 poll., 2—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 6—7 lin.) acuminatis basi subaequali-cordatis dentato-serratis utrinque scaberrimis et imprimis subtus puberulis; cymis masculis petiolo longioribus multifloris; alabastris masculis sericeo-puberulis. — Maxime insignis magnitudine foliorum utrinque scaberrimorum, quorum pagina superior magis aspera in siccis sordide virens, dorsalis flavescenti-cinerea, nervis primariis, ut petiolis et ramulis, fusco-hirtellis. Cymae masculae laxae, floribus glomeratis in ramificationibus furcatis. — In Sumatrâ.

200. Trema Melinona Bl.: ramulis tomentosis; foliis ovato-oblongis ($3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll., 1—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 2 lin.) acuminatissimis basi suboblique-cordatis v. rotundatis dentato-serrulatis utrinque punctatis supra asperis subtus molliter tomentosulis; cymis petiolum adaequantibus multifloris; perigonii feminei laciniis ovatis acutis. — A *T. micranthâ* diversa foliis multo brevius petiolatis, non modo supra, sed subtus quoque punctatis et hic molliter tomentosis, quae plane impellucida et siccitate supra nigro-fusca. A *T. Limâ* quoque formâ magis oblongâ foliorum, quae in illâ subtus non punctata, distinguitur. — A V. Cl. Melinon in Guyanâ gallicâ reperta.

HOMOIOCELTIS Bl. Flores monoici. Masc. Perigonium 5-rarius 4-partitum, laciniis praefloratione subvalvato-induplicatis. Stamina 5 v. 4, perigonii laciniis opposita, sub disco piloso inserta. Pistilli rudimentum nullum v. inconspicuum. Fem. Perigonium 5—6-partitum, laciniis erectis, praefloratione subimbricatis. Stigmata linearia, indivisa. Drupa baccata, basi perigonii explanatâ suffulta et plerumque rudimento stigmatico coronata, putamine subtriquetro-compresso, punctulato. Embryon circinatum, albumine parco involutum. Cotyledones inaequales, crassiusculae, circinatae. Radicula dorsalis, ascendens. — Arbor japonica, inermis, facie et vegetatione *Celtidis glabratae* Stev.; ramulis novellis et floriferis e gemmis perulatis ortis; foliis breviter petiolatis, ovatis v. ovato-ellipticis, acuminatissimis, argute serratis, mixtinerviis, utrinque asperulis et imprimis ad nervos subtus appresso-pubescentibus; stipulis linearibus, lateralibus, liberis; floribus masculis infra folia novella ex axillis perularum fasciculatis v. in cymas laxas dispositis, femineis ex axillis foliorum superiorum solitariis, subsessilibus; fructibus pedunculatis.

Obs. Genus, quod manifesto transitum *Celtim* inter et *Tremam* (Sponiam *Auct.*) efficit, unde in errorem inductus esse videtur Zuccarini V. Cl., ut ramulos cum foliis novellis unâ cum floribus sese explicantibus tamquam *Sponiae* Speciem, alios vero ut *Celtis* Speciem describeret.

201. Homoioceltis aspera Bl. — *Sponia nudiflora* Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Akad. Wiss.* IV. Abth. III. 223. N°. 784. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3e Sér. X. 336 (inter Species excl.). — *Celtis muku* Sieb. *Synops.* p. 28. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. l. c.* N°. 783. Planch. l. c. 315 (inter Species e Genere excl.). — *Prunus aspera* Thunb. *Flor. Jap.* 201. Willd. *Spec. pl.* II. 2. 993. 24. Spr. *Syst. Veg.* II. 476. 4. — *Muk no ki* Kaempf. *Amoenit. exotic.* 799. — *Muku* s. *Mukunoki* Jap. — In Japoniâ.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Celtideae.**

PARASPONIA Miq. Flores polygami. Masc. Perigonium quinquepartitum, laciniis in praefloratione quincunciali-imbricatis. Stamina 5, perigonii laciniis opposita, in praefloratione erecta; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, vix exsertae. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium ut in Masc. Ovarium uniloculare. Ovulum unum, prope apicem appensum, amphitropum. Stigmata 2, subulata, papillosa, conniventia. Drupa minuta, baccata, stigmatibus involutis coronata, perigonio vegeto-persistenti suffulta, putamine subrugoso. Embryon laterale, curvatum, inversum. Cotyledones falcatae, crassiusculae, plane sibi accumbentes. Radicula ascendens. — Arbores v. frutices Archipelagi indici, inermes; foliis alternis, distichis, nervoso-venosis, serratis, subtus sericeo-puberulis; stipulis connatis, axillaribus, bicarinatis; cymis in foliorum axillis subgeminis; floribus parvulis.

Obs. A *Tremâ* Lour. (s. Sponiâ et Celtidis Specie *auct.*) tam charactere fructificationis praefloratione lacinarium perigonii masculi imbricatâ, quam vegetatione stipulis bicarinatis non distincte lateralibus, sed reverâ in axillarem fere ad apicem usque connatis diversa, quamquam cum illo genere et habitu et florum femineorum fructusque fabricâ quam intime coniuncta est. *Sponia Andersonii* Planch. in *Ann. Sc. nat.* 3e Sér. X. 336. 34 ex insulâ Tannâ Oceani Pacifici, si et illi sint stipulae axillares connatae, cum aestivatione florum masculorum conspicue imbricatâ a reliquis *Tremis* (s. Sponiae Speciebus *auct.*) insigniatur, profecto huic Generi annumeranda foret.

202. Parasponia parviflora Miq.: arborea; ramulis novellis petiolis nervisque subtus incano-velutinis; foliis ovato-oblongis lanceolatisve (1¾—4 poll., ¾—1 poll. lat., pet. 2—4 lin) acuminatis basi rotundatis v. subcordatis serratis supra punctato-scabriusculis subtus inter nervos pube rarâ appressâ obsitis. Miq. in *Plant. Jungh.* 69. 1. — *Kaju angring* sund. — Arbor 30—40 ped. Folia subcoriacea, novella supra parce puberula, adulta ibidem excepto nervo medio fere glabra ac modo punctis crebris scabriuscula, subtus in nervis venulisque sericea, supra basin aequali-rotundatam v. subcordatam ad apicem usque serrata, serraturis obtusiusculis, subcartilagineis. Stipulae reverâ axillares, ovato-lanceolatae, bicarinatae, apice breviter bifidae, dorso et margine villosulae, caducae. Cymulae subgeminae, appresse pilosiusculae, petiolo subbreviores, dichotomae s. bifidae. Flores bracteati, masculi in quovis cymulae ramulo inferiores, supremus femineus. Fructus fere lineam longi, ovoidei, basi perigonio cincti, in vertice stigmatibus involutis umbonulati. — In Javae sylvis montanis, 3—5000 ped. alt. supra maris aequor.

203. Parasponia similis Bl.: arborescens; ramulis novellis petiolis nervisque subtus tomentosis; foliis ovato-oblongis lanceolatisve ($1\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ poll., 7—10 lin. lat., pet. 2—3 lin.) acutis v. subacuminatis basi subcordatis serrulatis imprimis subtus inter nervos appresse pubescentibus. — Pubescentiâ ramulorum in fuscum vergente; foliis minoribus, minus acuminatis, texturâ tenuiore quam superiorum, ad basin non raro obliquis, subtus indumento inter nervos densiore, ad hoc pubescentiâ in paginâ superiore rarâ appressâ tandem fere evanidâ, in nervo medio densiore magisque patente et persistente; drupis minutis baccatis rubellis. — In Javae sylvis montanis prope Kapangdungan.

204. Parasponia aspera Bl.: frutescens; ramulis novellis petiolis nervisque subtus incano-sericeis; foliis ovato-oblongis lanceolatisve (2—$4\frac{1}{4}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatissimis basi subcordatis serrulatis supra punctato-asperis subtus inter nervos subpubescentibus. — *Kaju kulie* Bandanensium. — Foliis supra manifesto exasperatis a duabus superioribus diversa. Serraturae inaequales, obtusae, glanduloso-incrassatae, planitie posteriore inter pubem brevem patentem granulis permultis minutissimis flavicantibus conspersâ. Cymulae in specimine nostro modo pauciflorae. — In Bandâ.

205. Parasponia rugosa Bl.: frutescens; ramulis novellis petiolis nervisque subtus incano-sericeis; foliis ovatis v. ovato-oblongis lanceolatisve (2—5 poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—4 lin.) acuminatissimis basi cordatis serrulatis supra rugosis et punctato-asperis subtus imprimis in reticulatione inter nervos subpubescentibus. — Primo statim aspectu a ceteris insignis reticulatione foliorum manifestâ, quae in paginâ superiore impressa, subtus vero protuberans et hirtula. Sunt autem texturâ satis crassâ, fragilia, pubescentiâ subtus, ut in *P. asperâ*, granulis minutissimis pulvereis inspersâ. Haec Species dioica videtur, si quidem in nostris speciminibus cunctae cymulae flores masculos proferunt. — In fruticetis Celebes, Ternate, cet.

SOLENOSTIGMA Endl. Flores polygami. Masc. Perigonium quinquepartitum, laciniis praefloratione imbricatis. Stamina 5, perigonii laciniis opposita, sub disco piloso inserta; filamenta in praefloratione erecta; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae. Pistilli rudimentum. Hermaphr. Perigonium cum staminibus ut in Masc., deciduum. Ovarium uniloculare. Ovulum unum, prope apicem appensum. Stigmata 2, terminalia, sessilia, lineari-complanata, apice dilato-emarginata v. biloba, diu persistentia. Drupa baccata, stigmatibus plerumque coronata, putamine osseo, laeviusculo. Embryon albumine parco involutum, inversum. Cotyledones crassiusculae, conduplicatae. Radicula brevis, supera. — Arbores Gerontogeo-Australasicae, tropicae, inermes; gemmis non perulatis; foliis alternis, trinerviis, saepe integerrimis, adultis glabris, novellis subtus sericeo-puberulis; stipulis liberis, subpeltatim affixis; floribus in cymis v. paniculis axillaribus dispositis.

Obs. *Solenostigma* Endl. meâ quidem sententiâ non magis cum *Tremâ* (s. Sponiâ auct.) Lour. quam cum *Celti* Tournef. conjungi potest. Differt ab utroque Genere stigmatibus suis complananatis dilatato-emarginatis v. bilobis, a *Celti* praeterea vegetatione gemmis non perulatis. Facilior foret conjunctio cum *Momisiâ* (s. Mertensiâ Kunth) Dumort., sed in hoc stigmata in stylum unita sunt magis elongata, filiformia, bifida, decidua et cotyledones foliaceae et contortuplicatae. — Praeter eas, quas retulimus, hae quoque Species *Solenostigmati* sunt annumerandae: *Celtis Philippinensis* Blanco, *C. strychnoides*, *C. Wightii*, *C. Mauritiana* et *C. pacifica* Planch., tum minus nota ex insulâ S. Thomae secus oram Africae occidentalis tropicae, omnes a Planchon V. Cl. in *Ann. Sc. nat.* 3ᵉ *Sér.* X. 306—308 expositae.

206. Solenostigma brevinerve Bl.: foliis e basi acutiusculâ ovato- v. elliptico-oblongis lanceolatisve ($2\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll., 1—2 poll. lat., pet. 4—5 lin.) acutis v. obtuse acuminatis integerrimis glabris nervoso-venosis; paniculis axillaribus petiolo longioribus. — *Dicera lanceolata* Herb. Zipp. — Accuratius videndum, num satis a *S. paniculato* Endl. differat, a sequentibus speciebus, quas notavimus, nervatione insignis. Arbor 30—50 ped.; ramuli subangulati, glabri, novelli, ut paniculae, pube parcâ appressâ vix conspicuâ conspersi. Folia basi plerumque paululum obliqua, venis duabis infimis, quae nervi duo breves infra medium evanidi haberi possunt, supra obscure viridia, subtus pallidiora in luteum vergentia. Paniculae circiter pollicares, solitariae, geminae, ternaeve. Flores parvi, albidi. — In Guineâ novâ.

207. Solenostigma Zippelii Bl.: foliis e basi acutiusculâ elliptico- v. ovato-oblongis (4-7 poll., $1\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 4—7 lin.) acuminatis integerrimis glabris trinerviis subtus reticulatis, nervis lateralibus superne evanescentibus; cymis (fructiferis) longiter pedunculatis; fructibus elongato-ovoideis tetragonis. — Arbor a divo Zippelius licet dubitanter ad *Jasmineas* relata, ad *S. Philippinensem* (Celtin Philippinensem Blanco) satis accedens. Rami novelli pube rarâ subtili appressâ. Folia siccata laete v. flavo-virentia, basi paulum modo obliqua, nervis supra parum subtus validius protuberantibus, reticulatione supra quoque vulgo minus magisve conspicuâ. Pedunculi fructiferi petiolis multo longiores, solitarii v. gemini, glabriusculi. Fructus 7 lin. longi, 5 lin. lati, tetragoni, stigmate bilobo coronati, glabri v. vertice pube rarâ appressâ, verruculis crebro obsiti, rubri. — In Guineâ novâ.

208. Solenostigma latifolium Bl.: foliis e basi oblique-obtusâ ovato-oblongis ($4\frac{1}{2}$—$9\frac{1}{2}$ poll., $2\frac{1}{4}$—5 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis integerrimis glabris trinerviis reticulatis, nervis apicem fere attingentibus; cymis (fructiferis) petiolo duplo longioribus; fructibus lato-ovoideis. — Foliis latioribus basi magis obliquis a Specie superiore diversa. Arbor 50—60 pedes alta. Foliorum siccatorum color fusco-virens, texturâ coriaceâ, reticulatione transversâ utrinque conspicuâ. Cymae fructiferae multo brevius pedunculatae quam *S. Zippelii*, glabrae. Fructus 7—8 lin. longi, 6—7 lin. lati, obsolete tetragoni, glabri. — In insulâ Aisumâ proximâ Guineae novae.

209 Solenostigma laurifolium Bl.: foliis e basi acutiusculâ elliptico-oblongis ($1\frac{1}{2}$—4 poll., $\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—4 lin.) acutis v. acumine brevi obtuso integerrimis glabris trinerviis (subtus absque reticulatione), nervis lateralibus superne evanescentibus; cymis masculis contractis petiolo brevioribus. — *S. Wightii* (Celti Wightii Planch.) affinis, sed cymulis magis contractis diversa. Arbor magna, ramosissima; ramis teretibus, flexuosis, interdum nodoso-incrassatis, flavescenti-cinereis, glabris, junioribus subangulatis, pube rarâ subtili appressis. Folia firma, fragilia, etiam sicca virescentia, supra nitida quâ praesertim nervus medius impressus, subtus inter nervos prominentes venulis perpaucis vix conspicuis, nullâ fere reticulatione. Stipulae laterales, parvae, semilanceolatae, margine pube sericeâ appressae, caducae. Cymulae in capitula minuta brevissime pedunculata contractae, axillares et laterales, floribus masculis breviter pedicellatis pallide purpurascentibus. Perigonii quinquepartiti laciniae ovales, concavae, membranaceae, margine ciliolatae, in praefloratione imbricatae. Stamina 5; filamenta brevissima, in fundo perigonii rudimento pistilli satis crasso conico semibifido v. emarginato pubescente affixa; antheris oblongis, obtusis, basi emarginatis, bilocularibus, dorso affixis. — In monte Menara Javae occidentalis.

210. Solenostigma Hasseltii Bl.: foliis e basi acutiusculâ ellipticis (1—$1\frac{3}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. 2—3 lin.) acutis v. obtusis integerrimis glabris trinerviis subtus reticulatis, nervis lateralibus superne evanescentibus; cymis paucifloribus petiolo brevioribus. — Foliis minoribus quam Speciei antecedentis, subtus inter nervos manifeste reticulatis, floribus quoque purpurascentibus in cymulis minori numero. — A divo Van Hasselt in monte Pico prope Anjer in Javâ occidentali collecta.

211. Solenostigma consimile Bl.: foliis e basi acutiusculâ ellipticis oblongisve ($2\frac{1}{2}$—5 poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 3—4 lin.) cum acumine brevi obtuso integerrimis glabris trinerviis subtus reticulatis, nervis lateralibus fere ad apicem extensis; cymis petiolo aequalibus v. longioribus. — Videndum, an satis a *S. Wightii* (Celti Wightii Planch.) diversa sit, nempe foliis apice in acumen breve desinentibus non sensim acuminatis. Folia siccata flavo-virentia, nervis et partim venulis supra impressis, subtus prominentibus. Ramuli novelli, ut pedunculi, pube minutissimâ obsiti. Cymae axillares v. foliorum lapsu laterales, vulgo geminae, bifidae. Pedicelli vix lineam longi, sub flore articulati. Perigonium 5-partitum; laciniis oblongis, obtusis, concavis, membranaceis, superne ciliatis, patentibus v. reflexis, deciduis. Stamina 5, divaricata, laciniis perigonii breviora; filamenta subulata, sub disco annulari inserta; antherae ovales, obtusae, basi emarginatae, dorso affixae, biloculares, loculis introrsum longitudinaliter dehiscentibus. Pistillum annulo piloso cinctum, puberulum, modo magis fusiforme et sterile stigmate emarginato-bifido, modo magis elongato-ellipticum, binis stigmatibus brevibus superne latioribus emarginato-bilobis subpubescentibus coronatum. Drupa baccata, 4 lin. longa, circiter 3 lin. lata, ellipsoidea, ima in pedicello brevi constricta, plerumque stigmatibus nonnihil excrescentibus coronata, subtetragona, nuce ovoideâ, monospermâ. Semen globosum. Spermodermis duplex; externa membranacea, interna tenuissima. Albumen parcum, embryon involvens. Embryon inversum. Cotyledones texturâ satis crassâ, conduplicatae. Radicula brevis, teres, obtusa, supera. — In Javâ occidentali circa fluvium Tjisedanie prope Rompien, et in montibus Parang.

Species non satis cognita.

212. Solenostigma Djungiel Bl.: foliis e basi obtusiusculâ ellipticis v. elliptico-oblongis ($2\frac{1}{2}$—5 poll., 1—$2\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 3—4 lin.) acutis v. obtuse acuminatis medio ad apicem remote dentatis glabris trinerviis subtus reticulatis, nervis lateralibus superne evanescentibus. — *Djungiel* sund. — In Javâ occidentali.

MOMISIA Dumort. Flores polygami. Masc. Perigonium quinque-rarius quadripartitum, laciniis in praefloratione imbricatis. Stamina totidem, perigonii laciniis opposita, sub radimento pistilli inserta; filamenta in praefloratione incurva rarius recta; antherae exsertae, introrsae, biloculares, dorso affixae. Hermaphr. Perigonium et stamina fere ut in Masc., deciduum. Ovarium uniloculare. Ovulum unum, parieti prope apicem appensum, amphitropum. Stigmata 2, filiformia, bifida rarissime bis bifida, papillosa, basi in stylum brevem unita, decidua. Drupa baccata, putamine osseo, subrugoso v. foveolato. Embryon fere exalbuminosum, inversum. Cotyledones foliaceae, contortuplicatae. Radicula crassa, supera. — Arbores v. frutices, excepta species unica omnes in Americâ tropicâ provenientes; ramis saepe aculeis axillaribus horridis; gemmis non perulatis; foliis alternis, nervosis, integerrimis v. serratis, supra saepe scabridis; stipulis lateralibus, liberis; floribus axillaribus, cymoso-racemosis.

Obs. Unica Species ex Africâ tropicâ a reliquis Orbis Novi cum filamentis in praefloratione non incurvis nec deinde elastice prosilientibus, tum stigmatibus non raro bis bifidis differre videtur, quamobrem fortasse eam tamquam Genus proprium secernere oporteret. Mihi tamen tamquam Subgenus eam referre satius videtur, cum praesertim Species americanas accuratius explorare nequiverim.

Subgen. *Momisiopsis:* filamentis nempe in floribus masculis haud elastice prosilientibus et stigmatibus interdum bis bifidis.

213. Momisia Lamarckii Bl.: ramulis tomentosis inermibus; foliis ovatis v. ovato-subrotundis ($1\frac{1}{4}$—$3\frac{1}{4}$ poll., $\frac{3}{4}$—2 poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatis v. interdum obtusiusculis basi oblique rotundatis 3—5-nerviis integerrimis scabris; cymis subdichotomis petiolo longioribus; drupis ovoideis, rugosulis. — *Celtis integrifolia* Lam *Enc. bot.* IV. 140. 9. Willd. *Spec. Pl.* IV. 2. 998. 15. Spr. *Syst. Veg.* I. 932. 19. *C?* (Mertensia) *integrifolia* Planch. in *Ann. Sc. nat.* 3^e Sér. X. 308. 39. — *Mertensia integrifolia* Roem. et Schult. *Syst. Veg.* VI. 313. 6. — *Mertensia senegalensis* Herb. Perrott. — In Senegambiâ.

CELTIS Tournef. Flores polygami. Masc. Perigonium quinque-rarius quadri- v. sexpartitum, laciniis praefloratione imbricatis. Stamina totidem, perigonii laciniis opposita, sub disco piloso inserta; filamenta in praefloratione incurva; antherae inclusae, introrsae, biloculares, dorso affixae. Pistilli rudimentum. Hermaphr. Perigonium cum staminibus ut in Mare, deciduum. Ovarium uniloculare. Ovulum unum, parieti prope apicem appensum, amphitropum. Stigmata 2, terminalia, filiformia, papilloso-pubescentia, decidua. Drupa baccata, putamine subgloboso, osseo, rugoso s. laeviusculo. Albumen parcum, intra plicas cotyledonum demersum. Embryon inversum, arcuatum. Cotyledones foliaceae, contortuplicato-convolutae. Radicula crassa, ascendens. — Arbores v. frutices inermes, imprimis regiones temperatas utriusque hemisphaeri praesertim borealis incolentes; ramis sub tempore florescentiae denudatis v. semidenudatis, novellis gemmis perulatis prodeuntibus; foliis alternis, nervosis, saepe serratis, nunc passim integerrimis; floribus masculis ad nodos ramulorum novellorum fasciculato-racemosis v. in axillis foliorum juniorum cymosis, hermaphroditis saepe solitariis v. paucis axillaribus, rarissime cymosis.

214. Celtis (Euceltis) **sinensis** Pers.: foliis e basi subinquali-rotundatâ v. subattenuatâ ovatis v. elliptico-oblongis (1—$3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{2}{3}$—$2\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 2—4 lin.) acuminatis rarissime obtusis medio ad apicem crenatis v. serrulatis v. integerrimis, adultis utrinque glabratis, junioribus subtus puberulo-scabriusculis; pedunculis fructiferis solitariis petiolo paulo longioribus; drupâ globosâ, putamine globoso rugosulo. Pers. *Syn. Pl.* I. 292. 6. Willd. *Baumz.* 81. Roem. et Sch. *Syst. Veg.* VI. 306. 5. — *C. Willdenowiana* Roem. et Sch. *Syst. Veg. l. c.* 6. Loud. *Arboret. Brit.* 729. fig. 1410. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Akad. Wiss.* IV. Abth. III. 222. N°. 782. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3^e Sér. X. 287. 6. — *C. orientalis* Thunb. *Flor. Jap.* 114. Sieb. *Syn.* 28. — *Jenoki* s. *Menoki* Jap. — Specimen genuinum Herbarii Person exacte congruit cum aliis arborum juniorum ex Japoniâ, quibus scilicet folia vulgo multo majora, distinctius crenata aut dentato-serrata, magis membranacea et pubescenti-scabrida, ad hoc siccitate laetius viridia quam arboribus magis adultis, ut facile alterius Speciei esse videri possint. — Arbor satis magna, ramis sub florescentiae tempus denudatis, glabris, tenuioribus perinde ac floriferis e gemmis perulatis in cicatricibus foliorum delapsorum sitis emergentibus fulvo-tomentosis. Flores in eodem ramulo polygami, hermaphoditi in axillis superioribus foliorum novellorum supra sericeorum subtus fulvo-tomentosorum solitarii v. interdum in posteriorum axillis masculo uni vel duobus consociati; masculi fasciculis paucifloris in parte ramulorum posteriore foliis denudatâ, tetrandri, pedunculis tenerrimis simplicibus v. bifidis suffulti. Ovarium in floribus hermaphroditis apice paulo puberulum. Putamen magnitudine grani piperis albi, in ambitu costis quaternis e basi ad verticem ascendentibus leviter protuberantibus, et inter has obsolete rugulosum. — In Sinâ et Japoniâ.

215. Celtis (Euceltis) **Bungeana** Bl.: foliis e basi parum inaequali-acutiusculâ ovatis v. ovato-oblongis (1—2¼ poll., ½—1 poll. lat., pet. 3—6 lin.) acuminatis rarissime obtusiusculis supra medium distanter serrulatis v. integerrimis glabris in axillis nervorum subtus puberulis; pedunculis fructiferis solitariis petiolo 2—3-plo longioribus; drupâ ovoideâ, putamine lenticulari-compresso rugoso. — *Celtis sinensis* (haud PERSON!) Herb. Bunge. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3ᵉ Sér. X. 286. 5 (excl. forsan Syn. Spach!). — Specimen genuinum ipsius Bunge, ex Herbario Petropolitano, ab alio ex Herbario Person prorsus differt, ut adeo commutationem inter duas Species diversas factam esse perspicuum sit. Itaque nomen *Bungiana* propter antiquius *sinensis* Pers. mutandum. — In Sinâ boreali.

216. Celtis (Euceltis) **timorensis** Spanoghe: ramulis foliisque novellis secus nervos rufescenti-tomentosulis; foliis e basi oblique-rotundatâ v. subcordatâ ovatis ellipticisve (2½—3¾ poll., 1—2 poll. lat., pet. 3—4 lin.) acuminatis supra basin grosse crenato-serratis chartaceis supra glabris in nervis subtus petiolisque parce pilosulis; pedunculis femineis laxis paucifloris petiolo 3—5-plo longioribus; drupâ ovoideâ, putamine tetragono-ovoideo rugoso. Spanoghe in Linn. XV. 343. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3ᵉ Sér. X. 315 (inter species e genere excl.). — Fide speciminum a divo Spanoghe acceptorum, quae tamen cum stirpe ex Ordine *Rhamnearum* commixta erant. Procul dubio *C. Hamiltonii* et *C. serotinae* a V. Cl. Planchon descriptis valde affinis. Inflorescentia mascula more Sectionis in basi denudatâ ramulorum rufescenti-tomentosorum per corymbos s. fasciculos exiguos breviter pedunculatos, interdum flore masculo solitario ex axillis foliorum infimorum novellorum emergente; floribus pentandris, satis longe pedicellatis, pedunculo cum pedicellis hirtulis. Pedunculi florum fertilium solitarii ex axillis foliorum novellorum, multo longiores, laxi, racemoso- v. subcorymboso-pauciflori, quidam nonnisi 1—2-flori, hirsutuli. Ovarium fere glabrum, ad latera modo pilis aliquot appressis obsitum, ad basin annulo villoso cinctum. Stigmata filiformia, ovario triente longiora. Drupa magnitudine pisi majoris, rudimento stigmatico apiculata, glabra, sed in vertice pubescentiâ aliquâ appressâ conspersa, carne admodum glutinosâ. Putamen basi atque apice in apiculum attenuatum, subtetragonum, rugosum, crustaceum. Axillae nervorum foliorum non ut in *C. Hamiltonii* Planch. scrobiculatae. — In Timor.

217. Celtis (Euceltis) **Waitzii** Bl.: ramulis novellis ferrugineo-tomentosulis; foliis e basi subinaequali-attenuatâ v. obtusâ oblongis v. oblongo-lanceolatis (1¾—3¾ poll., ⅔—1½ poll. lat., pet. 2—4 lin.) acuminatissimis subintegerrimis v. obsolete serrulatis glabriusculis v. subtus in nervis petiolisque pube rarâ appressis; pedunculis femineis laxis paucifloris petiolo 3—5-plo longioribus; drupâ ovoideâ, putamine subgloboso rugosulo. —

Arbor 70—80 ped., trunco stricto, gracili. Folia adulta coriacea, satis rigida, saepe nervis venulisque impressis supra paulum rugulosa, primo utrinque, sicut petioli, maxime juxta nervos pilis ferrugineis teneris appressis conspersa. Inflorescentia florum fertilium, quam solam vidi, *C. timorensis* similis racemos v. corymbos laxos paucifloros efficiens. Drupae magnitudine pisi minoris, glabrae, rudimento stigmatis apiculatae. — Cum Varietate in Javae sylvis inter 3000—5000 ped. elatis.

β *Var. elliptica:* foliis ovatis v. ellipticis (1½—3¾ poll., 1—1½ poll. lat.).

Species forsan hujus Sectionis non satis cognita.

218. Celtis hamata Bl.: foliis e basi parum inaequali-rotundatâ ovatis v. ovato-ellipticis (2—4 poll., 1⅓—2¼ poll. lat., pet. 3—4 lin.) acuminatis medio ad apicem hamato-serratis coriaceis glabriusculis v. in nervis subtus petiolisque pube rarâ appressis. — In Archipelago indico.

219. Celtis (Sponioceltis) **cinnamomea** Lindl.: ramulis foliisque novellis secus nervos rufo-tomentosis; foliis e basi subinaequali-rotundatâ v. acutiusculâ ovatis v. ovato-oblongis ellipticisve (3—7 poll., 1½—3½ poll. lat., pet. 3—8 lin.) acuminatis supra basin grosse crenato-serratis coriaceis glabriusculis nitidis; cymis androgynis petiolo 2—4-plo longioribus. Lindl. in Wall. *Cat.* N°. 3696. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3^e Sér. X. 303. 29. — *Celtis reticulosa* Miq. Pl. Jungh. 69. 1. — Species et magnitudine, et formâ foliorum admodum variabilis. Habemus quoque specimina ex Herb. V. Cl. horsfield in regionibus orientalibus Javae collecta, quibus folia universe minora, vulgo paucioribus serraturis crenulaeformibus praedita. — In montanis Indiae orientalis, Javae, cet.

GIRONNIERA Gaudich. Flores dioici. Masc. Perigonium quadri-rarius quinquepartitum, laciniis praefloratione imbricatis. Stamina 4—5, perigonii laciniis opposita, sub rudimento pistilli inserta; filamenta in praefloratione incurva; antherae erectae, exsertae, introrsae, biloculares, dorso affixae. Fem. Perigonium ut in Masc., persistens. Ovarium uniloculare. Ovulum unum, parieti prope apicem appensum, amphitropum. Stigmata 2, elongato-filiformia, papillosa, nunc basi in stylum brevem unita. Drupa carnosa, perigonio suffulta, saepe stylo cum stigmatibus persistentibus coronata, putamine lenticulari-compresso, oblique truncato, laeviusculo. — Arbores in Asiâ tropicâ indigenae, inermes; gemmis nudis (haud perulatis); foliis alternis, penninerviis, integerrimis v. denticulatis; stipulis liberis, majusculis, convolutis, uti in *Ficu* gemmas terminales velantibus, deciduis et cicatricem annularem relinquentibus; floribus masculis glomerulato-spicatis; femineis in cymis contractis v. spicis laxis dispositis.

Obs. Arborem in Javâ habemus ex Ordine *Celtidearum*, quae ob folia penninervia proxime ad hoc Genus accedit, sed quod ad characterem vegetationis stipulis obsoletis, et quod ad inflorescentiam pedunculis femineis unifloris a *Gironnierâ* recedit. Hanc montani Javae occidentalis nomine *Galumpit* appellant, ipse autem in *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 599 Generi novo *Cyclostemoni* ex Ordine *Euphorbiacearum* accensui, injuriâ tamen ob diversam ovarii fabricam, quâ illam cum *Celtideis* congruere diligentior me docuit investigatio. Generis novi, *Gironnierae* Gaudich. proximi, typum exhibet, cujus character genericus pleniore examine est definiendus; nam mihi quidem nonnisi flores feminei fructusque immaturi innotuerunt, quamobrem haec tantum prodere possum:

Galumpita. Flores dioici. Fem. in pedunculis axillaribus solitarii. Perigonium quinquepartitum, laciniis praefloratione quincunciali-imbricatis, persistentibus. Ovarium uniloculare. Ovulum unum, apici loculi affixum, campylotropum. Stigmata 2, terminalia, linearia, papilloso-pubescentia. Drupa carnosa, stigmatibus coronata, putamine ovoideo-globoso, laeviusculo. — *G. cuspidata:* arbor fere 40—50 pedes alta; ramulis teretibus, glabris, fuscis, aciculatis, verruculis minutis cinnamomeis punctatis. Folia alterna, disticha, ovato-oblonga v. ovato-lanceolata, 4—6 poll., 1$\frac{1}{3}$—2$\frac{1}{4}$ poll. lata, acuminata, basi acutiuscula v. rotundata, subaequilatera, integerrima, penninervia, inter nervos patentes paulum prominentes tenuissime-reticulata, coriacea, rigidiuscula, glabra, sed subtus nonnihil scabrida, siccando supra in colorem rufescenti-fuscum abeuntia. Petioli 4—6 lin., supra sulco exarati, glabri, binis ad insertionem cicatricibus, obsoletis, stipularum lateralium fugacium parvarum. Pedunculi feminei axillares, solitarii, filiformes, petiolo plerumque duplo triplore longiores, apice articulati, uniflori. Perigonii laciniae ovato-rotundatae, inaequales, basi extus gibbae, glanduloso-punctatae, in marginibus membranaceo-extenuatis ciliolatae, vegeto-persistentes. Ovarium ovoideum, sessile, in apice loculi ovulo solitario campylotropo oophoro tuberculiformi affixo. Stigmata duo, terminalia, linearia, divergentia, fusco-velutina. Drupa carnosa, stigmatibus persistentibus coronata, ovoideo-globosa, magnitudine cerasi minoris, basi perigonio suffulta, superne striis longitudinalibus tribus prominentibus, glabra. Putamen ovoideo-globosum, vix conspicue obliquum, laeviusculum, sub lente obsolete punctulatum, osseum, intus nitidum, sulcis binis obsoletis lateralibus ex apice descendentibus, qua semen curvatum nondum maturum spermophoro tuberculiformi insidet. — In montosis Parang Javae occidentalis, ubi hanc arborem mense Augusto fructibus nondum plane maturis conspicatus sum.

220. Gironniera subaequalis Planch.: gemmis petiolis nervisque subtus appresse pilosis; foliis e basi parum inaequali oblongis v. ellipticis oblongo-lanceolatisve (3—6$\frac{1}{2}$ poll., 1$\frac{1}{4}$—3 poll. lat., pet. 2—4 lin.) acuminatis subtus praeter nervos glabriusculis; fructibus lenticularibus apice in stylum attenuatis stigmatibus triplo brevioribus. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3^{e} Sér. X. 339. 3. — *Kilulu* sund. — Arbor 40 ped., foliis in speciminibus javanis vulgo basi acutiusculis, apice longiusculè acuminatis, circa nervos paginae aversae pubescentiâ satis longâ minus quam in Varietatibus notatis appressâ; racemis femineis plerumque simplicibus, 1—2 poll. longis, paucifloris, quamquam flores nonnulli feminei subinde subsessiles in axillis foliorum enascuntur, vel solitarii, vel bini terni aggregati. Stylus fructuum longitudine variabilis, in *Var. β*, quae cum Varietate *Ceylanicâ*, a Planchon

V. Cl. notatâ, congruere videtur, multo brevior, cujus folia quoque non raro ad basin magis obtusa vel rotundata. In *Var. γ* folia basi acuta, apice in acumen brevius constricta, in reticulatione subtus inter nervos strigosos scabriuscula; racemis simplicibus v. subramosis; fructibus, ut in α stylo satis longo rostratis. In *Var. δ* folia oblonga, basi obtusa, longe cuspidata, a medio ad apicem crenulato-serrulata, subtus in reticulatione scabriuscula. — In Archipelago indico, et ut verisimile, in Zeylaniâ.

β *Var. brevistylis:* pubescentiâ magis appressâ; fructibus stylo breviori apiculatis. — In Javâ, Borneo, etc.

γ *Var. scabrida:* pubescentiâ minus longâ appressâ; foliis inter nervos subtus scabriusculis. — In Sumatrâ a Cl. Korthals lecta.

δ *Var. serrulata:* foliis medio ad apicem crenulata-serrulatis in reticulatione inter nervos subtus scabriusculis. — In Borneo.

221. Gironniera nervosa Planch.: gemmis petiolis nervisque subtus appresse pilosis; foliis e basi inaequali oblongis v. ellipticis lanceolatisve (3—7 poll., 1—3 poll. lat., pet. 2—4 lin.) acuminatis subtus inter nervos pubescentibus; fructibus lenticularibus apice stylo brevissimo apiculatis stigmatibus duplo brevioribus. Planch. *Ann. Sc. nat.* 3e Sér. X. 338. 2. — Arbor 20—30 ped., foliis basi magis inaequalibus ac vulgo obtusioribus quam *G. subaequalis* Planch., quae et subtus inter nervos costales pubescentiâ molli obteguntur. Stigmata subulata, imâ in stylum brevem persistentem unita v. interdum ad basin usque libera, in fructibus maturis nonnisi ex parte persistentia. Fructus drupacei magis strigulosi. In *Var. β* foliorum color subtus magis vergit in cinereum, reticulatione inter nervos costales ibidem magis conspicuâ et pubescentiâ minus densâ. — In Pulu Pinang, Malaccâ, Sumatrâ, Borneo, cet.

β *Var. cinerea:* foliis subtus cinerascentibus et minus dense pubescentibus.

222. Gironniera rhamnifolia Bl.: gemmis petiolis nervisque foliorum juniorum subtus sericeo-strigosulis; foliis e basi parum inaequali oblongis v. oblongo-lanceolatis (2—$8\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 2—6 lin.) acuminatis glabris; fructibus lenticularibus stigmate a basi diviso adaequantibus. — *Dicera rhamnifolia* Herb. Zipp. — Arborea, ramulis compresso-teretibus, subflexuosis, fuscis, glabris, fistulosis. Folia basi acutiuscula v. obtusa, breviter acuminata, integerrima v. superne subrepanda et interdum undulata, subtus inter nervos arcuatos reticulata, coriacea, glabra, siccata subtus virescentia, supra magis in fuscum vergentia. Spicae masculae axillares, solitariae v. geminatae, $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll., simplices v. bifidae, filiformes, rhachi appresse pubescente. Flores masculi sessiles, pallide viriduli. Fructus in racemulis $\frac{1}{2}$—2 poll. longis laxis patentissimis solitariis v. geminatis, pube rarâ brevissimâ appressâ sub lente vix conspicuâ aspersi stigmatibus divergenti-recurvis e basi bipartitis subulatis praediti, flavescentes. — In Guineâ Novâ.

Ord. **Artocarpeae** (*).

CEPHALOTROPHIS Bl. Flores dioici, masculi spicati, feminei supra receptaculum dense capitati. Masc. Perigonium tri- v. quadrifidum, laciniis praefloratione subvalvatis. Stamina 3—4, laciniis perigonii opposita; filamenta filiformia, longissima, in praefloratione incurva, dein elastice reflexa. Antherae introrsae, biloculares, subrotundae. Fem. Perigonium urceolatum, ore pertusum. Ovarium sessile, inclusum, uniloculare. Ovulum unum, apici loculi peltato-affixum, anatropum. Stylus terminalis, brevis, stigmate elongato-bifido. Bacca perigonio accrescenti corticata, monosperma. Embryon inversum, exalbuminosum, rectum. Cotyledones carnosae, parum inaequales, accumbentes, margine altero saepe connatae. Radicula brevissima, supera. — Arbores v. frutices Indiae orientalis, inermes v. aculeatae; foliis alternis, breve petiolatis, oblongis, integerrimis v. remote serrulatis, reticulato-venosis, glabriusculis; stipulis lateralibus, parvis, deciduis; spicis masculis solitariis v. geminis, axillaribus; capitulis femineis saepe fasciculatis.

Obs. Jam Endlicher V. Ill. in *Gen. Plant.* 282. de *Trophidibus*, „species,” ait, „americanae ab asiaticis verisimiliter diversae,” cui ego ob dissimilem inflorescentiam, in hoc Ordine longe majoris pretii quam in multis aliis, plane assentior. In genuinis Speciebus *Trophidos* flores feminei spicati v. racemosi, nudi, neque ut in hoc genere dense capitati, bracteolis et corpusculis turbinatis s. subglobosis tomentosis carnosis (qui flores abortivi putandi) cincti. Perigonium femineum in utroque genere urceolatum, ovarium includens, cujus quidem ovulum in *Trophide* magis parieti superne appensum, in *Cephalotrophide* vero apici loculi subpeltato-affixum. *Soroceam* St. Hil., in *Mém. Mus.* VII. 473 a *Trophide* P. Brown non diversam esse suspicor. Quodsi *Trophidis scandentis* Hook. et Arn. *Bot. of Capt. Beechey's Voy.* 214 accurata est descriptio, id quod vix addubites, illa quoque stirps Generis *Malaisiae* Blanco, *Cephalotrophidi* nostrae affinis, adjungere debet, praecipue floribus femineis intra receptaculum inclusis insignis. Character ejus, fide descriptionis: hic foret:

Malaisia Blanco. Flores dioici, masculi spicati, feminei intra receptaculum glomerati. Masc. Perigonium 3—4-partitum. Stamina 3—4, laciniis perigonii opposita; filamenta circa rudimentum pistilli inserta, perigonio longiora, elastica, antheris pendulis. Fem. Perigonium urceolatum, ore pertusum. Ovarium sessile, inclusum, uniloculare. Ovulum unum, suspensum. Stylus brevis, stigmate elongato-bifido. Bacca perigonio accrescente corticata, monosperma. Semen inversum. Embryon albumine parco v. nullo, curvatum. Cotyledones inaequales, conduplicatae, subchrysaloideae. Radicula supera. — Frutices Indiae orientalis, scandentes, inermes v. aculeatae; foliis alternis, breviter petiolatis, integris, venosis, glabris; spicis masculis in foliorum axillis solitariis geminisve; receptaculis femineis axillaribus, pedunculatis, solitariis v. aggregatis. — Species hujus Generis hae sunt: 1. *M. tortuosa* Blanco: caule

---

(*) *Moreas* Endl. ab hoc Ordine non satis diversas puto, itaque Genera illis ab Endlicher V. Ill. aliisque auctoribus annumerata hic cum *Artocarpeis* sunt conjuncta. Quin et *Celtideae* vix tamquam Ordo proprius ab *Artocarpeis* sunt segregandae.

scandente inermi; foliis ellipticis serrulatis apice tridentatis; baccis ovalibus. Blanco *Flor. Filip.* 789. — *Malaisis* incol. — In Philippinis. — 2. *M. scandens:* caule scandente inermi; foliis oblongis obtuse cuspidatis; baccis elongatis. — *Trophis scandens* Hook. et Arn. l. l. — *Caturus scandens* Lour. *Flor. Cochinch.* II. 751. — In Sinâ, circa Canton. — 3. *M.* (?) *spinosa:* arborenscens; ramis scandentibus aculeatis; aculeis longis acutis interdum recurvis; foliis ellipticis v. obovatis obtusis; baccis subglobosis. — *Trophis spinosa* Willd. *Spec. Pl.* IV. 2. 734. 4 (excl. ut in seq. Syn. *Herb. Amb.*!) — Hook. et Arn. *op. l.* 215. 4. — *Batis spinosa* Roxb. III. 762. 1 (ex parte! nempe modo stirps feminea h. l. descripta; mascula enim, si reverâ flores in globum congestos habeat, alii arbusculae, genere diversae, accensenda). — In Bengaliâ. — 4. *M.* (?) *aculeata:* ramis aculeatis; aculeis brevibus crassis angulosis obtusis; foliis obovato-cuneatis obtusis integerrimis glabris. — *Trophis aculeata* Roth *Nov. Pl. Ind. or.* 368. 1. Spr. *Syst. Veg.* III. 902. 5. — In Indiâ orientali.

223. Cephalotrophis javanica Bl.: foliis e basi obtusâ v. subcordatâ oblongis ellipticisve (1½—6 poll., ¾—2½ poll. lat., pet. 2—4 lin.) acutis v. obtuse acuminatis obtusisve integerrimis v. ad apicem exigue denticulatis glabriusculis v. subtus scabridis; spicis masculis brevibus (½—1½ poll.) triandris. — *Morus javanica* Bl. *Bijdr.* 488. — *Trophis coccinea* Herb. Zipp. et Spanoghe. — *Bebesahran* sund. — Frutex inermis, ramis sparsis, divaricatis, fuscis v. brunneis et plerumque lenticellis pallidis conspersis, junioribus flexuosis, ut petioli, pube brevissimâ subtili vix conspicuâ. Magnitudo ac forma foliorum (quae in speciminibus Timorensibus vulgo minora et obtusiora) admodum variabilis, nunc paulum inaequilateralia, vulgo texturâ chartaceâ, interdum minus magisve rigidiuscula, glabriuscula aut tactu subtus haud raro scabriuscula, marginibus sursum directis, supra nitida et venosa, subtus inter venas arcuato-connexas prominentes reticulatione vulgo rubicundâ. Stipulae ad basin petiolorum laterales, geminae, parvae, sessiles, semilanceolatae, appressae, membranaceae, extus, ut folia novella, sericeae, caducae. Spicae masculae in foliorum axillis solitariae v. geminae, in basi pedunculorum filiformium squamulis ovatis fugacibus cinctae, aut interdum in ramulis abbreviatis aphyllis subcorymbosae, cylindricae, rectiusculae, patentes s. pendulae, continuae v. interdum interruptae, sericeo-puberes. Flores masculi bracteolis minutis intermixti. Perigonium e basi cupulari trifidum, membranaceum, pallidum, extus parce sericeum, laciniis lato-ovatis, obtusiusculis, concavis, patentibus. Stamina 3, in fundo perigonii circa rudimentum pistilli setaceum inserta, ejusque laciniis opposita, glabra; filamenta lineari-subulata, perigonio multo longiora, in praefloratione incurva, deinde elastice reflexa et varie flexuosa; antherae subrotundae, utrinque retusae, dorso ad basin affixae, biloculares, loculis introrsum longitudinaliter dehiscentibus. Capituli feminei pedunculati, axillares v. foliorum lapsu laterales, solitarii v. in ramulis abbreviatis subfasciculati, globosi v. ellipsoidei, canescenti-subvelutini, floribus, quorum plerique aboriuntur, supra axem subglobosum sessilibus, bracteis minutis obtusis puberulis intermixtis. Perigonium globoso- v. ovoideo-urceolatum, coriaceum, ovarium arcte cingens, ore stylo perforato puberulum. Ovarium globoso-ovoideum, glabrum, in apice loculi ovulo solitario peltato-affixo, ni fallor, anatropo. Stylus terminalis, brevis, teretiusculus, subpubescens, in stigmata duo longissima filiformia saepe divergentia ac varie flexuosa tomentosa divisus. Baccae in quovis capitulo raro plures 1—3, sessiles, fere semipollicares, ellipsoideae, rudimento styli apiculatae, perigonio accrescente corticatae, coccineae, glabrae, ex hilo carpico basilari subrotundo secundum longitudinem paululum striatae. Semen ovoideum, vulgo nonnihil obliquum, inversum, rectum, exalbuminosum. Spermodermis membranacea, in superiore extremitate seminis, quâ suboblique annexum est, paulo crassior, a nucleo facile separabilis. Cotyledones maximae, paululum inaequales, carnosae, semiovoideae, plerumque altero latere secundum longitudinem connatae, extus plano-convexae, intus subrugosae, integerrimae v. minores interdum lobatae. Radicula brevissima, cylindrica, prominens, supera. Gemmula inter cotyledones inclusa. — In Javâ, Timor, cet.

TAXOTROPHIS Bl. Flores dioici, masculi spicati v. capitati, feminei solitarii. Mas. Perigonium quadripartitum, laciniis praefloratione valvatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, circa pistilli rudimentum inserta, in praefloratione apice incurva, deinde patentia. Antherae basi affixae, introrsae, biloculares. Fem. Perigonium tetraphyllum, foliolis subbiseriatis, levissime imbricatis. Ovarium sessile, uniloculare. Ovulum unum, parieti incrassato prope verticem appensum, anatropum. Stylus terminalis, bifidus, cruribus parum inaequalibus, intus stigmatosis. Fructus monospermus, perigonio minus magisve aucto cinctus, semine basi pericarpii baccatae cupulaeformi stylo rostratae oblique insidens. Embryon inversum, exalbuminosum. Cotyledones carnosae, inaequales. Radicula brevissima, obtusa. supera. — Arbores s. frutices Indiae orientalis, lactescentes, spinosae; foliis alternis, brevissime petiolatis, stipulatis, integerrimis v. irregulariter serratis, reticulato-venosis, glabris; floribus axillaribus, femineis subsolitariis, masculis dense spicatis v. capitatis.

Obs. Profecto affinis *Streblo* Lour., a quo peculiari fructus fabricâ distinguitur; nam semen quasi cupulae obliquae stigmatibus rostratae carnosae insidet, quapropter jam Roxburgh V. Cl. in *Flor. Ind.* III. 762. ad *Trophin spinosam*, quae eidem Generi annumeranda, haec notavit: „nova Species videtur *Trophin* et *Taxum* in sese conjungens.” Fructum ita describit: „Bacca oblique ovalis, cerasi magnitudine, receptaculo aucto semiimmersa, pulposa, monosperma.” Quod receptaculum appellat, ipsum est pericarpium, quum latus ovarii incrassatum, cui superne ovulum appensum, progrediente fructus maturitate sensim crassius fiat et succulentius, atque in obliquum vergens quasi cupulam exhibeat, cui semen oblique immersum.

224. Taxotrophis javanica Bl.: foliis ovatis ellipticis oblongisve (1—6½ poll., ½—2¼ poll. lat., pet. ½—1 lin.) apice emarginatis cum mucrone; floribus masculis spicatis; femineis solitariis longe pedunculatis; perigonii feminei foliolis lanceolatis fructu multo brevioribus. — *Urtica? spinosa* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 507. — *Panawar-beas* sund. — Frutex ramosissimus, ramis patentissimis, varie tortis v. flexuosis, cinereis, spinis ¼—1 poll. longis rectis subhorizontalibus solitariis acutatis apice nigricantibus armatus. Folia subdisticha, et formâ et magnitudine admodum variabilia, basi rotundata v. leviter cordata, apice modo in acumen obtusum emarginatum producta, modo magis obtusa et retusa, in emarginaturâ nervo exserto mucronata, basi integerrima, superne remote obtuse serrulata, coriacea, plana, glabra, supra subnitida atque interdum rugulosa, subtus reticulata, in pallide cinereum vergentia et in siccis subvariegata. Petioli perbreves, teretiusculi, ut ramuli novelli striati pube paene inconspicuâ obsiti, juxta insertionem stipulis binis lateralibus ovatis acutis appressis deciduis. Flores masculi per spicas simplices ¼—⅔ poll. longas solitarias sessiles v. brevissime pedunculatas densas axillares, breviter pedicellati, albi. Perigonii 4-partiti laciniae erecto-patentes, ovatae, obtusae, concavae, extūs obsolete puberes. Stamina 4; filamentis filiformibus, inaequilongis, in fundo perigonii circum pistillum rudimentarium parvum patellaeforme affixis; antheris in praefloratione ita inclinatis, ut loculi extrorsum spectent, subrotundis, utrinque retusis, dorso basin versus affixis. Flores feminei axillares, solitarii, longe pedunculati, viriduli; pedunculo filiformi, erecto-patente, unâ pluribusve bracteolis distantibus, ac pube rarâ consperso. Foliola perigonii per duas series sibi opposita, erecta, ovario appressa, lanceolata, subacuminata, extus pube parcâ obsita. Ovarium sessile, cylindricum, altero pariete, cui superne ovulum affixum, multo crassius. Stylus ovario continuus, terminalis, paene ad basin usque in binas lacinias subaequales subulatas intus stigmatosas divisus. Bacca perigonio explanato vegetopersistente sed magnitudine parum aucto et pedunculo apice incrassato suffulta, formâ valde paradoxâ, quippe quae cupulam succulentam altero latere superne stylo persistente rostratam aemulatur, cui semen oblique innatum. Semen ovoideum, inaequilaterum, obliquum. Embryon inversum, exalbuminosum. Cotyledones carnosae, inaequales, extus convexae, majore intus concaviusculâ, minore eâdem ratione convexâ. Radicula brevissima, obtusa, supera. Gemmula minutissima. — In Javâ.

225. Taxotrophis Roxburghii Bl.: foliis lanceolatis v. oblongo-lanceolatis (1½—4¾ poll., ½—2 poll. lat., pet. 1—2 lin.) acuminatis basi obtusis integerrimis v. apice serratis; floribus masculis in capitulis involucratis; femineis solitariis geminisve breve pedunculatis; perigonii feminei foliolis cordatis acuminatis fructu longioribus. — *Trophis spinosa* Roxb. III. 762. 2. — *Trophis Taxoides* Roth *Nov. Pl. Ind. or.* 368. 2. — *Trophis taxiformis* Spr. *Syst. Veg.* III. 902. 6. — *Epicarpurus timorensis* Decaisn. in *Nouv. Ann. Mus. d'hist. nat.* III. 499. tab. 21. — *Sukalee* Teling. — In Indiâ orientali, Timor.

STREBLUS Lour. Flores monoici v. dioici, masculi capitati v. spicati, feminei in pedunculis solitarii v. spicati. Mas. Perigonium quadripartitum, laciniis praefloratione subvalvatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, longissima, circa pistilli rudimentum inserta, in praefloratione incurva, dein elastice reflexa. Antherae basi affixae, introrsae, biloculares. Fem. Perigonium tetraphyllum, foliolis serie duplici arcte imbricatis. Ovarium sessile, uniloculare. Ovulum unum, parieti prope apicem appensum, amphitropum, micropyle superâ. Stylus paulo excentricus, profunde bipartitus, laciniis subulatis, interdum aequalibus, stigmatosis. Bacca subglobosa, foliolis accrescentibus perigonii involucrata, monosperma. Embryon inversum, exalbuminosum. Cotyledones carnosae, saepe connatae. Radicula cylindrica, incurva, supera. — Arbores v. frutices Indiae orientalis et Mauritianae, lactescentes, inermes; foliis alternis, breviter petiolatis, oblongis, irregulariter serrulatis, reticulato-venosis, scabriusculis; stipulis lateralibus, appressis, deciduis; pedunculis axillaribus, solitariis v. fasciculatis.

Obs. Prioritatis causa, quam nunquam negligere scientiae amabilis plurimi refert, servandum est *Streblus* Lour., itaque *Epicarpurus* mihi ipse retrecto. Ex duabus Speciebus in *Florâ Cochinchinensi* notatis, altera tantum *Str. asper* huic Generi annumeranda, altera *Str. cordatus* Lour. alii, fortasse *Broussonetiae* Vent.

1. *Verae.*

226. Streblus asper Lour.: foliis ovatis oblongis v. obovato-oblongis ($\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{3}$ poll., vix $\frac{1}{2}$—$1\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. 1—2 lin.) acutis v. obtusis v. obtuse acuminatis inaequaliter serrulatis v. repando-denticulatis imprimis subtus scabris; pedunculis femineis unifloris, masculis capitato-multifloris. Lour. *Flor. Cochin.* II. 754. 1. — *Trophis aspera* Retz Obs. V. 30. 86 (excl. Syn. *Herb. Amb.!*). Willd. *Spec. Pl.* IV. 2. 733. 3. Spr. *Syst. Veg.* III. 902. 2. Roxb. *Flor. Ind.* III. 761. 1. Rob. Wight in Hook. *Journ. bot.* I. 62. tab. 121. Hook. et Arn. in *Cap. Beech. Voy. bot.* 215. 6. — *Epicarpurus orientalis* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 488. Hasskl. *Pl. Jav. rar.* 197. N°. 125. — *Achymus pallens* Solander in Herb. Banks. — *Trophis zeylanica* König in Herb. Van Royen. — *Tinda-parua* Rheede *Hort: Mal.* I. 87. tab. 48. — *Kiserut* sund.; *Ampelas* s. *Hampelas* Mal.; *Sakhotuka* Sanscr.; *Syora* s. *Sheora* Hind. et Bengal.; *Barinka* Teling.; *Poora-marum* Tamul.; *Cây deó duói* Cochinch. — Modo frutex humilis, modo arborescens; ramis patentissimis, distiche ramulosis, e fusco cinnamomeis, glabriusculis, junioribus pube brevi densâ scabridis. Folia magnitudine ac formâ admodum variabilia, subdisticha, brevissime petiolata, rigida, basi obtusa et saepe retusa, rarissime subattenuata, magis minusve inaequilatera, supra nitida et glabriuscula aut paululum scabridra venisque impressis interdum rugulosa, subtus reticulata et scaberrima. Stipulae laterales, sessiles, appressae, ovatae, acutae, membranaceae, deciduae. Capitula mascula breviter pedunculata, solitaria v. plura conferta, axillaria, modo in stirpe diversâ, modo subinde in stirpe flores femineos gignente quaedam provenientia, sphaeroidea, 6—9 flora, puberula. Flores masculi bracteolis minutis ovatis obtusis subtomentosis intermixti, flavovirentes. Pedunculi feminei axillares, solitarii v. gemini, raro plures, $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll., filiformes, puberuli, in basi et vulgo in medio unâ bracteâ parvâ ovatâ apice duabus majoribus magis obtusis v. rotundatis oppositis foliolis perigonalibus consimilibus sed paulo minoribus et horum instar persistentibus. Perigonii foliola per paria arcte imbricata, ovarium occultantia. Stylus in ovario ellipsoideo v. subgloboso sublateralis, compressus, usque ad basin fere in duo stigmata longissime subulata plerumque inaequilonga divisus, persistens. Bacca depresso-globosa, succulenta, e luteo-aurantiaca, perigonio vegeto-persistente insigniter aucto involucrata, monosperma. Semen globosum. Testa chartacea, fragilis, fusco-punctulata. Membrana seminis tenuissima. Embryon exalbuminosum, curvatum. Cotyledones carnosae, saepe connatae, ut modo sulco laterali sint conspicuae, cui inclusa est gemmula satis magna foliolis conchaeformibus, sessilibus. Radicula cylindrica, incurva, supera. — Per Asiam tropicam et Archipelagum indicum atque moluccanum usque ad Guineam Novam latissime dispersa.

227. Streblus macrophyllus Bl.: foliis e basi obtusâ oblongis v. elliptico-oblongis (3—7½ poll., 1—2¾ poll. lat., pet. 2—4 lin.) obtuse acuminatis distanter obtuse serrulatis glabriusculis v. subtus parce scabridis; pedunculis femineis paucifloris. — *Tamboun* indig. — Ligno maxime utuntur ad paranda pistilla, quibus oryza contunditur. Ramuli flavescentes v. flavo-virentes, glabri, epidermide rugulosâ, tenuiores, ut petioli, pube brevissimâ densâ scabridi. Folia sicca viridula, supra glaberrima, subtus reticulato-venosa. Stipulae subulatae, acuminatae, appressae, membranaceae, diu persistentes, post lapsum cicatricem semicircularem relinquentes. Pedunculi vix longitudine petiolorum, axillares, solitarii, erecti, puberuli, ex apice floribus femineis 2—6 secundis brevissime pedicellatis parvis viridulis, in basi cujusque pedicelli bracteâ unâ ovato-rotundatâ appressâ margine ciliatâ. Foliola perigonii ovarium arcte cingentia, herbacea, ad margines tenuiora, ciliolata; exteriora duo ovata, obtusa; interiora duo paulo majora, paene ovalia. Ovarium ellipticum, glabrum, in stylum terminalem imâ compressum elongatum attenuatum. Stylus ovario fere quadruplo longior, in lacinias duas filiformi-subulatas subaequilongas intus papillosas partitus. — In Celebes in sylvis circa Likupang.

2. Subgen. *Parastreblus.* Flores masculi ut feminei dense spicati.

228. Streblus mauritianus Bl.: foliis obovatis oblongisve (2—6½ poll., 1—2¾ poll. lat, pet. ¼—½ poll.) obtusis v. retusis v. acutiusculis subintegerrimis rigidis subtus scabriusculis; spicis dioicis, masculis elongatis, femineis brevioribus cylindraceis. — *Morus mauritiana* Jacq. icon. rar. III. tab. 617. Ejusd. *Collect.* III. 206. et IV. 224. Ejusd. *fragm. bot.* 9. N°. 32. tab. 5. fig. 3. Gmel. *Syst. nat.* 283. Lam. *Enc. bot.* IV. 381. 11. Willd. *Sp. pl.* IV. 1. 371. 8. Pers. *Syn. pl.* II. 558. 9. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 487. Spr. *Syst. Veg.* I. 492. 11. Roxb. *Flor. Ind.* III. 599. 6. — *Morus ampalis* Lam. *Enc. bot.* IV. 380. 10. — *Morus rigida* Hasskl. *Cat. Bogor.* 74. Ejusd. *Pl. Jav. rar.* 198. N°. 126. — In insulis Mauritii, Madagascar, cet.

Species non satis cognita.

229. Streblus lactescens Bl.: foliis lanceolatis serratis undulatis asperis; floribus femineis cum masculis subfasciculatis. — *Calius lactescens* Blanco *Flor. Filip.* 698. — *Calios.* s. *Alodig* indig. — In Philippinis.

TOM. II. Nr. 6

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Artocarpeae.**

PARATROPHIS Bl. Flores dioici, spicati. Masc. Perigonium quadrifidum; laciniis praefloratione valvatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformi-subulata, circa pistilli rudimentum inserta, in praefloratione inflexa, elastica; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae. Fem. Perigonium profunde quadripartitum; foliolis oppositis, inaequalibus, imbricatis. Ovarium uniloculare. Ovulum unum, parieti prope apicem appensum, anatropum. Stylus terminalis, alte bipartitus, laciniis linearibus, subaequalibus, intus stigmatosis. Drupa baccata, perigonio parum aucto suffulta styloque bipartito terminata, putamine compresso-ovoidea, laevi. Embryon intra albumen tenue carnosulum homotropum, uncinatum; cotyledonibus foliaceis, aequalibus, conduplicatis; radiculâ elongatâ, ascendente. — Arbor procera, in Novâ Zelandiâ indigena; foliis alternis v. ad apicem ramulorum suboppositis, brevissime petiolatis, denticulatis, reticulato-venosis, rigidis, glabris; stipulis lateralibus, parvis, deciduis; floribus masculis in spicis subterminalibus cylindraceis densifloris, femineis laxe spicatis; drupis rubris.

Obs. A V. Cl. Raoul in *Choix de Plantes de la Nouvelle-Zélande* arbor haec ad Genus *Epicarpurum* mihi est relata, quod olim Loureiro in *Florâ Cochinchinensi Streblum* nominaverat, unde tamen fabricâ seminis plane diversâ longe recedit. Potius florum fabricâ ad *Celtideas* accedere videtur, quae quidem ab *Artocarpeis* vix tanquam Ordo proprius videntur segregandae. Ex *Artocarpeis* Generi huic proximum foret *Trophis*, e *Celtideis* vero *Gironniera* Gaudich.

230. Paratrophis heterophylla Bl. — *Epicarpurus microphyllus* Raoul in *Ann. sc. nat.* (1844) II. 117. Ejusd. *Plant. Nov. Zel.* 14. tab. 9. — *Towaï* incol. — In Novâ Zelandiâ.

MACLURA Nutt. Flores dioici rarissime monoici, super receptaculum dense capitato-congesti v. masculi spicati v. racemosi. Masc. Perigonium quadripartitum, laciniis spathulatis, apice cucullato-conniventibus et praefloratione imbricatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita, in praefloratione erecta; filamenta filiformia, laciniis perigonii ad basin inserta; antherae introrsae, biloculares, dorso ad basin affixae. Fem. Perigonium tetra-rarissime triphyllum, foliolis cucullato-concavis, imbricatis, rarissime in urceolum concretis, ovarium includentibus. Ovarium sessile, lenticulari-compressum, uniloculare. Ovulum unum, parieti superne affixum, campylotropum, stomate supero. Stylus terminalis, filiformis, simplex v. bifidus, crure altero elongato, altero nano v. abortivo. Achenia monosperma, perigoniis baccatis inter se coalitis inclusa. Semen inversum; testâ crustaceâ. Embryon uncinatum. Cotyledones foliaceae, incumbentes, margine circa radiculam convolutae et nonnihil plicatae. Radicula longa, curvata, ascendens.— Arbores v. frutices spinosae, lactescentes, in Americâ boreali, Japoniâ et Asiâ tropicâ crescentes; ramis interdum scandentibus; foliis alternis, petiolatis, integerrimis v. serratis, nervo exserto mucronatis, venosis, glabris v. subtus pubescentibus; stipulis lateralibus, deciduis; capitulis axillaribus, breviter pedunculatis: syncarpiis subglobosis, tessellatis, sapidis.

Obs. A *M. aurantiacâ* Nutt. e Luisianâ, quae typum hujus Generis refert, Asiaticae Species stylo multo breviore raro apice in crura bina diviso differunt. Auctori Generis inflorescentia mascula fuit incognita, a V. Ill. Endlicher in *Gen. Plant.* p. 278 tamquam racemosa descripta, in asiaticis vero nostris non aliter ac feminea capitata. Quodsi huic characteri tantum tribuas, ut Generis inde diversitatem statuas, quod mihi quidem non videtur, Subgenus nostrum *Leptosura* Genus proprium esset habendum.

1. *Eumaclura.* Flores masculi spicati v. racemosi, rarissime femineis interjecti. Stylus longissimus, bifidus, crure altero elongato exserto, altero nano v. abortivo.

231. Maclura aurantiaca Nutt.: arborea; ramulis novellis glabris; foliis ovatis v. oblongo-ovatis ($2\frac{1}{2}$—$5\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 8—14 lin.) acuminatis basi rotundatis v. subcordatis integerrimis v. subrepandis supra glabris subtus puberulis. Nutt. *Gen.* II. 334. Lamb. *Pin.* II. *App.* tab. 12. — *Joxylon Rafin.* — In Americâ boreali.

232. Maclura velutina Bl.: arborea; ramulis novellis sericeo-puberulis; foliis ovato-oblongis v. oblongo-lanceolatis (2—$3\frac{3}{4}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatis basi oblique-rotundatis v. subcordatis integerrimis v. remote obtuse serrulatis supra scabriusculis subtus molliter puberulis. — *Broussonetia tinctoria* (haud Kunth.) H. Wydler Herb. — *Morus tinctoria* (haud Linn.) Mill. *Dict.* N°. 8. — In Portorico, cet.

233. Maclura Plumiera Don.: arborea; ramulis novellis sericeo-puberulis; foliis ovato-lanceolatis (2—3 poll., $\frac{3}{4}$—1 poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—2 lin.) acuminatis basi subaequali-rotundatis grosse serratis supra scabris subtus imprimis in venis puberulis. D. Don. (ex Steud. *Nomencl. bot.* (ed.2ª) II. 87.) — *Broussonetia Plumerii* Spr. *Syst. Veg.* III. 901. 3. — *Morus Plumiera* Burm. (ex Steudel l. c.) — *Morus* quae *Tataiba* Plum. *Icon.* 199. fig.

204. — *Zanthoxylum aculeatum Carpinifoliis American. cortice cinereo* Pluk. *Alm.* 596. *Phytogr.* tab. 239. fig. 3. — *Morus spinosa* Herb. Meerburg. — In Indiâ occidentali.

234. Maclura tinctoria Don.: arborea; ramulis novellis glabris; foliis oblongis v. ovato-oblongis (2—4 poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1—2 lin.) acuminatis basi inaequali-cordatis v. rotundatis (basi nempe hinc productioribus) serratis utrinque glabris v. in venis subtus parce puberulis. D. Don. (ex Steud. *Nomencl. bot.* (ed. 2^{a} II. 87.) — *Morus Zanthoxylum* Jacq. *Americ. Hist.* 247. tab. 180. fig. 55. (excl. ut in seq. Synon. plur.) Mill. *Dict.* N°. 8. — *Morus tinctoria* Linn. *Spec. Pl.* 1399. 7. Houtt. *Nat. Hist.* II. 3. 288. 7. Lam. *Enc. bot.* IV. 379. 7. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 371. 9. Pers. *Syn. Pl.* II. 558. 10. — Morus lactescens, foliis oblongis acutis paginis exterioribus productioribus, ligno citrino Brown. *Jam.* 339. — *Morus fructu viridi, ligno sulphureo tinctorio* Sloan. *Jam.* 128. *Hist.* II. 3. tab. 158. fig. 1. Raj. *Dendr.* 14. — *Fustick Wood* Raj. *Dendr.* 666. — *Tataiiba* Pis. *Bras.* 163. Marcgr. *Bras.* 119. — *Broussonetia tinctoria* Kunth *Syn. Pl. Orb. nov.* I. 370. 1. fortasse Species ab hac diversa, quod accuratiori utriusque comparatione dijudicandum. — In Jamaicâ, Brasiliâ.

235. Maclura Sieberi Bl.: arborea; ramulis novellis glabris; foliis ovato- v. elliptico-oblongis ($2\frac{1}{2}$—4 poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 3—4 lin.) acuminatis basi subaequali-rotundatis mucronato-serratis utrinque glabris. — *Morus* sp. Herb. Sieb. *Flor. Trinit.* N°. 105. — Haec quidem a praecedenti specifice differre videtur foliis longius petiolatis, basi multo minus inaequalibus, sat grosse serratis. Hac in stirpe capitulis femineis flores quoque masculi complures plus minusve irregulariter evoluti continentur, id quod in aliis quoque Speciebus, veluti in *M. tinctoriâ*, usu venire videtur. Phyllorum perigonialium eorum florum masculorum perturbata est dispositio, quae nullo ordine conspicuo receptaculum inter flores femineos squamarum cucullatarum instar obtegunt, quas inter stamina erumpunt. Haec quoque anomalia. Filamenta brevia, complanata, recta; antheris filamento continuis, connectivo dilatato terminatis, bilocularibus, loculis parallelis, forsitan transverse disrumpentibus. Flores feminei conformatione suâ hoc quoque insigniuntur, quod perigonium eorum ovarium arcte vaginans phyllis s. squamis 2—3 urceolato-concretis constat. Stylus interdum paulo excentricus, filiformis, longissimus, undique stigmatosus. Ovarium sessile, compressum, ovulum parietale amphitropum continens. Achenia monosperma, perigoniis et squamis baccatis inter se concrescentibus inclusa. Ceterum haec stirps cum reliquis habitu congruit, unde haudquaquam ob anomaliam relatam separanda, quippe quae simultaneae florum masculorum femineorumque in eodem receptaculo evolutioni videtur tribuenda. — In Trinitate.

2. *Leptosura.* Flores masculi et feminei dense capitati. Stylus brevis, simplex v. tandem apice bifidus.

236 Maclura javanica Bl.: fruticosa, scandens; ramulis novellis pedunculisque tomentosis; foliis ellipticis v. elliptico-lanceolatis obovatisve ($1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 3—5 lin.) utrinque acutis v. apice acuminatis obtusisve glabris. — *Trophis spinosa* (haud Roxb.) Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 489. — *Cudranus Bimanus* s. *Javanus* Rumph. *Herb. Amb.* V. 22. 1. tab. XV. fig. 2. — *Tjutjuk kaliageh* s. *Duri kaliageh* Sund.; *Kudrang* Mal. et Jav.; *Tschira* in Bima; *Menjom bulu* in Macassariâ. — Synonyma hujus Speciei e descriptionibus dijudicare difficile est. Quatenus Willdenow in *Spec. Plant.* IV. 2. 734. in *Trophi spinosâ* et Roxburgh in *Flor. Ind.* III. 762 in *Bati spinosâ Cudranum* Rumphii nostri laudant, ex parte modo habenda est eorum ratio; nam stirps ab iis descripta ad hoc Genus referri nequit. Quod satis intelligitur ex iis, quae de fructu memorat Roxburgh: „Bacca raro plus una ad perfectio- „nem perveniens, globularis, magnitudine pisi magni, monosperma, ubi „ad maturitatem pervenit amentum s. receptaculum obliteratum est et „unica bacca monosperma apparet" — quum *Cudrani* fructus compositus cum *Mori* potius conveniat. Itaque *Batin spinosam* Roxburgh (s. *Trophin spinosam* Willd.) ad *Malaisiam* Blanco referendam esse verisimile, cum ob fructus, quam diximus, conformationem, tum quod, auctore Roxburgh, flores feminei „germina nuda sunt, circiter decem vel duodecim, pulpae amenti s. receptaculi immersa." — *Batis fruticosa* ejusdem auctoris s. *Trophis fruticosa* Hook. et Arn. majori jure huc referenda est, haud ullo dubio *Maclurae* Species. — Truncorum adultiorum et radicum lignum interius durissimum corneum cerinum s. ochraceum praesertim *Kudrang* nostrae javanicae ad colore luteo vel viridi tingendum utile est, quae virtus ei cum plantâ americanâ est communis. — In Javâ insulisque vicinis.

237. Maclura timorensis Bl.: fruticosa, scandens; ramulis novellis pedunculisque sericeo-puberulis; foliis e basi rotundatâ ovato-oblongis v. oblongo-lanceolatis ovalibusve ($1\frac{1}{2}$—4 poll., 1—$1\frac{1}{3}$ poll., lat., pet. 4—6 lin.) acuminatis rarius obtusis glabris. — *Trophis spinosa* (haud Roxb.) Herb. Zipp. — Foliis ad basin rotundatis apice plerumque longioribus saepe obtusiuscule acuminatis siccando in colorem fusciorem supra nigro-fuscum transeuntibus a superiore diversa. In hac quoque raro spinis raris brevissimis, in *M. javanicâ* longioribus fere armati sunt ramuli. — In Timor.

238. Maclura amboinensis Bl.: fruticosa, scandens; ramulis novellis pedunculisque glabriusculis; foliis e basi obtusiusculâ v. rotundatâ rarissime acutiusculâ ellipticis v. elliptico-oblongis ovatisve ($1\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{2}$ poll., 1—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 4—5 lin.) acutis v. breviter obtuse acuminatis glabris. — *Cudranus Amboinicus* Rumph. *Herb. Amb.* V. 22. 2. tab. XV. fig. 1. et tab. XVI. — A duabus praecedentibus foliorum venis lateralibus minus crebris haud ita patentissimis diversa. Ramuli scandentes quoque, ut jam Rumphius docuit, spinis carent, quae in *M. javanicâ* vulgo satis longae. — In Moluccis.

239. Maclura gerontogaea Sieb. et Zucc.: fruticosa, scandens; ramulis novellis pube rarâ scabridis; foliis ellipticis v.

oblongo-ellipticis v. lanceolatis obovatisve ($\frac{3}{4}$—3 poll., $\frac{1}{3}$—1$\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 2—5 lin.) utrinque attenuatis v. apice obtusis glabris; pedunculis sericeo-puberulis. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Akad. Wiss.* IV. Abth. III. 220. N°. 771. — Frutex spinis crebris instructus; spinis axillaribus, solitariis, in ramulis stirpium juniorum rectis, divaricatis s. patentibus, adultiorum rarioribus, patenti-recurvis apice nigro-brunneis. Folia quoque pro aetate fruticis maxime diversa. Juniorum minora, magis elliptica, saepe aliquot denticulis distantibus ad margines; adultiorum magis oblonga s. lanceolata, basi magis attenuata, integerrima, etiam longius petiolata. Fructuum capitula axillaria, solitaria v. gemina, globosa, brevissime pedunculata, lutescentia. Stirpem hanc Japoniae e Sinâ importatam esse verisimile est, itaque quaeri potest, an forte eadem sit, de quâ jam Rumphius in *Herb. Amb.* V. 24: „In Sinâ quoque haec stirps nota esse videtur, quam suâ linguâ „*Kekatsji* appellant, quamquam illic lignum tinctorium non e trunco, sed „e radicibus petunt, et folia quoque adversus anthraces adhibent." — Stirps nostra in Japonià nomine *Kwa kwats ga ju* vel *Kasa-mikan* gaudet; Sinensium linguâ *Lí-tsè-kiu*, japonico idiomate *Rei-si-kits*, proprie *Li-tschi-kiñ* (jap. *Rei-tsi-kits*), i. e. *Citrus Li-tschi* similis, nam *Li-tschi* est *Nephelium Li-tschi* et *ju Citrus*, quoniam stirps ea spinis ad *Aurantiaceas* quasdam, fructibus vero ad *Nephelium Li-tschi* quodammodo accedit.

BROUSSONETIA Vent. Flores dioici. Masc. dense spicati, bracteati. Perigonium quadripartitum; laciniis praefloratione valvatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, circa pistilli rudimentum inserta, in praefloratione incurva, elastica; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae. Fem. super receptaculum globosum dense capitato-congesti, floribus abortivis mixti. Perigonium tubulosum, obsolete tri-quadridentatum. Ovarium uniloculare, gynophoro demum elongato suffultum. Ovulum unum, parietale, amphitropum, stomate supero. Stylus paulo excentricus, filiformis, longissimus, indivisus, rarissime apice bifidus, undique stigmatosus. Achenium monospermum, longe stipitatum, perigonio baccato obtectum, stylo excentrico terminatum. Semen inversum; testâ durâ, fragili. Embryon intra albumen carnosum homotropum, uncinatum; cotyledonibus planiusculis, incumbentibus; radiculâ ascendente. — Arbores v. frutices lactescentes, inermes, Sinae et Japoniae incolae, quarum species, excolendo ut videtur, per Asiam insularem usque ad insulas maris Pacifici dispersa est; foliis alternis, petiolatis, mixtinerviis, integris v. lobatis, serratis; stipulis lateralibus, deciduis; spicis masculis et capitulis femineis axillaribus, pedunculatis.

Obs. Perigonium tubulosum succulentum perfecte obtegit semen gynophoro clavato succulento suffultum, cujus testa dura nonnihil tuberculata.

240. Broussonetia papyrifera Vent.: ramulis pubescentibus; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ v. acutiusculâ subrotundo-ovatis (3—7 poll., 2—6½ poll. lat., pet. 1—5 poll.) acuminatis indivisis v. varie palmato-lobatis serratis supra scabris subtus molliter pubescentibus; stipulis ovato-lanceolatis ciliatis; spicis masculis cylindraceis. Vent. *Tabl. du règne végét.* III. 547. Andr. *bot. Reposit.* tab. 488. Duham. *Arbr. Fasc.* 16. 25. tab. 5. Willd. *Spec. Pl.* IV. 2.743. 1. Pers. *Ench. bot.* II. 612. 1. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 487. Spr. *Syst. Veg.* III. 901. 1. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Ak. Wiss.* IV. 3^{te} Abth. 220. N°. 772. — *Papyrus japonica* Lam. *Enc. bot.* V. 3. *Illustr.* tab. 762. — *Morus papyrifera* Linn. *Spec. Pl.* 1399. 3. N. Burm. *Flor. Ind.* 198. Houtt. *Nat. Hist.* II. 3. 283. 3. Thunb. *Flor. Jap.* 72. — *Kaadsj. Papyrus, fructu Mori Celsae*; sive *Morus sativa, foliis Urticae mortuae, cortice papyrifera* Kaempf. *Amoenit. exot.* 471 cum fig. in p. 472. Ejusd. *Hist. Japon.* tab. 40. fig. 1. — *Morus papyrifera sativa japonica* Seb. *Thes.* I. 44. tab. 28. fig. 3. — *Saaïh* s. *Diluvang* Sund. — *Kadsinoki* et *Kaminoki*; *Kauzo*; *Kwa kok zjou tsjo* Japon. — *Tch ou*; *Hôa ko choú* Sin. — In Sinâ, unde importata in Japoniam aliasque regiones cultas Archipelagi indici et insularum Maris pacifici. Hac maxime, in Japoniâ vero sequenti saepius Varietate ad parandam chartam utuntur, cortex pro funibus ac liber pro linteo inservit.

β *Var. japonica:* foliis supra minus scabridis tactu utrinque molliter puberulis. — *Broussonetia Kazi* in horto V. Cl. Sieb. — An forte hybrida *Br. papyriferae* et Speciei sequentis? Ramuli novelli minus dense pubescentes, folia quoque vulgo brevius petiolata, aliquanto tenuiora, supra leviter modo scabriuscula, in paginâ aversâ pube brevissimâ nonnisi subpubescentia, spicis quoque masculis illâ brevioribus. Ut verisimile, citatum ex Kaempfer supra laudatum ad hanc Varietatem referendum est, quae crebrius illâ in hortis Japonensium invenitur et eodem nomine ab illis appellatur.

241. Broussonetia Sieboldii Bl.: ramulis non scandentibus, novellis obsolete puberulis; foliis e basi oblique rotundatâ v. truncatâ v. subcordatâ ovatis v. ovato-oblongis (4—6 poll., 2—4 poll. lat., pet. ½—¾ poll.) cuspidatis indivisis v. inaequaliter bi-trilobis serratis utrinque glabriusculis (in siccis scabris); stipulis subulato-lanceolatis obsolete ciliatis; spicis masculis ellipsoideis. — *Br. Kazinoki* Sieb. in *Verh. Bat. Gen.* XII. 28. N°. 165. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Ak. Wiss.* IV. 3^{te} Abth. 221. N°. 774. — *Br. Kaempferi* (haud Sieb. in *Verh. Bat. Gen. l. c.* !) Sieb. *Kruidk. Naamlijst* (1844) 25. N°. 39. — *Morus Kaempferi* in *Hort. Belgicis.* — *Kadsinoki* et *Kaminoki* Japon. — Cum haec Species, tum *Br. papyrifera* Vent. genuina et ejus *Var. β* Japonice *Kadsinoki* dicuntur, itaque ne inter se confundantur, nomine inventoris hanc appellare satius puto, cum praesertim ipse eam postea cum *Br. Kaempferi* commutaverit. Nam arbuscula nomine *Br. Kaempferi* hortis nostris importata ad Speciem hic descriptam referenda est, a *Br. Kaempferi* foliis multo latioribus ramulisque non scandentibus insignis. — In Japoniâ, et spontanea, ut in monte *Tsi dsi jama*, et in hortis culta.

242. Broussonetia Kaempferi Sieb.: ramulis interdum scandentibus, novellis pubescenti-hirtulis; foliis e basi cordatâ v. oblique-subcordatâ v. rotundatâ oblongis v. ovato-oblongis (2½—4½ poll., ¾—1½ poll. lat., pet. 3—8 lin.) acuminatis indivisis serratis utrinque subpubescenti-scabris; stipulis subulato-lanceolatis pubescentibus; spicis masculis subglobosis v. ellipsoideis. Sieb. in *Verh. Bat. Gen.* XII. 28. N°. 166. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Ak. Wiss.* IV. 3te Abth. 221. N°. 773. — *Morus nigra* (haud Linn.) Thunb. *Flor. Jap.* 71 (excl. Synon.) — *Kaadsj Kadsira*, it. *Kago Kadsira. Papyrus spuria* Kaempf. *Amoen.* 474. *icon* in 472. et *Kaadi Kadsura*, it. *Kago Kadsura* 895. — *Kadsinoki-itsigo* et *Kitatsino-kasno ha itsigo* Japon. — In Japoniâ.

Species non satis cognita.

243. Broussonetia cordata Bl.: foliis cordatis acutis serratis; spicis masculis (parvis) conicis. — *Streblus cordatus* Lour. *Flor. Cochin.* II. 755. 2. — *Tsong Xú* Sinice. — In Sinâ circa Canton.

BLEEKRODEA Bl. Flores monoici. Masc. Perigonium quadri- v. quinquefidum; laciniis praefloratione valvatis. Stamina 4—5, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformi-subulata, circa pistilli rudimentum inserta, in praefloratione incurva, elastica; antherae introrsae, biloculares, dorso ad basin affixae. Fem. Perigonium tubulosum, quadridentatum. Ovarium sessile, uniloculare. Ovulum unum, parieti styligerae affixum, amphitropum, stomate supero. Stylus lateralis, filiformis, longissimus, stigmate inaequali-bifido. Achenium monospermum, perigonio baccato inclusum. Semen .... Arbusculae lactescentes, inermes, in insulis Borneo et Madagascar repertae; foliis alternis, brevissime petiolatis, integerrimis v. inaequaliter dentato-serratis, reticulato-venosis, glabris, junioribus pube scabridâ aspersis; stipulis lateralibus, appressis; cymis axillaribus, solitariis, monoicis; floribus femineis in dichotomiâ rhachium solitariis, sessilibus; masculis copiosioribus.

Obs. Non nunc primum viro de scientiâ amabili haud ita bene merito Genus dedicatum fuit. Alii quoque, aliarum doctrinarum cognitione insignes, aut de salute publicâ egregie meriti digni visi sunt, quorum ita servaretur memoria, id quod Genera *Lavoisiera* De Cand., *Bertholletia* Humb. et Bonpl., *Gaylussacia* Kunth, *Hufelandia* Nees, multaque alia diserte probant. Itaque non mirandum, si hoc in *Artocarpeis* insigne Genus viro dedicavi, qui, quantâ est scientiâ et industriâ, a longo inde tempore id unice spectavit, ut officinarum in patriâ nostra prosperitatem, emendandis aliis, aliis plane novis repertis, augeret aut sustentaret, atque in eâ quidem re optimo successu usus est. Equidem illum honorem Viro Clarissimo Dr. S. Bleekrode, in Academiâ Delficâ Professori aestumatissimo, qui rem tam utilem et operâ et scriptis promovere non desinit, merito tribuendum esse putavi. Ceterum Genus hoc maxime accedit ad *Broussonetiam* Vent., a quâ ovario sessili, stylo laterali semper bifido, maxime vero vegetatione, foliaturâ et inflorescentiâ cymosâ satis distinguitur.

244. Bleekrodea insignis Bl.: foliis oblongo-lanceolatis ($3\frac{1}{2}$—6 poll., $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) longe acuminatis repandis v. inaequaliter dentato-serratis; cymis laxis fusco-tomentosulis; floribus masculis pedicellatis tetrandris. — Locis montanis in Borneo.

245. Bleekrodea madagascariensis Bl.: foliis oblongo-lanceolatis ($\frac{3}{4}$—2 poll., 6—11 lin. lat., pet. 1 lin.) obtuse acuminatis v. utrinque obtusiusculis subintegerrimis; cymis capitato-contractis puberulis; floribus masculis subsessilibus pentandris. — It. Pervillé N. O. Madagasc. N°. 694. ex Herb. *Mus. Paris.*

Ord. **Monimiaceae.**

KIBARA Endl. Flores monoici. Coenanthium turbinato-globosum, ore serie 2—3 plici squamularum 4 oppositarum subclausum. Masc. Stamina 5—7, inclusa; filamenta complanato-triquetra; antherae parvae, filamentorum apice obtuso adnatae, uniloculares, rimâ transversali per valvas 2 inaequales dehiscentes. Fem. Ovaria plurima, inclusa, pressione angulata, unilocularia. Ovulum unicum, pendulum, anatropum. Stigma sessile, obtusum. Drupae carnosae, brevissime pedicellatae, ellipsoideae, coenanthio sub grossificatione transverse fisso demum discoideo-convexo carnoso umbellatim insidentes, monospermae. Semen inversum. Embryon in axe albuminis carnosi rectum; cotyledonibus parvis, planis; radiculâ clavatâ, obtusâ, superâ. Arbores Archipelagi indici; foliis suboppositis, integerrimis v. serratis; coenanthiis axillaribus et terminalibus v. foliorum lapsu saepe lateralibus, racemosis v. paniculatis v. umbellatis.

246. Kibara Blumei Steud.: foliis coriaceis elliptico- v. ovato-oblongis (4—$13\frac{1}{2}$ poll., $2\frac{1}{2}$—6 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll.) acutis v. obtusiusculis v. subacuminatis versus apicem remote serratis supra glabris subtus puberulis; coenanthiis subpaniculatis. — Steud. *Nomencl. bot.* (ed. 2ª) I. 846. — *Brongniartia coriacea* Bl. *Bijd. Flor. Ned. Ind.* 436. — *Kibara* s. *Ramok dagien* Sund. — Cum Varietatibus sequentibus in sylvis montanis Javae.

β *Var. serrulata:* foliis integerrimis v. versus apicem repando-serrulatis subtus in nervo medio puberulis. — *Sciadicarpus Brongniartii* Hassk. *Diagn. nov.* 82. Ejusd. *Cat. Hort. Bog.* 86. Ejusd. *Pl. Jav. rar.* 209. — *Kibara* s. *Tjulanka* Sund.; *Kaju loua* Mal.

γ *Var. pubescens:* foliis integerrimis v. versus apicem repando-serrulatis subtus stellato-pubescentibus.

247. Kibara chartacea Bl.: foliis chartaceis elliptico-oblongis (9—14 poll., $3\frac{1}{3}$—5 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll.) acuminatis versus apicem repando-serrulatis utrinque glabris; coenanthiis simpliciter racemosis. — Cum Varietate in Sumatrâ.

β *Var. apiculata:* foliis ovalibus v. elliptico-oblongis (8—13 poll., $3\frac{1}{2}$—6 poll. lat.) acutis v. breviter apiculatis versus apicem repandis v. repando-serrulatis.

248. Kibara obtusa Bl.: foliis chartaceis ellipticis (3—4 poll., $1\frac{1}{2}$—2 poll. lat., pet. 5—6 lin.) obtusis v. retusis integerrimis v. ad apicem repandis glabris in nervo medio subtus puberulis; coenanthiis simpliciter racemosis v. subumbellatis. — In Celebes.

Species non satis cognita.

249. Kibara cuspidata Bl.: foliis coriaceis ovalibus ellipticisve ($\frac{3}{4}$—1 ped., 4—$7\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$ poll.) obtuse cuspidatis versus apicem repando-serratis v. serrulatis supra glabris subtus puberulo-scabridis. — In Sumatrâ.

MATTHAEA Bl.: Flores dioici. Coenanthium depresso-turbinatum, ore serie duplici squamularum 4 oppositarum subclausum. Masc. Stamina 4, inclusa; filamenta brevissima; antherae ovoideae, biloculares, loculis rimâ longitudinali dehiscentibus. Fem. Ovaria plurima, inclusa, pressione angulata, unilocularia. Ovulum unicum, pendulum, anatropum. Stigma sessile, subclavatum. Drupae carnosae, pedicellatae, angulatae, coenanthio sub grossificatione transverse fisso demum discoideo-convexo carnoso umbellatim insidentes, monospermae. Semen inversum. Embryon in axe albuminis carnosi rectum; cotyledonibus parvis, planis; radiculâ clavatâ, superâ. — Frutex Archipelagi indici; foliis oppositis, breviter petiolatis, oblongis v. oblongo-lanceolatis, acuminatis, integerrimis v. ad apicem remote serrulatis, glabris; coenanthiis axillaribus, fasciculatis v. subumbellatis.

Obs. Quam partem in libris plerisque botanicis edendis plantarum habuerint delineatores, nimis saepe negligitur, etiamsi plurimi sine utili eorum operâ perfici vix potuissent. Id adeo *Horto Malabarico* nostri Rheede ab Draakenstein Viri Nob. accidit, de quo nemo melius honestissimo illo viro est meritus, cujus nomine hocce Genus appellavi, siquidem et stirpes ipsas ex naturâ expressit, et plurimarum tum descriptiones, tum multa de earum usu et virtutibus, experientiâ suâ aut a peritis Braminis Malabaribusve cognita adjecit. „Vir erat” — ita de eo refert Rheede in Praefatione Tomi Tertii *Horti Malabarici* — „summae „eruditionis, vitae austerae, sexagenarius aetate, professione sacerdos „Pontificius ex ordine Carmelitarum Discalceatorum, dictus nomine Fra„ter Matthaeus de Sancto Josepho, natione Neapolitanus: hic multos annos

„in Arabiâ et Persiâ vixerat, et tum temporis missus erat Coadjutor futu-„rus Archiepiscopi Christianorum S. Thomae regionum Malabaricarum." — Hunc Patrem MATTHAEUM, quum equidem ignorem, an ob bene merita de conversione Indorum a Summo Pontifice in Sanctorum numerum sit relatus, neque etiam eo honore dignus necne fuerit affirmare ausim, Scientiae amabili vindicare divorumque ejus ordinibus adscribere volui, ut ita viri de re botanicâ praeclare meriti consulerem memoriae.

250. Matthaea sancta BL.: — In Sumatrâ, Borneo, cet.

Ordo **Chrysobalaneae.**

CHRYSOBALANUS LINN. Calyx tubo brevi, turbinato-campanulato, aequilatero; limbi quinquepartiti laciniis subaequalibus, praefloratione imbricatis. Corollae petala 5, calycis fauci inserta ejusdem laciniis alterna, decidua. Stamina 15—30, cum petalis inserta, uniseriata, omnia fertilia v. alterius lateris nonnulla ananthera; filamenta subulato-filiformia, basi in annulum angustissimum v. in phalanges cohaerentia; antherae incumbentes, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium in fundo calycis sessile, uniloculare; ovulis geminis, e basi ascendentibus, collateralibus, anatropis. Stylus basilaris, filiformis; stigma obtusiusculum. Drupa baccata, putamine osseo, abortu monospermo. Semen inversum. Embryi exalbuminosi cotyledones crassae, carnosae; radiculâ brevissimâ, inferâ. — Arbores v. frutices in Americâ tropicâ et boreali subtropicâ, nec non in Africâ aequinoctiali crescentes; foliis alternis, stipulatis, integerrimis; floribus cymoso-paniculatis v. corymbosis, axillaribus et terminalibus, bracteatis.

Obs. Characterem genericum nos paulo aliter, quam a V. Ill. ENDLICHER *Gen. Pl.* 6407 exhibitus est, accipimus, quandoquidem stamina, illo auctore libera, ex investigatione nostrâ imâ basi in annulum angustum, ut in *Chr. Icaco* LINN., reverâ imâ in phalanges concreta sunt, ut *Moquilea* MART. et ZUCC. a *Chrysobalano* ovario tubo calycis adnato maxime distinguatur, praesertim si forma tubi calycis ad Genus distinguendum minoris sit momenti, quam in *Moquileâ* usu venire solet, cujus Species aliae tubo brevi turbinato v. campanulato, aliae elongato et tubuloso s. cylindraceo sunt praeditae.

251. Chrysobalanus Icaco LINN.: foliis subrotundis obovatisve ($1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ poll., 1—2 poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—2 lin.) rotundatis v. emarginatis utrinque glabris nitidis; cymis paniculatis laxifloris; staminibus hirsutis. LINN. *Spec. Pl.* I. 513. JACQ. *Stirp. Amer. hist.* 154. tab. 94: *Ed. pict.* 76. tab. 141. MILL. *Dict.* N°. 1. PLUM. *Gen.* 44. PLUM. (ed. BURM.) 151. tab. 158. HOUTT. *Nat. Hist.* II. 2. 581. tab. 11. fig. 2. AUBL. *Guian.* I. 513. LAM. *Enc. bot.* III. 224. *Illustr.* tab. 428. WILLD. *Spec. Pl.* II. 2. 998. 1. PERS. *Syn. Pl.* II. 36. 1. DE CAND. *Prodr.* II. 525. 1. SPR. *Syst. Veg.* II. 478. 1. TUSSAC *Fl. Antill.* IV. 91. tab. 31.

Guill. et Perrot. *Fl. Seneg.* I. 272. Walp. *Rep. bot.* II. 3. 1. — *Chr. orbicularis* Schum. et Thonn. *Kgl. Dansk. Vidensk. Selsk. Afh.* IV. Ejusd. *Pl. Guin.* II. 5. — *Chrysobalanus fruticosus, foliis orbiculatis alternis, floribus laxe racemosis* Brown. *Jam.* 250. tab. 17. fig. 5. — Frutex folio Cotini crasso in summitate deliquium patiente, *fructu ovali coeruleo* Catesb. *Carol.* I. 25. tab. 25. — *Guajera* Marcgr. *Basil.* tab. 2. C. 4. — Arbuscula ramosa; ramulis cylindraceis, cortice cinereo-fusco glabro lenticellis plurimis subrotundis v. oblongis vulgo sulco impressis pallidioribus punctato; junioribus angulatis, glabriusculis. Folia alterna, brevissime petiolata, subhorizontaliter patentia, integerrima, coriacea, reticulato-venosa, maxime supra nitida, subtus pallidiora, quâ costa magis prominet. Inflorescentia axillaris et terminalis, cymoso-paniculata v. corymbosa, laxa, folia longitudine vix aequans, patens, praeter axem compressum inferne nudum tota canescens. Flores in ramulis axeos brevibus trifloris brevissime pedicellati, laterales ad basin bracteolis binis oppositis sessilibus ovatis acutis subcarinatis appressis canescenti-velutinis ante anthesin deciduis, medius praecox, ebracteatus. Calyx coriaceus, extus canescenti-velutinus, intus sericeus; tubo brevi, crasso, turbinato-campanulato, aequilatero; limbi quinquefidi laciniis subaequalibus, lato-ovatis, acutis v. obtusis, imbricatis, patentibus. Petala 5, lineari-spathulata, calycis laciniis alterna iisque duplo longiora, obtusa, margine superne erosula. Stamina circiter 20, uniseriata, fauci calycis inserta, imâ quinque fasciculis concreta, ex quibus altero latere nonnulla breviora et castrata; filamenta subulato-filiformia, petala longitudine adaequantia v. partim superantia, inaequilonga, supra medium adusque hirsuta, apice glabra, in praefloratione incurva; antherae subrotundae, dorso supra basin emarginatam incumbentes, versatiles, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium in fundo calycis sessile, ellipsoideo-globosum, dense albido-villosum, 1-loculare, in fundo binis ovulis collateralibus ellipsoideis anatropis brevissime funiculatis. Stylus basilaris, filiformis, erectus, longitudine staminum v. paulo ea superans, fere ad apicem usque pubescens. Stigma parvum, obtusum, imberbe. Drupa magnitudine pruni *Reine-Claude* quod dicitur, subglobosa, flava, albida v. ex purpureo anthracina, pulposa, putamine ovoideo, quinque- v. septem-sulcato, monospermo. — Vidi specimina e plurimis regionibus tropicis, veluti ex Portorico, Caracas, Columbiâ, aliis, tum quoque ex orâ Africae.

MOQUILEA Aubl. Calyx tubo brevi v. elongato, inaequilatero, cum ovarii stipite connato; limbi quinquepartiti laciniis aequalibus, v. inaequalibus, praefloratione imbricatis. Corollae petala 5, calycis fauci inserta, ejusdem laciniis alterna, decidua. Stamina 20 v. plurima, cum petalis inserta, uni-rarissime pluriseriata, omnia fertilia v. alterius lateris ananthera; filamenta subulato-filiformia, basi in annulum v. in phalanges plures coalita; antherae incumbentes, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium stipiti calycis tubo hinc adnato insidens, exsertum, rarissime inclusum, uniloculare; ovulis geminis, e basi ascendentibus, collateralibus, anatropis. Stylus basilaris, filiformis; stigma obtusiusculum. Drupa sicca v. carnosa, putamine lignoso, abortu monospermo. Semen inversum. Embryi exalbuminosi cotyledones crassissimae, carnosae; radiculâ brevissimâ, inferâ. — Arbores v. frutices Americae tropicae; foliis alternis, stipulatis, integerrimis, costato-venosis, saepissime discoloribus subtusque tomentosis; floribus in racemos simplices v. in paniculas axillares v. terminales dispositis, bracteatis.

Obs. Genus hoc V. V. Cl. Martius, Zuccarini et Bentham prorsus reformarunt, conjunctis cum eo *Couepiâ* et *Acioâ* Aubl., quae Sectiones vel Subgenera *Moquileae* sint habendae. Omnino hoc ita judicandum, si forma calycis in parvo hoc Ordine ad distinguenda Genera non ejusdem quam in aliis *Rosiflorarum* Generibus momenti est, quod equidem adhuc affirmare dubito. Itaque diligentiore investigatione videndum, num e sequentibus Subgeneribus *Couepia* cum *Acioâ* conjuncta a *Moquileâ* ut Genus diversum sit separandum, sicut *Microbalanus* ob stamina in praefloratione non incurva et ovarium in fundo calycis adnatum.

1. Subgen. *Eumoquilea.* Calyx brevis, campanulatus, quinquefidus. Stamina plurima (ultra 30), in orbem completum disposita, exserta, praefloratione induplicata. Ovarii stipes tubo calycis brevi hinc superne adnatus. — Species: *M. guianensis* Aubl., *M. grandiflora* Mart. et Zucc., *M. Eliti* Mart. et Zucc., *M. canomensis* Mart., *M. tomentosa* Benth.

2. Subgen. *Microbalanus.* Calyx brevis, turbinatus, quinquefidus. Stamina circiter 20, in orbem completum disposita, brevissime exserta, praefloratione erecta. Ovarii stipes fundo calycis supra basin hinc adnatus. — Species: *M. parviflora* Bl. et forsan *M. Kunthiana* Mart. et Zucc. (Hirtella polyandra Kunth.)

3. Subgen. *Couepia.* Calyx elongatus, tubulosus; limbo subaequali-quinquefido. Stamina plurima (ultra 30), in orbem completum disposita, longissime exserta, praefloratione induplicata. Ovarii stipes calycis tubo longo hinc superne adnatus. — Species: *M. Couepia* Zucc. (Couepia guianensis Aubl.), *M. Parillo* De Cand., *M. comosa* Benth., *M. bracteosa* Benth. et *M. chrysocalyx* Poepp. et Endl.

4. Subgen. *Acioa.* Calyx elongatus, tubulosus; limbo inaequali-quinquefido. Stamina circiter 20, unilateralia (interdum alte connata), longissime exserta, praefloratione induplicata. Ovarii stipes calycis tubo longo hinc superne adnatus. — Species: *M. Aubletiana* (Acioa guianensis Aubl.), *M. paraensis* Mart. et Zucc., *M. multiflora* Benth.

252. Moquilea parviflora Bl.: foliis ovalibus obovatisve (3—4½ poll., 1½—2½ poll. lat., pet. 4—5 lin.) obtusissimis v. emarginatis rarissime acutiusculis supra glabris nitidis subtus ochraceo-canescentibus; paniculis divaricatis rigidis; florum glomerulis subsessilibus; calycis laciniis lineari-lanceolatis acuminatis; staminibus pubescentibus. — Arbor ramulis teretibus, glabris, cortice nigro-fusco lenticellis pallidioribus oblongis passim punctato; junioribus sulcatis cum foliorum novorum petiolis pilosiusculis. Stipulae fugacissimae, juxta petiolos in ramulis cicatrices angustas transversas relinquentes. Folia alterna, patentia, basi acuta et interdum paulum obliqua, integerrima, margine subundulata, coriacea, costato-venosa, costâ venisque supra impressis, subtus prominentibus et illic in foliis adultioribus canescentibus distinctius reticulatis, juniora tomento tenero arachnoideo ochraceo obtecta, quo et costa inferne obducitur; petioli supra depressi v. obsolete canaliculati, ad margines superne saepe cum uno binisve tuberculis minutis glandulosis. Paniculae dichotomo-ramosae, divaricatae, rigidae, canescenti-velutinae, floribus in ramulis inferne interrupte glomerulatis, ad apices dense spicatis, bracteatis. Bracteae in basi glomerulorum subsessilium lanceolatae, acuminatae; laterales ovatae v. falcato-ovatae, subcarinatae, concavae, omnes sessiles, patentes, extus canescentes, intus superne tantum paulo sericeo-puberulae, deciduae. Calyx coriaceus, extus canescenti-velutinus, intus retrorsum hirsutus, ac praesertim in fauce ad basin staminum connatam villis densis reflexis munitus; tubo brevi, turbinato-campanulato, subinaequilatero; limbi quinquefidi laciniis subaequalibus, lineari-lanceolatis, acuminatis, erecto-patentibus, in praefloratione margine imbricatis. Petala 5, fauci calycis inserta, laciniis ejus alterna iisque longiora, spathulato-lanceolata, acutiuscula, membranacea, ciliolata, erecto-patentia, in praefloratione imbricata, decidua. Stamina circiter 20, uniseriata, infra petala calyci inserta, in orbem completum disposita, omnia fertilia, ima fasciculis quinque inaequalibus cohaerentia; filamenta subulato-filiformia, corollam subadaequantia, inaequilonga, pubescentia, in praefloratione erecta. Antherae parvae, subrotundae, biloculares, dorso supra basin emarginatam incumbentes. Ovarium paulo supra fundum calycis lateri ejus rectiori adnatum, subglobosum, lenticulari-compressum, pilis sparsis obsessum, uniloculare, ovulis binis collateralibus ascendentibus anatropis. Stylus basilaris, filiformis, assurgens, inferne crassior ac dense villosus, apice glabriusculus. Stigma obtusiusculum, depressum v. latere ovario obverso emarginatum, papilligerum. Fructus mihi ignotus. — In Guyanâ Gallicâ circa ripas fluminis Ojapuk, unde specimina ex horto botanico Parisiensi benevole mecum sunt communicata.

GRANGERIA Commers. Calyx campanulato-rotatus, quinquepartitus; laciniis subaequalibus, patentibus, praefloratione imbricatis. Corollae petala 5, calycis fauci inserta, ejusdem laciniis alterna, decidua. Stamina 15, cum petalis inserta, uniseriata, omnia fertilia; filamenta subulato-filiformia, libera; antherae incumbentes, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium tubo calycis brevissimo hinc adnatum, uniloculare; ovulis geminis, e basi ascendentibus, collateralibus, anatropis. Stylus basilaris, filiformis; stigma obtusiusculum. Drupa baccata, putamine osseo, abortu monospermo. Semen inversum. Embryi exalbuminosi cotyledones crassae, carnosae; radiculâ brevissimâ, inferâ. — Arbor borbonica; foliis alternis, stipulatis, integerrimis, glabris; floribus parvis, in racemos simplices axillares et terminales dispositis.

Obs. Genus hoc proxime accedit ad *Hirtellam* Linn., unde levioribus tantum characteribus, nempe calyce profunde partito et filamentis brevioribus in praefloratione non circinnatis recedit.

253. Grangeria borbonica Lam. *Enc. bot.* III. 21. *Illustr.* tab. 427. De Cand. *Prodr.* II. 527. 1. — *G. buxifolia* Smith.

in REES *Cycl.* 16. N°. 1. — Arbor satis alta, ramosissima, cortice albido-griseo. Ramuli foliosi, juniores, ut racemi, puberuli. Folia brevissime petiolata, alterna, approximata, ovalia, 10—14 lin., 6—7 lin. lata, utrinque obtusa v. leviter retusa, coriacea, glabra, nitida, obsolete reticulato-venosa, supra basin subtus in margine binis impressionibus minutis glandulosis. Stipulae ad basin petiolorum eosque adaequantes v. paulo modo longiores, sessiles, patentes, dimidiato-oblongae, obtusae, vulgo glanduloso-scrobiculatae, deciduae. Racemi axillares, solitarii, terminales interdum gemini, $1\frac{1}{2}$—2 poll., erecti, graciles, simplices, multiflori. Pedicelli $1\frac{1}{2}$—2 lin., filiformes, patentes, uniflori, circa medium binis bracteolis oppositis lateralibus minutissimis ovatis appressis, ad exortum rhachios communis superiores bracteolâ parvâ ovato-subulatâ concavâ magis patente, inferiores praeter majorem magis obtusam binis insuper bracteolis minutis lateralibus suffulti. Calyx quinquepartitus, campanulato-rotatus, coriaceus, tomento tenero fusco vestitus; tubo brevissimo, aequilatero; limbi laciniis subrotundo-ovalibus, subaequalibus, patentibus, praefloratione quincunciali-imbricatis. Petala lacinias calycis vix longitudine aequantia, ovato-oblonga, erecto-patentia, decidua, fide eorum, quae in alabastris exploravi, subrotundo-ovata, obtusa, glabra, praefloratione imbricata. Stamina 15, in orbem completum disposita, omnia fertilia, erecto-conniventia, lacinias calycis longitudine adaequantia, in floribus apertis subaequalia, in alabastris magis inaequilonga et paulum modo incurva, glabra; filamenta subulato-filiformia, libera aut imâ basi tantum brevissime cohaerentia; antherae parvae, subrotundae, dorso supra basin emarginatam incumbentes, connectivo super binos loculos paralleles paulisper obtuse prominulo. Ovarium stipite perbrevi lateri calycis hic infra stamina adnatum, lenticulari-compressum, albido-lanuginosum, uniloculare, binis ovulis ellipsoideis collateralibus e basi ascendentibus anatropis. Stylus basilaris, staminibus longior, rectiusculus, subulato-filiformis, compressus, glaber, circa basin paululum dilatatam lanuginosus. Stigma parvum, obtusum, interdum retuso-subbilobum. Drupa parva, elongato-obovoidea, trigona, baccata, ex flavescenti rubescens; caro parca, pulposa; putamen ellipsoideo-trigonum, inferne magis attenuatum, osseum, monospermum. — In sylvis insulae Borboniae.

PARINARIUM Juss. Calyx tubo brevi v. interdum elongato, aequi- v. inaequilatero, rarius basi hinc gibboso-saccato, cum ovarii stipite connato. Corollae petala 5, rarius 4, calycis fauci inserta, ejusdem laciniis alterna, decidua. Stamina 15 v. plura, cum petalis inserta, uniseriata, omnia fertilia v. alterius lateris rudimentaria; filamenta subulato-filiformia, basi in annulum rarisse in fasciculos coalita; antherae incumbentes, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium stipiti calycis tubo hinc adnato insidens, exsertum v. rarius inclusum, biloculare; ovulis in loculis solitariis, e basi ascendentibus, anatropis. Stylus basilaris, filiformis; stigma truncatum v. obtusiusculum. Drupa sicca v. carnosa, putamine osseo v. lignoso, abortu uniloculari, di-v. abortu monospermo. Semen inversum. Embryi exalbuminosi cotyledones crassae, carnosae; radiculâ brevissimâ, inferâ. — Arbores in regionibus tropicis totius orbis indigenae; foliis alternis, stipulatis, integerrimis, concoloribus v. subtus discoloribus; floribus in racemos simplices v. ramosos v. in paniculas subcorymbosas axillares et terminales dispositis, albidis v. roseis.

Obs. Quod in observatione de charactere generico *Moquileae* de calycis formâ memoravi, huc quoque pertinet. In aliis tubus est brevis, turbinatus s. campanulatus, in aliis elongatus et tubulosus s. infundibuliformis, tum etiam habitu parum conveniens, quod discrimen Generis indicare videtur. Quo autem illud charactere niti possit, adhuc incertus dubito, cum nec laciniarum calycis nec petalorum forma, neque etiam staminum numerus satis videatur idoneus. Nec denique forma fructus aut pericarpium tum baccatum tum exsuccum majoris est momenti, aut plus formae vel texturae putaminis tribui potest.

254. Parinarium campestre Aubl.: foliis cordatis (3—$4\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{2}{3}$—$2\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—2 lin.) acuminatis subtus ochraceo-velutinis; corymbis axillaribus et terminalibus cymoso-multifloris; calycis tubo brevi turbinato-campanulato, limbi laciniis acuminatis; drupâ (circa $1\frac{1}{2}$ poll.) ellipsoideâ. Aubl. *Guian.* I. 517. 2. tab. 206. Lam. *Enc. bot.* V. 18. 2. De Cand. *Prodr.* II. 527. 2. — *Petrocarya campestris* Willd. *Sp. Pl.* II. 1. 287. 2. Pers. *Syn. Pl.* I. 403. 2. Spr. *Syst. Veg.* II. 167. 2. — Arbor 30—40 ped. alta; trunco $1\frac{1}{2}$ ped. diametro, cortice griseo-fusco rugoso; ligno duro, compacto, flavescente. Rami crassi, recti v. partim inclinati. Ramuli cylindrici, cortice fusco aciculato parce tomentoso, etiam post lapsum saepe foliorum stipulis s. reliquiis earum vestiti; floriferi subtetragoni, sulcati, ut inflorescentia, pagina dorsalis foliorum et stipulae, tomento brevissimo denso pallide ochraceo obducti. Stipulae magnae, cauli adnatae, laterales, lanceolatae, acuminatae, foliaceae, nervosae. Folia coriacea, supra glabriuscula, in nervo medio depresso paulum furfuraceo-tomentosa, subtus costato-venosa, et pallide ochracea. Petioli brevissimi, ad basin utrinque in sinu stipularum cum glandulâ sessili plano-depressâ. Corymbi versus extremitates ramulorum axillares, foliis plus dimidio breviores, divaricati, bracteati, in cymas pedunculatas divisi; bracteae in basi cymarum ultimisque ramulis trifloris sessiles, oppositae, naviculares, acuminatae, deciduae. Flores circiter 3 lin. longi, alares paulo longius pedicellati quam in ramulis lateralibus trifloris. Calyx coriaceus, extus ochraceo-velutinus; tubus turbinato-campanulatus, inaequilater, utpote latere inferiore nonnihil gibber s. inflatus, altero rectior, intus praesertim in fauce villis densis reflexis obvestitus; limbus quinquefidus, paululum obliquus; laciniis subaequalibus, ovato-lanceolatis, nervo exserto cuspidatis, patentibus. Petala 5, inaequalia, ovata, obtusiuscula, summo calycis tubo inter lacinias inserta et vix ea superantia, texturâ tenui, margine ciliolata, alba, decidua. Stamina apice tubi exserta, imâ in annulum angustissimum connexa, inaequalia, glabra; filamenta 8—12 in latere calycis rectiore longiora et fertilia, lacinias ejus fere adaequantia, subulato-filiformia, assurgentia, reliqua in latere calycis gibbo brevissima, subulata, castrata; antherae parvae, subrotundae, basi emarginatae, dorso incumbentes, versatiles, biloculares, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium tubo calycis in latere rectiore infra stamina fertilia adnatum, subrotundum, villosissimum, 2-loculare; ovula in loculis solitaria, ellipsoideo-compressa, funiculo brevissimo in fundo loculi affixa, ascendentia, anatropa. Stylus basilaris, stamina longitudine superans, assurgens, filiformis, inferne villosiusculus, basin versus paulum dilatatus. Stigma truncato-simplex. Drupa baccata, circiter $1\frac{1}{2}$ pollicaris, ellipsoidea, nonnihil compressa, flavido-mellina; carne crassâ, pulposâ, acidâ. Putamen turbinato-ovoideum, irregulariter tuberculato-echinatum, utrâque facie cum cristâ longitudinali, durissimum, biloculare. Semina in loculis oblongis solitaria. — In sylvis Guianae Gallicae; in insulâ Mauritius culta.

255. Parinarium scabrum HASSKL.: foliis e basi rotundatâ v. rarius acutiusculâ ellipticis oblongisve ($3\frac{1}{2}$—6 poll., 2—3 poll. lat., pet. 2—3 lin.) obtuse acuminatis concoloribus glabris (siccatis scabriusculis); racemis subramosis axillaribus et terminalibus laxifloris; calycis tubo elongato subinfundibuliformi inaequilatero, limbi laciniis acutis; staminibus fertilibus 15—18, sterilibus minimis. HASSKL. *Cat. Bogor.* 269 et in *Regensb. bot. Zeit.* XXVII. 2. 585. WALPS. *Rep. bot.* V. 647. 2. — Arbor procera, cortice ramorum e fusco brunneo. Ramuli ad internodia paulo incrassati cum cicatrice annulari, novelli nonnihil compressi, in apice gemmâ lineari circiter 9 lin. longâ stipulari terminato appresse pubescentes. Stipulae laterales, geminae, subcarinatae, aliam alia amplectentes, extus strigosae, deciduae. Folia alterna, brevissime petiolata, saepe inaequilatera et interdum subtus ad basin costae protuberantis impressionibus duabus glandularibus notata, coriacea, nitida, reticulato-venosa, glabra, sed siccando impressionibus glandularibus minutissimis creberrimis reticulationi arctae immersis utrinque scabriuscula. Racemi axillares et terminales, simplices v. subcorymbosi, 2—3 poll. longi, nutantes, laxiflori, canescenti-tomentosi. Flores in ramificationibus rhachios brevissimis solitarii v. terni, brevissime pedicellati, 10 lin. longi, in basi pedicellorum binis bracteolis lateralibus sessilibus lanceolatis calyce dimidio brevioribus canescentibus caducis. Calyx infundibuliformis, quinquefidus, extus canescenti-tomentosus, intus a tubo inde stamineo villis reflexis albidis vestitus; tubo hinc rectiore et nervo longitudinali, a stipite ovarii adnato oriundo, notato, illinc superne paulo elongatiore et subventricoso; limbi laciniis inaequalibus, patentibus, praefloratione quincunciali, exterioribus duabus ovatis, acuminatis, tribus interioribus superne latioribus, magis oblongis, obtusis, cum acumine brevi complicato. Petala 5, oblongo-lanceolata, acutiuscula, obtuse unguiculata, superne ad marginem villosiuscula, erecto-patentia, inter lacinias calycis inserta, iisque dimidio longiora, decidua. Stamina fertilia 15—18, uniserialia, fauci calycis inserta, ad latus ejus rectius ascendentia, unilateralia, corollam superantia, in praefloratione incurva; filamenta subulato-filiformia, inaequilonga, puberula, ad basin in annulum satis crassum in latere calycis anteriore s. gibbo altius prominentem et ibi denticulatum connata, denticulis (s. staminibus sterilibus) ovatis, acutis; antherae parvae, subrotundo-ovales, basi emarginatae, dorso incumbentes, versatiles, glabrae. Ovarium in fauce calycis infra stamina fertilia adnatum, subglobosum, hinc applanatum, illinc gibbum, dense albido-villosum, biloculare; ovula solitaria, recta, ascendentia, per brevem funiculum basi loculorum affixa, anatropa. Stylus basilaris, subulato-filiformis, assurgens, staminibus paulo longior, superne glaber, inferne ad medium pilosiusculus. Stigma parvum, obtusiusculum. Fructus desideratur. — In Javâ occidentali, in sylvis montanis.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. Chrysobalaneae.

256. Parinarium sumatranum Benth.: foliis e basi obtusâ v. acutiusculâ elliptico-oblongis ($3\frac{1}{2}$—$7\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{2}$—3 poll. lat., pet. 2—3 lin.) acutis v. acuminatis subtus ochraceo-canescentibus; paniculis axillaribus et terminalibus brevibus subramosis; calycis tubo obconico, limbi laciniis acutis; staminibus fertilibus 7—8, sterilibus minimis. Benth. in Hook. *Nig. Flor.* 335. — *Petrocarya sumatrana* Jack. in *Calcutta Journ. of nat. hist.* IV. 165. Walps. *Ann. bot.* I. 271. 2. — Ex Indicis haec cum *P. campestri* maxime congruit. Arbor speciosa, comâ late expansâ, ramosissimâ; ramuli teretiusculi, flavescenti-fusci, lenticellis crebris tuberculosi, ad insertionem foliorum vulgo subnodosi, grabriusculi, junioribus, ut petiolis, inflorescentiâ, paginâ foliorum dorsali et stipulis ochraceo-canescentibus. Folia alterna, bistipulata, ad petiolos breves teretiusculos medio binis glandulis subrotundis plano-depressis adnatis, coriacea, discolora, supra nitida ac glabra (quamquam in nervo medio applanato interdum subtomentosa), costato-venosa, nervo medio et venis lateralibus erecto-patentibus parallelis prope marginem arcuato-confluentibus per venulas crebras transversales junctis in paginâ dorsali tomento tenero obtectâ magis protuberantibus. Stipulae laterales, adnatae, petiolo longiores, lineari-lanceolatae, acuminatae, foliaceae, nervosae, diu persistentes. Paniculae axillares et terminales, $1\frac{1}{2}$—2 poll. longae, erectae v. cernuae, modo simplices et racemiformes, modo ramosae, quippe quibusdam ramificationum infimarum patentium cymas septemfloras sistentibus, superioribus subtrifloris, bracteatae. Bracteae parvae, sessiles, patentes, membranaceae, extus tomentellae, deciduae, admodum dissimiles; nempe ad ramificationes breves pedicellosque oblongo-naviculares acutae, integerrimae; ad basin rhachios communis (quae idcirco potius squamae s. perulae habendae) subrotundo-cucullatae, in margine superiore acute dentatae v. interdum trifidae. Flores parvi, circiter $2\frac{1}{2}$ lin. Calyx coriaceus, extus canescenti-tomentosus; tubo obconico, paulum inaequilatero, hinc rectiore, illinc superne paulum ventricoso, intus retrorsum villoso; limbo subaequali-quinquefido, laciniis ovato-subulatis, acutis v. acuminatis, patentibus, tubo dimidio brevioribus. Petala 5, laciniis calycis alterna iisque paulo longiora, cuneato-oblonga, obtusa, intus glabra, extus tomentella, alba, decidua. Stamina fertilia 7—8, in latere calycis rectiore in semiorbem disposita totidemque fere rudimentaria brevissima subulata imâ in annulum concreta in altero latere, glabra; filâmenta inaequalia, petalis breviora, subulato-filiformia; antherae parvae, subrotundo-ovatae, obsolete mucronulatae, basi emarginato-bilobae, dorso incumbentes. Ovarium solitarium v. interdum geminatum, fauci calycis infra stamina fertilia adnatum, exsertum, ellipsoideum, compressum, villosum, biloculare; ovula solitaria, in basi loculorum affixa, ascendentia, anatropa. Stylus basilaris, staminibus longior et crassior, e basi latâ filiformis, rectiusculus v. vulgo versus stamina abortiva reclinatus, inferne pilosiusculus, superne glabrescens. Stigma parvum, depresso-capitellatum. Drupa $1\frac{1}{2}$ poll., elongato-ellipsoidea, obtusata, paulum compressa et torulosa v. sulcata, exsucca, cinereo-flavescens, furfuraceo-verruculosa. Putamen drupae conforme, crassum, fibroso-lignosum, extus rugoso-cariosum, biloculare, loculis elongatis, quorum alterum vulgo angustius et abortivum, tomento denso rufescente repletis. Semina in loculis solitaria, cylindracea, recta, laeviuscula, glabra. Embryon semini conforme, exalbuminosum, erectum. Cotyledones maximae, plano-convexae, amygdalinae. Radicula brevissima, infera. — In Sumatrâ.

257. Parinarium glaberrimum Hasskl.: foliis subsessilibus e basi subcordatâ ovatis v. ovato-oblongis (8—11 poll., 3—5 poll. lat.) breviter acuminatis glaberrimis lucidis; inflorescentiâ axillari racemoso-corymbosâ densiflorâ; calycis tubo campanulato inaequilatero, limbi laciniis inaequalibus acutis; staminibus 12—16 fertilibus unilateralibus; drupâ ovoideâ ($2\frac{1}{2}$ poll.). Hasskl. *Cat. Hort. Bogor.* 269. et *in Regensb. bot. Zeit.* XXVII. 2. 583. Walps. *Rep. bot.* V. 647. 1. — In Javâ.

258. Parinarium Griffithianum Benth.: foliis e basi acutâ biglandulosâ elliptico-oblongis v. oblongo-lanceolatis (3—6 poll., 1—$2\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 3—4 lin.) acuminatis coriaceis glabris nitidis; paniculis subcorymbosis axillaribus et terminalibus canescenti-tomentosis; calycis tubo brevi turbinato subaequilatero, limbi laciniis rotundatis; staminibus fertilibus numerosis (circa 23—25) unilateralibus, sterilibus minimis; drupâ ($1\frac{1}{4}$ poll.) obconicâ. Benth. in Hook. *Niger. Flor.* 334 in adn. Walps. *Ann. bot.* II. 463. 2. — *Maranthes multiflora* Korths. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 259. tab. 70. — Arbor procera, trunco in ramos divaricatos cacumen amplum subrotundum constituentes soluto. Ramuli teretes, nigro-fusci, lenticellis plurimis pallidioribus punctati, glabri; juniores paulum angulati pubescentiâ brevi gilvâ obsessi. Stipulae ad basin petiolorum laterales, parvae, sessiles, ovatae, acutae, carinatae, tomentosae, fugacissimae. Folia alterna, in basi attenuatâ supra ad petiolum cum binis glandulis adnatis subrotundis patellaeformibus, margine saepe undulata, glabra, supra nitida, penninervia, inter venas laterales paulum modo prominentes obsolete reticulata, in nervo medio subtus obtuse protuberante saepe pube rarâ appressâ, quâ et foliorum novorum pagina dorsalis, nervus medius supra et praecipue petioli obsiti sunt. Corymbi ramosi, in paniculam terminalem foliosam dispositi, canescenti-tomentosi, in tres ferme ad sex ramos divaricatos alternos inferne vulgo trifurcatos divisi. Flores in ramulis brevibus subterni, pedicellati; pedicelli compresso-teretes, florum lateralium supra basin binis bracteolis parvis ovato-subulatis tomentosis caducis, pedicello floris intermedii praecocis ebracteolato. Calyx canescenti-tomentosus; tubo brevi, turbinato, subaequilatero, crasso; limbo patente, quinquelobo; lobis rotundatis, coriaceis, concavis, in praefloratione quincunciali-imbricatis, exterioribus duobus orbiculatis, tribus interioribus paulo longioribus, ad basin angustioribus, inde fere obovatis et interdum nonnihil retusis. Petala 5, lobis calycis dimidio longiora, subaequalia, cuneato-oblonga, obtusa, concaviuscula, intus glabra, margine superne ciliata et in dorso subtomentosa, crassiuscula, rosea, decidua. Stamina cum petalis summo calycis tubo inserta iisque breviora, uniseriata, basi in annulum angustum membranaceum connata, glabra; fertilia circiter 23—25, unilateralia, ascendentia; abortiva fere 7—9, brevissima, anteriora s. partem basios annularis stylo obversam occupantia, hic marginem denticulatam sistentia, denticulis triangulari-ovatis, acutis. Filamenta supra basin conjunctam filiformia, inaequalia, nonnulla interdum per paria supra medium usque concreta, in praefloratione varie curvata. Antherae ovatae, dorso supra basin emarginatam incumbentes, versatiles. Ovarium subglobosum, ad latus tubi calycis infra stamina fertilia adnatum, dense villosum, biloculare, in quovis loculo ovulo ellipsoideo solitario e fundo ascendente brevissime funiculato anatropo. Stylus basilaris, in floris latere staminibus rudimentariis adverso, e basi subulatâ nonnihil complanatâ filiformis, sigmoideo-reclinatus, corollâ longior, glaber. Stigma truncato-simplex. Drupa coriacea, rufescens, calyce marcido suffulta, plus pollicem longa, elongato-obovoidea s. obconica, obtusissima, laevis, glabra, ad basin tantum pubescentiâ parcâ sericeâ, altero latere vulgo planior, altero convexior. Caro parca, subcarnosa, putamini arcte cohaerens. Putamen drupae conforme, crassum, lignoso-fibrosum, totum fibris tenacissimis intricatis conformatum, bi-v. abortu uniloculare, loculis oblongis, tomento denso rufescente vestitis. Semina in loculis solitaria, vertice extremitati inferiori affixa, semiellipsoidea v. dacryoidea, glabra. Spermodermis membranacea, fusca. Embryi exalbuminosi cotyledones oblongae, crassae, plano-convexae, albidae. Radicula brevis, exserta, infera. — Locis humilioribus insulae Borneo.

259. Parinarium Maranthes Bl.: foliis e basi acutâ biglandulosâ oblongis v. oblongo-lanceolatis (2½—4½ poll., 1—1¾ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatis coriaceis glabris nitidis; paniculis in corymbum terminalem densiflorum approximatis sericeo-puberulis; calycis tubo brevi turbinato inaequilatero, limbi laciniis rotundatis; staminibus fertilibus plurimis (35—40) unilateralibus, sterilibus minimis; drupâ (¾ poll.) compresso-obovoideâ. — *Maranthes corymbosa* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 89. — *Exitelia corymbosa* Bl. *Flor. Jav. Praef.* VII. Endl. *Gen. Pl.* 1004. N°. 5357. — *A. P. Griffithiano*, cui intime affinis, staminibus pluribus fructibusque minoribus compresso-obovoideis s. inverse cordiformibus diversa. Flores quoque paulo majores quam in illâ et tubus calycis altero latere magis ventricosus. — In Javâ.

Ord. **Halogareae.** Subord. **Gunnereae.**

GUNNERA Linn. Flores hermaphroditi, monoici v. dioici. Hermaphr. Calyx ovario adhaerens, limbo supero, bidentato. Petala 2, dentibus calycis alterna, cucullata, caduca. Stamina 2, petalis opposita, in praefloratione erecta; filamenta post lapsum petalorum elongata; antherae basi affixae, biloculares, loculis appositis, rimâ laterali dehiscentibus. Ovarium inferum, uniloculare; ovulo 1, ex apice loculi pendulo, anatropo. Stigmata 2, sessilia v. stylo brevissimo suffulta, subulato-filiformia, papillosa. Masc. Calyx bipartitus. Petala et stamina ut in Hermaphr. Rudimentum pistilli nullum. Fem. Calyx et pistillum ut in Hermaphr. Petala nulla. Achenium drupaceum, putamine monospermo. Embryon minutum, in axe albuminis inversum, radiculâ superâ. — Herbae perennes, succo aqueo, in Africâ et Americâ australi extratropicâ, nec non in humidis Americae tropicae insulisque Oceaniae in montibus observatae, acaules; caudice repente, folia et scapum exserente; foliis longe petiolatis, suborbiculato-reniformibus, crenatis v. dentatis, pedato- v. palmato-nerviis, saepe pilosiusculis; floribus parvis, in scapo nunc elongato simpliciter ramoso nunc magis contracto dense spicatis.

260. Gunnera chilensis Lam.: hermaphrodita; foliis reniformi-subrotundis (9—15 poll., 10—18 poll. lat., pet. $6\frac{1}{2}$—9 poll.) irregulariter angulato-fissis (laciniis repandis denticulatis) utrinque parce puberulo-scabridis et in nervis subtus petiolisque muricatis; scapi spicis approximatis (fructiferis $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll. longis) subsessilibus bracteâ angustissimâ filiformi suffultis. Lam. *Enc. bot.* III. 61. 2. *Illustr.* tab. 801. 1. *a.* Benn. in Horsf. *Pl. Jav. rar.* 75. 3. — *Gunnera scabra* Ruiz et Pav. *Flor. Peruv.* I. 29. tab. 44. fig. *a.* Vahl. *Enum. Pl.* I. 308. Willd. *Spec Pl.* IV. 1. 149. 3. Pers. *Syn.* I. 30. 2. Kunth. *Nov. Gen. et Spec. Americ. aeq.* II. 44. Ejusd. *Syn. Pl. orb. nov.* I. 377. 1. Spr. *Syst. Veg.* I. 125. 2. — *Panke anapodophylli folio* Feuill. *Peruv.* II. 742. tab. 30. — *Pangue* in Chili. — Eduntur ab indigenis scapus petioli et costa foliorum valde adstringens, acidula; usu medico etiam veniunt. Specimen nostrum ex Herbario Parisiensi, quod in Peru legit DOMBEY, ejusdem igitur est originis, cujus stirps a V. Cl. LAMARCK *l. c.* descripta. Si ex folio vitiato existimes, basis inter lobos magis quam in Varietate β in petiolum producta est et pubescentia substrigosa, nonnisi obsoleta et vel pertenuis, in solis nervis venisque adest. Panicula plus quam pedalis; rhachi inferne $4\frac{1}{2}$ poll. nudâ, crassitie calami scriptorii, pilis appressis et hic illic muricibus aliquot brevibus obsitâ, superne undique spicigerâ. Spicae simplices, fere sessiles, patentissimae, superiores et infimae sensim ad longitudinem dimidii pollicis decrescentes, cylindricae, rectae, densiflorae, imâ bracteâ filamentosâ angustissimâ instructae. — Cum Varietate locis udis umbrosisque in montibus editissimis Peru, Chili, cet.

β *Var. pilosa:* foliis utrinque dense puberulis in nervis venisque subtus hirsutulis. — Spr. *l. c.* Benn. *l. c.* — *Gunnera pilosa* Kunth. *Nov. Gen.* et *Spec. Americ. aeq.* II. 44. Ejusd. *Syn. Pl. orb. nov.* I. 378. 2. — Vidi specimen fructiferum in Herb. V. Cl. STEUDEL e Chili, ab illo quod KUNTH V. Cl. descripsit foliorum lobis acutis paulum modo diversum.

261. Gunnera commutata Bl.: monoica?; foliis cordato-reniformibus (in specimine nostro 6 poll., $5\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. ....)

sinuato-angulatis eroso-denticulatis utrinque subpubescentibus et in nervis subtus petiolisque submuricatis; scapi spicis fructiferis elongatis (4—5 poll.) subsessilibus bracteâ lineari suffultis. — Hanc ex Herb. Mus. Parisiensi nactus sum nomine *G. scabrae*, quae est *G. chilensis* LAM., a quâ et formâ foliorum et praesertim spicis magis elongatis et bracteis latioribus differt. Ob rhachin spicarum fructiferarum per pollicem fere longitudinis ad apicem attenuatum nudam, hic masculos antea flores fuisse eamque igitur monoicam esse suspicor. — In Chili.

262. Gunnera macrophylla BL.: monoica; foliis subrotundo-reniformibus (1—1¼ ped., 1¼—1⅔ ped. lat., pet. 1½—2 ped.) repandis v. supra basin repando-incisis erosulo-denticulatis imprimis in nervis subtus petiolisque hirsutis; scapi spicis approximatis sessilibus (¾—2½ poll. longis) bracteâ ovatâ oblongo-lanceolatâ suffultis. BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 513. BENN. in HORSF. *Pl. Jav. rar.* 70. tab. 15. — *Taretteh gunung* Sund.; *Sogmodĕlĭuwi* Javan. — Ecce quae de insigni hac Specie anno 1823 in diario meo annotavi. Caudex simplex, crassus, cylindraceus, ascendens, carnosus, hic illic purpurascens fibris radicalibus sparsis filiformibus puniceis, petiolorum marginibus decurrentibus aliquantulum obtuse angulatus. Petioli longissimi, supra applanati, dorso rotundati, in marginibus inferne punicei et ad basin incrassati. Folia in lobis baseos subincisa, venoso-nervosa, nervis subtus protuberantibus et hic praesertim dense hirsutis; novella texturâ coriaceâ crassissimâ, dense velutina, ad margines dentibus confertissimis contiguis cincta. Paniculae spicigerae axillares, 1—2½ ped., nutantes; rhachi communi et spicarum cylindricarum dense pubescentibus. Spicae nullo ordine dispositae, simplices, singulae ad basin bracteâ lanceolatâ concavâ ciliatâ ad dimidium pollicis accrescente instructae, superiores masculae, reliquae numero plures femineae v. infra masculas floribus aliquot hermaphroditicis intermixtae. Flores sessiles, parvuli, viriduli. Hermaphr. Calyx ovario adnatus, ore dentibus duobus ovatis acutis erectis. Petala duo, dentibus calycinis alterna iisque triplo longiora, obovato-spathulata, superne cucullata et ad margines subfimbriata, fugacissima. Stamina 2, ad marginem calycis ante petala inserta; filamenta primo brevissima, erecta, post lapsum petalorum elongata, filiformia; antherae elongato-ellipsoideae, tetragonae, basi affixae, margine utrinque rimâ longitudinali dehiscentes. Ovarium subglobosum, uniloculare, ovulo solitario ex apice loculi pendulo. Stigmata 2, ex apice ovarii, petalis et staminibus opposita, sessilia, subulata, dense papillosa, tandem divergentia magisque elongata. Masculi ab hermaphroditicis nonnisi ovario aboriente, antheris majoribus ellipsoideis et defectu stigmatum diversi. Feminei petalorum tantummodo defectu ab hermaphroditicis insignes. Drupae parvae, subglobosae, laeves, virescentes, dentium calycinorum basibus et saepe stigmatibus persistentibus coronatae, in mesocarpio succulento punicei in conterendo coloris putamen crustaceum suborbiculare argute marginatum continentes. Semen orbiculare, lenticulari-compressum, brevissime funiculatum; membrana seminis tenuissima; albumen copiosum, oleosum. Embryon in albumine inversum, minutissimum. — In Javâ inter 5—7000 ped. supra maris aequor in declivibus uvidis palustribus montium ignivomorum.

263. Gunnera bracteata STEUD.: hermaphrodita; foliis reniformibus (6—8 poll., 1—1½ ped. lat., pet.....) pedati-lobatis (lobis obtusis v. rotundatis cartilagineo-denticulatis) utrinque glabris; scapi spicis laxiusculis (1½—6½ poll. longis) pedunculatis bracteâ lineari-spathulatâ nervosâ suffultis. Steud. in Herb. Bert. Benn. in Horsf. *Pl. Jav. rar.* 75. 4. — *Gunnera scabra*, Var. Herb. Bert. N°. 1463. — Folium et fragmentum scapi floriferi ex Herbario Viri amicissimi Steudel exploravi. Folium basi sinu profundo aperto excisum et in petiolum sulcatum glabrum vix aliquantisper productum, pedatinervium (nervis circiter 7, crassis, quorum duo infimi extus tres quatuorve costas laterales emittunt, reliqui subbifurcati) inciso-lobatum, — lobis brevibus, inaequalibus, repando-cartilagineo-denticulatis, — utrinque glabrum, texturâ pergamenâ satis crassâ, supra laevigatum, subtus inter nervos illic validius protuberantes reticulatum. Spicae in rhachi communi scapi laxiuscule dispositae, per pedunculum suum (sive mavis partem nudam rhacheos) imâ nonnihil dilatatum ½—¾ poll. longum juxta illam decurrentes, varie patentes, simplices, elongatae, rectiusculae, densiflorae, bracteâ persistente primo pedunculo contiguâ deinde magis ab eo distante lineari-spathulatâ obtusâ inferne canaliculatâ superne explanatâ foliaceâ intus nervosâ et ut communis spicarumque rhachis pilis appressis obsitâ margineque ciliatâ vulgo ultrapollicari ad 2 pollicari usque 2—4 lin. latâ instructae. Flores sessiles, parvi, hermaphroditi. Calyx semiglobosus, adhaerens, limbo in dentes duos oppositos ovatos obtusos satis crassos intus medio in gibberem pallidum inferne sulco impressum (antherae imperfectae adnatae non absimilem) protuberantes margine fimbriatos protensus. Petala duo, calyce duplo majora, in hujus margine angustiore inserta, et cum dentibus ejus alternantia, unguiculata, superne cucullata et ad margines eroso-ciliata, primo antheras amplectentia, carnosula, decidua. Stamina 2, petalis opposita et cum his in margine calycis inserta, erecta; filamenta brevissima, teretiuscula, carnosa, glabra; antherae maximae, subrotundae, crassae, didymae, basi affixae, papilloso-punctatae, biloculares, in latere utrinque rimâ longitudinali dehiscentes. Ovarium adnatum, carnosum, uniloculare, ovulo solitario ex apice loculi pendulo ovoideo anatropo. Stigmata duo, in vertice ovarii sessilia, antheris opposita, subulata, tenuissima, papillosa. — Circa rivulos in insulâ Juan Fernandez.

264. Gunnera perpensa Linn.: monoica; foliis subrotundo-reniformibus (3—6½ poll., 3½—8 poll. lat., pet. 6—9 poll.) sinuatis calloso-dentatis s. crenatis supra glabriusculis in nervis subtus petiolisque subpubescentibus; scapi spicis sessilibus (½—1 poll. longis) infimis distantibus bracteâ lineari-subulata suffultis. Linn. *Mant.* 121. Ejusd. *Amoen. acad.* VII. 495 (cum fig. flor.) Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 171. 1. Lam. *Enc. bot.* III. 61. 1. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 148. 1. Pers. *Syn.* I. 30. 1. *Bot. Magaz.* tab. 2376. Spr. *Syst. Veg.* I. 123. 1. Benn. in Horsf. *Pl. Jav. rar.* 74. 2. — *Tussilago* van Royen *Prodr.* 159. — *Perpensum blitispermum* Burm. *Prodr.* Cap. 26. — *Pseudopetasites Africanus*, *Calthae palustris folio*, *semine Bliti* Herm. *Mus.* III. 95. — *Petasites africanus*, *calthae palustris folio* Herm. *Cat. Hort. Lugd. Bat.* 488. — *Petasitidis folio*, *bliti fructu* Raj. *Hist.* II. 1858. — *Blitum africanum*, *calthae palustris folio*, *caule nudo cubitali spicam pedalem sustinente* Pluk. *Alm.* 68. tab. 18. fig. 2. Phyt.

182. — Vidi specimina e compluribus vetustiorum Herbariorum, in his *Royenani*. Folia satis firma, novella sericeo-puberula, adultiora glabriuscula, subtus modo in nervis plurimis prominentibus dichotomis laxe anastomosantibus, in petiolo crasso striato rhachique scapi puberula, supra laevia, obscure viridia, subtus glauca. Scapus foliis longior, bipedalis, inferne spicis magis distantibus et basin versus foliis aliquot rudimentariis incisis praeditus. — In promontorio Bonae Spei.

265. Gunnera magellanica Lam.: dioica; foliis reniformibus (1—1½ poll., 1½—2½ poll. lat., pet. 2½— 3½ poll.) crenatis plicatis in nervis subtus petiolisque hirsutulis; floribus femineis in spicam densam agglomeratis, masculis in spicam laxam ramosam dispositis. Lam. *Enc. bot.* III. 61. 3. *Illustr.* tab. 801. fig. 2. Pers. *Syn.* I. 31. 3. — *Gunnera plicata* Vahl. *Enum.* 309. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 149. 2. Spr. *Syst. Veg.* I. 123. 3. — *Gunnera reniformis* Gay (fide specimen ex Herb. Mus. Paris). — *Misandra* Herb. Commers. Juss. *Gen. Pl.* 405. Gaudich. in Freyc. *Voyage bot.* 512. — Herba repens, stolonifera, in stolonibus squamis latis ovatis membranaceis obvallata. Folia radicalia, longe petiolata, circiter magnitudine *Tussilaginis alpinae*, imâ inter lobos divaricatos basios breviter modo in petiolum attenuata, membranacea, crenis obsolete glanduloso-mucronatis, supra glabriuscula, subtus in nervis venisque hirsutula. Scapi sicut folia inter squamas radicales erumpentes; masculi altiores, folia partim superantes, erecti, longe pedunculati, superne in spicas breves simplices divisi; feminei multo breviores, in apice pedunculi 1—1½ poll. longi erecti teretis hirsuti spicas densas ½—¾ poll. longas ellipsoideo-globosas sistentes. — In Patagoniâ, et fide speciminis ex Herb. Paris. mecum communicati etiam in Chili.

266. Gunnera monoica Raoul: monoica; foliis reniformi-subrotundis (3—5 lin., 3—5 lin. lat., pet. ½—1⅓ poll.) indivisis v. obsolete 3—5-lobis irregulariter crenato-dentatis petiolisque hirtulis; floribus femineis in scapi ramulis inferioribus confertis; masculis in ejus rhachi superne spicatis. Raoul in *Ann. Sc. nat.* (1844) II. 117. Ejusd. *Pl. nouv. Zéland.* 15. tab. 8. — Planta nana, *Hydrocotyles* faciem referens. Caudex repens, hirtulus, ad nodos fibras radicales plurimas filiformes subsimplices canescenti-tomentosas emittens. Folia ad nodos subfasciculata, longe petiolata, imâ inter lobos brevissimos modo perexigue, in aliis satis longe producta, tri-v. quinquenervia, praecipue subtus in nervis prominentibus petiolisque pilis brevibus albis rigidis conspersa. Scapi inter folia orti, primo contracti ac densiflori, deinde elongati folia non raro superantes aut adaequantes, spicas subramosas sistentes. Flores masculi in parte superiore rhachios communis hirtulae spicati, sessiles, singuli bracteâ lanceolatâ fimbriato-fissâ membranaceâ. Calyx (a V. Cl. Raoul tamquam bracteâ descriptus) fere ad basin usque in segmenta duo parva erecta lanceolata acuminata margine fimbriata divisus. Petala 2, segmentis calycis alterna, iisdem multo longiora, cucullata, ad unguem linearem glabra, margine superne eroso-fimbriata, antheras amplectentia, caduca. Stamina 2, petalis opposita, filamentis ante petalorum lapsum brevissimis, deinde valde elongatis, filiformibus. Antherae ellipsoideae, erectae, basi retusâ affixae, latere utrinque rimâ longitudinali dehiscentes. Pistilli rudimentum nullum. Feminei ad apices divisionum brevium distantium simplicium rhachios communis conferti, brevissime pedicellati, pedicellis sub calyce articulatis et bracteâ minutâ irregulariter fissâ praediti. Calyx ovoideus, glaber, ovario connatus; limbus brevis, erectus, bidentatus, dentibus ovatis, subulato-acuminatis, ciliato-fimbriatis, apice subulato cito deciduo. Petala nulla. Stigmata 2, elongato-subuliformia, interdum inaequalia, dense papillosa, basi in stylum brevem unita. Drupae baccatae, albae, magnitudine seminis sinapios. — Quae exploravi in argillosis Novae Zelandiae V. Cl. Raoul collegit specimina.

Ord. **Ternströmiaceae.** Subord. **Ternströmieae.**

EURYA Thunb. Calyx bibracteolatus, pentaphyllus v. quinquepartitus, persistens; foliolis imbricatis, subaequalibus v. exterioribus minoribus. Corollae petala 5, hypogyna, imâ saepe cohaerentia, praefloratione imbricatâ. Stamina 10—25, hypogyna, interdum petalorum basi adhaerentia, uni- v. pluriseriata; filamenta filiformia; antherae introrsae, biloculares, basi affixae, erectae, plerumque mucronatae, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum, complete v. incomplete bi-sexloculare. Ovula plura, ex augulo centrali loculorum biseriatim pendula v. dissepimentorum incompletorum marginibus utrinque uniseriatim appensa, rarius in oophoris e loculorum angulo centrali prominulis multiseriata, anatropa v. subcampylotropa. Styli loculorum numero, breves v. elongati, distincti v. saepius inferne connati, intus stigmatosi. Bacca carnosa v. sicca, 2—6-locularis. Semina in loculis plura, rarius pauca, pendula, subreniformi-angulata; testâ crustaceâ, foveolatâ. Embryon cylindricum, in axe albuminis curvatum. — Arbores v. frutices sempervirentes, in Asiâ et Americâ tropicâ et subtropicâ crescentes; foliis alternis, integerrimis v. plerumque serrulatis; stipulis nullis; pedunculis axillaribus, unifloris, solitariis v. fasciculatis; floribus parvis, albis, rarissime roseis, hermaphroditis v. saepissime dioicis.

Obs. Habitu simillimo cum difficillime dignoscantur Species, pistilli haud raro fabrica habet discrimina, quae breviter sunt commemoranda. Styli, qui peractâ foecundatione persistunt et plerumque accrescunt (quo statu nobis ad definiendas Species inservierunt), in aliis Speciebus brevissimi, in aliis elongati sunt, ut, quum simul ad basin usque sunt distincti, perinde stigmata sessilia haberi possint facie interiore minutissime papilligera et sulco longitudinali obsoleto inscripta. Plurimum vero ad basin, modo ad medium usque, aut interdum totâ fere longitudine in stylum unum sunt connati et basis conjuncta styli instar, apices vero distincti stigmata haberi possunt. Pro numero stylorum, vel si mavis stigmatum, in totidem loculos completos vel incompletos divisum est ovarium. Si dissepimenta incompleta, deinde tamen sub grossificatione in axe fructus conjunguntur; videlicet facies eorum axi obversa plus minus incrassata vel in costam protuberans, aut immediate utrinque ad margines cum serie simplici ovulorum pendulorum, aut utrinque in laminam membranaceam inflexam protensam, in cujus margine involuto ovula extrorsum vel in facie ab axe aversâ serie simplici suspensa. Itaque coadunatione eorum dissepimentorum incompletorum quasi evanescit discrimen in placentatione, quod in loculis completis conspicitur, quandoquidem et ovula aut immediate ex angulo interno loculorum biseriatim pendula, aut ope laminae bifidae (marginibus inflexis binorum carpidiorum appositorum constitutae) in marginibus ejus ab axe remotis duabus seriebus disposita. Laminae modo descriptae interdum ad parietes endocarpii usque extenduntur et cum eo coalescunt, ut plures in fructu, quam in ovario aut pro numero stylorum conjuncti sint loculi. Rarius ovula in oophoro ex angulo interno protuberante pluribus seriebus vel inordinatim suspensa. Embryon semper albuminosum, modo leviter, modo in aliis Speciebus validius curvatum, quemadmodum ovula modo reverâ campylotropa, modo ad statum anatropum vergentia. In *Frezierâ* Swartz et *Lettsoniâ* Ruiz et Pav. pistilli fabrica plane conformis, fructus pariter baccati, semen in *Frezierâ* et, ut videtur, etiam in *Lettsoniâ* albuminosum, embryon perinde plus minus curvatum, ut tria illa Genera, si servare velis, aliis distinguenda sint characteribus, cum praesertim habitu quoque cum *Euryâ* congruant. Unum id discrimen sit, quod in *Euryâ* flores polygami vel saepius dioici, in illis vero Generibus vulgo hermaphroditici, qui tamen character ad constituenda Genera non majoris est momenti, quam petalorum ad basin cohaesio in *Euryâ*, ut ab illis distinguatur. Neque staminum fabricâ reverâ inter se differunt; antherarum connectivum filamento continuum, interdum minuti mucronis s. cuspidis instar super loculos longitudine introrsum dehiscentes prominens. Propter haec omnia haud ullo dubio Genera illa cum *Euryâ*, utpote prius constitutâ, conjungenda esse censeo, cui igitur sequentes annumerandae sunt Species, nempe: 1. *E. theoides* (Freziera theoides Sw.). — 2. *E. undulata* (Freziera undulata Sw.). — 3. *E. attenuata* (Freziera attenuata Wall.). — 4. *E. nervosa* (Freziera nervosa Humb. et Bonpl.). — 5. *E. sericea* (Freziera sericea Humb. et Bonpl.). — 6. *E. chrysophylla* (Freziera chrysophylla Humb. et Bonpl.; Lettsonia tomentosa Ruiz et Pav.). — 7. *E. canescens* (Freziera canescens Humb. et Bonpl.).; Lettsonia lanata Ruiz et Pav.). — 8. *E. Humboldtiana* (Freziera reticulata Humb. et Bonpl.). — 9. *E. dioica* (Freziera dioica Macf.). — 10. *E. integrifolia* (Freziera integrifolia Benth.).

267. Eurya japonica Thunb.: ramulis ultimis lineis decurrentibus angulatis glabris; foliis brevissime petiolatis (coriaceis) e basi acutâ v. angustatâ lanceolatis s. ellipticis obovatisve (1—3 poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2 lin.) acutis v. cum acumine brevi emarginato rarius rotundatis serratis glabris subtus obsolete reticulato-venulosis; floribus solitariis geminis confertisve breviter pedunculatis; calycis foliolis subrotundis subaequalibus; stylis 3 rarissime 4 brevissimis imâ in stylum crassum connatis; baccis globosis glabris. Thunb. *Flor. Jap.* 191. tab. 25. Lam. *Enc. bot.* II. 440. Willd. *Sp. Pl.* II. 2. 856. Pers. *Syn. Pl.* II. 5. 1. — De Cand. *Prodr.* I. 525. 1. Spr. *Syst. Veg.* II. 450. 1. Hook. et Arn. *Bot.* Beech. *Vog.* 260. — *E. Macartneyi* Champ. in Hook. *Journ. of Bot.* III. 307. 2. — *Fisakaki* Kaempf. *Amoen. ex.* 778. — *Tisakaki*, *Sira sjako* Japon.; *Lîng* Sinice. — Formâ et magnitudine foliorum quam maxime variabilis, quod cum locorum naturae tum culturae stirpis videtur tribuendum. Scilicet Japonenses multarum arborum et fruticum staturam ita deprimere gestiunt, ut in pumiliones paucorum saepe pollicum degenerent; quâ arte incredibile est quantum profecerint, cum ejusmodi stirpes nanae apud illos plurimi fiant et magni veneant. Huic autem culturae et *E. Japonica* videtur aptissima. Flores albi, subinde in roseum vergentes, odoris gratissimi. Fructus adhibentur tinctorii. Folia subcartilagineo-marginata, fere ad basin usque serrata, serraturis infimis tamen magis distantibus et fere obliteratis, a medio ad apicem serraturis obtusis subfalcatis mucronulo glanduloso emoriente instructis; nervo medio supra depresso, subtus obtuse prominente; venis lateralibus immersis, vix conspicuis, supra interdum impressis, nullis vel perexiguis vestigiis reticulationis. Pedunculi $1\frac{1}{2}$—2 lin., filiformes v. subclavati, teretiusculi v. nonnihil compressi, cernui, ad basin articulatam squamulis duabus minutissimis rotundatis carinatis crassis cincti. Flores dioici, masculi majores. Bracteolae calycinae parvae, laterales, basi calycis crassiori appressae, semilunares v. semiorbiculares, ut foliola calycis infra marginem superiorem cum mucrone punctiformi. Foliola calycis subrotunda, erecto-conniventia, extus glabra, intus parce sericea, exteriora paulo minora. Corolla calyce fere dimidio longior, quinquepetala, subinfundibuliformis, glabra, decidua; petalis obovato-oblongis, exunguiculatis, apice rotundatis et saepe retusis, ad margines inferne imbricato-conglutinatis. Masc. stamina 13—15, corollâ breviora eique imâ paulum cohaerentia, erecta, inaequilonga, glabra; filamenta subulato-filiformia; antherae basi affixae, oblongo-lineares, tetragonae, obtusae v. obsolete mucronulatae, basi emarginatae, introrsum longitudinaliter birimosae, filamenta adaequantes v. paulo iis breviores. Pistilli rudimentum globoso-ovoideum, in stylum subulatum desinens. Fem. Stamina abortiva nulla. Ovarium globoso-ovoideum, glabrum, 3-loculare, ovulis in quovis loculo multis biseriatis campylotropis a marginibus dissepimentorum instar laminae verticalis bipartibilis intra loculos productorum suspensis. Styli 3 rarissime 4, brevissimi, subuliformes, apice recurvi et facie interiore stigmatosi, inferne in stylum brevem crassum connati. Bacca calyce cincta, magnitudine pisi minoris, globosa, stylo crasso apiculata, concretione marginum introflexorum dissepimentorum cum parietibus endocarpii interdum 5-6-locularis, polysperma. Semina subreniformi-angulata, ventre paulum depressa, fusca, foveolata. Testa crustacea. Cuticula tenuissima. Nucleus albuminosus, arcuatus. Embryon in albumine carnoso centrale, curvatum, cylindraceum. Cotyledones lineares, obtusiusculae, incumbentes. Radicula cotyledonibus paulo longior, crassior, obtusa. — In Japoniâ, ubi et sequentes Varietates occurrunt, nec non in Sinâ.

β *Var. uniflora:* foliis texturâ tenui subchartaceâ, reticulatione venarum subtus paulo distinctiore; pedunculis vulgo solitariis. — *Eurya uniflora* SIEB. in *Münchn. Abh. der II Cl. der Akad. der Wiss.* IV. Abth. II. 163. 201. — In Japoniâ spontanea.

γ *Var. montana:* foliis coriaceis v. subchartaceis; pedunculis saepe confertis. — *Eurya montana* SIEB. *l. c.* 203. — *Eurya multiflora* (haud DE CAND.) SIEB. Herb. — In Japoniae montanis sponte crescens.

δ *Var. hortensis:* foliis minoribus ($\frac{3}{4}$—$1\frac{3}{4}$ poll., 3—7 lin. lat.) lanceolatis coriaceis. — *Eurya hortensis* SIEB. *l. c.* 202. — Cum α et β in hortis regni japonici.

a. foliis variegatis.

b. foliis crispulis. — *Eurya crispa* SIEB. Herb.

ε *Var. linearifolia:* foliis minoribus (7—14 lin, $1\frac{1}{2}$—3 lin. lat.) linearibus obtusis v. retusis. — In hortis Jedo.

ζ *Var. pusilla:* foliis minoribus ($\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{3}$ poll., 3—6 lin. lat.) ellipticis v. elliptico-lanceolatis. — *Eurya pusilla* Sieb. Herb. — In Japoniâ in litore.

η *Var. microphylla:* foliis parvis (3—8 lin., $1\frac{1}{2}$—4 lin. lat.) cuneato-oblongis obtusis. — *Eurya microphylla* Sieb. *l.c.* 200. — In Oosakâ culta.

268. Eurya obovata Bl.: ramulis ultimis subancipitibus glabris; foliis e basi cuneatâ obovatis v. ellipticis oblongisve (8—14 lin., 4—7 lin. lat., pet. vix $\frac{1}{2}$—1 lin.) obtusiusculis v. retusis serratis glabris obsolete reticulato-venulosis; floribus solitariis geminisve breviter pedunculatis; calycis foliolis orbicularibus inaequalibus, 2 exterioribus minoribus rotundatis, interioribus obsolete retusis; stylis 3—4 brevissimis distinctis; baccis subglobosis glabris. Bl. *Flor. Jav. Praef.* VII. Korths. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 118. 5. Walp. *Rep. bot.* I. 369. 4 et 10. — *Geeria obovata* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 125. — Arbuscula ramosissima, glabra. Ramuli cinereo-fusci, lineis decurrentibus notati, ultimi ancipites. Folia alterna, approximata, erecto-patentia, ad basin cuneatam integerrima, medio ad apicem obtuse v. subfalcato-serrata, coriacea, utrinque obsolete et laxe reticulata, nervo medio subtus protuberante supra cum venulis tenerrimis impressis. Pedunculi breves, cernui, sub calyce bibracteati. Flores dioici, parvi, albidi. Calycis foliola obsolete mucronulata, 2 exteriora nonnihil minora, coriacea, rotundata; 3 interiora magis membranacea, subretusa. Petala 5, distincta, obovata, inaequilata, retusa, margine superne crenulata, carnosula. Masc. stamina 13—18, corollam fere adaequantia, glabra; filamentis filiformibus, flexuosis; antheris filamento brevioribus, sagittatis, mucronulatis, loculis torulosis. Pistilli rudimentum conicum. Fem. staminodia nulla. Ovarium ovoideum, glabrum, 3-4-loculare. Styli 3 v. saepius 4, in vertice ovarii approximati, brevissimi, recti, acuti, distincti. Baccae pisi minoris magnitudine, subglobosae, stylis persistentibus coronatae, glabrae. — In cacumine montium ignivomorum Javae, Celebes cet.

β *Var. elliptica:* foliis majoribus ellipticis ($\frac{3}{4}$—$1\frac{3}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat.) — *E. reticulata* Korths. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 118. 6 (ex parte). Tab. 17. fig. 3. — In summo montis Merapi insulae Sumatrae.

269. Eurya reticulata Korths.: ramulis ultimis angulatis glabris; foliis e basi acutâ v. angustatâ ellipticis ($\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll., 5—9 lin. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2 lin.) obtusiusculis v. cum acumine brevi retuso serratis glabris distincte reticulatis; floribus solitariis geminisve breviter pedunculatis; calycis foliolis rotundato-ovatis subaequalibus; stylis 4 brevissimis imâ in stylum brevem crassum connatis; baccis ovoideo-globosis glabris. Korths. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 118. 6 (ex parte!). Walp. *Rep. bot.* I. 369. 5. — Species praesertim foliis subtus reticulatione dense areolatis a priore distincta.

Arbuscula 3—10 ped., ramosissima, dense foliosa. Folia ad margines serraturis subfalcatis instructa, basin versus integerrima et revoluta, coriacea, reticulatione in paginâ dorsali distinctissimâ, supra obsoletâ et impressâ. Pedunculi breves, cernui, crassiusculi. Bracteae calycinae 2, appressae, lato-ovatae, calyce plus duplo breviores. Calycis foliola 2 externa paulisper minora, cuncta primo rotundato-ovata, ad apicem nonnihil complicatum calloso-apiculata, firma, glabra, apiculo tandem secedente, unde formam magis rotundatam exhibent. Ovarium globoso-ovoideum, incomplete-4-loculare. Styli 4, brevissimi, lineares, obtusiusculi, intus sulco exarati et papillosi, divergentes, in stylum perbrevem crassum uniti. Baccae subglobosae, apiculo crasso instructae, purpureae, glabrae, 3-4-loculares. Semina 3-5 in quovis loculo, axi affixa. — In cacumine montis ignivomi Merapi insulae Sumatrae.

270. Eurya chinensis Rob. Brown: ramulis ultimis angulatis sericeo-tomentosulis; foliis e basi cuneatâ ovalibus obovatisve ($\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll., 5—10 lin. lat., pet. vix $\frac{1}{2}$—1 lin.) obtusis v. retusis margine revolutis crenulatis glabris subtus aveniis v. laxe reticulato-venulosis; floribus solitariis confertisve breviter pedunculatis; calycis foliolis subrotundis, 2 exterioribus minoribus; stylis 3 rarissime 4 brevissimis imâ in stylum brevem connatis; baccis subglobosis glabris. Rob. Brown in Abel's *Voy. App.* 379. Ejusd. *Plant. chin. diss.* 7 *cum icon.* De Cand. *Prodr.* I. 525. 2. Spr. *Syst. Veg.* II. 450. 2. Champ. in Hook. *Journ. of Bot.* III. 307. 1. — *Eurya littoralis* Sieb. in *Münchn. Abh. der II Cl. der Akad. der Wiss.* IV. Abth. II. 163. 199. — *Fama fisakaki* Japon. — Ramuli subdistichi, divaricati, e fusco-rufescentes, striati lineisque decurrentibus subangulati, sericeo-tomentosuli. Folia coriacea, firma, calloso-marginata, vulgo obtusissima, superne crenulata, crenulis in sinu mucronulo minutissimo appresso, nervo medio supra canaliculato, subtus protuberante, venis laxe anastomosantibus subtus omnino inconspicuis v. obsoletis, supra impressis. Flores parvi, albi. Baccae pisi minoris magnitudine, stylo brevi apiculatae, purpureae, 3-loculares, loculis 3—4-spermis. — In Sinâ et Japoniâ.

271. Eurya coneocarpa Korths.: ramulis ultimis angulatis glabris; foliis cuneato-oblongis v. obovatis lanceolatisve ($1\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{3}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 lin.) obtusis v. plerumque cum acumine brevi retuso serrulatis glabris subtus reticulatis et ad nervum medium interdum puberulis; floribus solitariis geminis rarissime confertis subsessilibus; calycis foliolis paulo inaequalibus lato-ovatis obtusis apice subcomplicatis; stylis 3—5 brevibus fere ad basin usque distinctis; baccis ovoideis glabris. Korths. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 117. 4. Walp. *Rep. bot.* I. 369. 3. — Haud dubitanter stirpem nostram eam esse crederem, quam V. Cl. Wight in *Illustr.* I. tab. $\frac{38}{306}$ cognomento *E. Wightianam* depinxit, si formâ alabastrorum congrueret. Etenim et *E. conoidea* et quae illi valde affinis *E. glabra* floribus satis magnis et alabastris ovoideis insigniuntur; at alabastra in illâ figurâ sunt globosa. *E. glabrae*, ut diximus, quam intime affinis est, quin vix ab eâ diversa foliis subsessilibus apice vulgo in apicem brevem retusum desinentibus, stylis distinctioribus et baccis magis ovoideis non depressis. Bracteolae sub quovis flore binae, laterales, foliis calycinis plerumque dimidio breviores, ovatae, obtusae, dorso gibbae v. subcarinatae, crassae, in marginibus extenuatis subciliatae, sub apice cum mucrone glanduloso. Calycis foliola conformia, apice interdum complicata, extus glabra, intus paene sericea, externa duo tribus interioribus paulo modo minora. Petala 5, oblonga, obtusissima, late unguiculata, ad basin in corollam rotatam calyce duplo longiorem cohaerentia. Masc. Stamina 18, inaequilonga; filamenta filiformia, in praefloratione erecta v. nonnihil flexuosa, antheras adaequantia v. iis duplo longiora; antherae ovatae, mucronatae, basi affixae, introrsae. Pistilli rudimentum conicum, superne attenuatum. Fem. Ovarium ellipsoideum, incomplete 3—4-rarissime 5-loculare, dissepimentis incompletis, axem versus incrassatis, utrinque cum serie simplici ovulorum campylotroporum suspensorum. Quot loculi incompleti totidem styli, breves, subulati, fere ad basin usque distincti, intus stigmatosi, persistentes. Bacca ovoidea, fere dimidia calyci immersa. Nucleus seminum curvatus, albuminosus. — Cum Varietatibus sequentibus in Javâ circa declivia altiora montium Gedeh, Pangeranghu, Lawu, cet.

β *Var. flexuosa:* ramulis flexuosis; foliis subsessilibus e basi cuneatâ ellipticis (1—$1\frac{1}{2}$ poll., 6—10 lin. lat.) obtusis v. retusis glabris v. ad nervum medium subtus pubescentibus.

γ *Var. pubinervis:* foliis brevissime petiolatis e basi angustatâ oblongo-lanceolatis ellipticisve ($1\frac{2}{3}$—3 poll., 7—13 lin. lat., pet. 1—$2\frac{1}{2}$ lin.) breviter obtuse acuminatis ad nervum medium subtus interdum pubescentibus.

δ *Var. elongata:* foliis brevissime petiolatis e basi angustatâ lanceolatis ($1\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{4}$ poll., 6—10 lin. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 lin.) obtuse acuminatis glabris.

ε *Var. varians:* foliis petiolatis e basi angustatâ oblongo-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll., 7—13 lin. lat., pet. 3—5 lin.) longe acuminatis ad nervum medium subtus interdum pube appressâ obsitis.

272. Eurya glabra Bl.: ramulis ultimis lineis decurrentibus obsolete angulatis glabris; foliis e basi angustatâ ellipticis v. oblongo-lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—3 poll., 7—13 lin. lat., pet. 1—3 lin.) acuminatis serrulatis glabris subtus reticulatis; floribus solitariis geminis v. saepius confertis brevissime pedunculatis; calycis foliolis subaequilongis, 2 exterioribus subrotundo-ovatis; interioribus subrotundis apice complicatis; stylis 3—4 brevibus ad basin in stylum crassum cylindricum connatis; baccis depresso-globosis glabris. Bl. *Flor. Jav. Praef.* VII. Korths. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 114. 2. — *Eurya tristyla* (ex parte!) Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 86. 307. Walp. *Rep. bot.* I. 369. 12. — *Kitjabeh* Sund. — Stirpem hanc VV. Cl. Wight et Arn. in *Prodr. Penins. Ind. or.* l. c. synonymam *E. tristylae* suae censuerunt, quam Speciem Wight in *Illustr.* I. ab *E. Wightianâ* Wall. non diversam putat. An vero stirps hoc nomine in tab. $\frac{38}{306}$ ab illo depicta reverâ sit Wallichiana illa, dubitari licet, quum styli fide hujus figurae fere ad basin usque distincti, in illâ vero ex descriptione auctorum in *Prodr. l. c.* fere ad apicem usque connati sint; quod non nisi accuratâ exemplorum genuinorum comparatione dijudicari poterit. Ob stylos inferne connatos conjunctio *E. glabrae* meae cum *E. Wightianâ* WALL. potius quam cum *E. tristylâ* WIGHT et ARN. videtur comprobanda. At jam angusti fines, quibus *E. glabra* circumscribitur, vel in Javâ, ubi adhuc tantummodo in superioribus regionibus montis ignivomi *Gedeh* reperta est, faciunt, ut eam ab utrâque Specie diversam putem, a quibus formâ quoque foliorum calycis, ut verisimile, differt, quae ipsa eam, perinde ac distinctior foliorum reticulatio, ab *E. Japonicâ* THUNB. distinguit. Reticulatio supra quoque interdum conspicua. Frutex 10 ped., nonnunquam 20 ped. arbuscula; ramulis extremis cum foliis vel adhuc complicatis plane glabris. Flores dioici, albi. Pedunculi plerumque conferti, rarius solitarii, brevissimi, tereti-compressi, sub calyce binis bracteolis lateralibus satis magnis, utpote calyce dimidio tantum brevioribus, ovatis v. ovali-oblongis, obtusis, subcarinatis, crassiusculis, carinatis. Calycis foliola 2 exteriora ovata, ad basin passim subcarinata; 3 interiora subrotunda, superne complicata, cuncta crassiuscula, apice cum mucrone rigido emoriente, extus medio pilosula, intus parce sericea. Petala 5, obovata, emarginata, crassiuscula, basi concreta. Masc. Stamina circiter 17, inaequilonga; filamenta subulato-filiformia, imâ brevissime concreta, rectiuscula v. saepe flexuosa; antherae filamento duplo triplove breviores, ovato-oblongae, mucronatae, basi leviter emarginatae, tetragonae. Pistilli rudimentum elongato-conicum, superne attenuatum. Fem. Ovarium ovoideum, incomplete 3—4-loculare; ovula in quovis loculo incompleto plura, biseriata, campylotropa, pendula. Styli 3—4, breves, filiformes, ad infra medium usque in stylum crassum cylindraceum connati. Baccae globosae, nonnihil depressae, stylo apiculatae, carnosae, glabrae, coeruleae, 3—4-loculares, polyspermae. — In Javâ occidentali in declivibus montis ignivomi Gedeh superioribus ad orientem vel inter orientem et meridiem vergentibus.

273. Eurya phyllanthoïdes BL.: ramulis ultimis teretiusculis v. lineis decurrentibus striolatis apice sericeo-puberis; foliis e basi angustatâ oblongo-lanceolatis ($2\frac{1}{4}$—4 poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatis serrulatis glabris margine interdum revolutis glabris v. ad nervum medium subtus puberulis; floribus solitariis geminis confertisve breviter pedunculatis; calycis foliolis subrotundis, 2 externis paulo minoribus; stylis 3—5 infra medium usque in stylum brevem conicum connatis; baccis depresso-globosis glabris. — *Phyllanthus nitida* Herb. REINW. — *Remang* Sund. — Praesertim *E. glabrae* MIHI, nec minus *E. Wightianae* WALL. et *E. Zeylanicae* WIGHT accedens. Ab *E. glabrâ* in hisce secedens: 1) ramulis apice ut foliis novellis pube sericeâ obsitis; 2) floribus minoribus, quorum alabastra globosa, nec ovoidea ut in *E. glabrâ;* 3) foliolis calycinis subrotundis, concavis, nec ut in illâ ad basin et apicem subcarinatis. — Arbor 25—30 ped., cujus lignum in provinciâ Bantam frequenter ad carbones coquendos adhibetur. Folia iis *E. glabrae* similia, breviter petiolata, coriacea, in acumen obtusum v. retusum desinentia, reticulatione supra fere inconspicuâ et immersâ, glabra, subtus autem ad nervum medium pube rarâ sericeâ tandem evanescente conspersa. Flores axillares, vulgo conferti, nunc solitarii nunc gemini, pedunculis $1\frac{1}{2}$—2 lin. longis compresso-teretiusculis ad basin squamulis nonnullis cinctis ad apicem bracteolis duabus lateralibus ovato-rotundatis calyci appressis ejusque foliolis duplo brevioribus suffulti, parvi, albi, dioici. Calycis foliola subrotunda, crassiuscula, uti bracteae ad marginem extenuatum superne mucrone fere inconspicuo punctiformi, extus subsericea, intus glabriuscula, vegeto-persistentia. Corolla quinque-partita, lobis ovalibus, obtusis s. in floribus masculis interdum retusis. Masc. Stamina 17—18, corollâ breviora; filamentis subulato-filiformibus, inaequilongis; antheris ovoideis, mucronatis, basi emargimatis, tetragonis, aurantiacis. Pistilli rudimentum minutum, conico-attenuatum. Fem. Staminodia nulla. Ovarium ovoideo-globosum, glabrum. Styli 3—5, filiformes, superne divergentes ac recurvi, facie interiore papillosi, ad basin infra medium usque in stylum brevem conicum persistentem concreti. Baccae magnitudine seminis *Piperis nigri*, 3-4-rarius 5-loculares, polyspermae. — In Javae occidentalis provinciis ad altitudinem 3—5000 ped. satis frequens, ut in cacumine montes Pulussarie, in sylvis Gedeh, Burangrang, Talagabodas cet.

β *Var. brevifolia :* foliis minoribus elliptico-lanceolatis ($1—1\frac{2}{3}$ poll., 8—10 lin. latis) reticulatione distinctiore. — In Sumatrâ.

274. Eurya anceps Bl.: ramulis ultimis ancipitibus glabris; foliis e basi acutâ lanceolatis v. ovato-lanceolatis ($1\frac{1}{3}—2\frac{1}{4}$ poll., 6—11 lin. lat., pet. 1—2 lin.) obtuse acuminatis serrulatis glabris subtus reticulato-venulosis; floribus solitariis geminisve longiuscule pedunculatis; calycis foliolis inaequalibus, 2 exterioribus ovatis obtusis, interioribus fere duplo majoribus subrotundis; stylis 3 medio usque in stylum crassum subtrigonum connatis; baccis subglobosis glabris. — *E. japonicae* affinis, sed satis diversa foliis subtus distinctius reticulatis, serraturis minoribus et pluribus, denique floribus longius pedunculatis. Arbor alta. Folia magnitudine satis variabilia, infima in ramulis saepe tantum unguicularia v. pollicaria, magis ovata et obtusa, omnia brevissime petiolata, chartacea, nitida, acumine obtuso v. retuso, serraturis minutis, obtusis, obsolete mucronulatis. Flores dioici, parvi, albidi. Pedunculi $2—3\frac{1}{2}$ lin., tereti-compressi, clavati, cernui, sub calyce cum duabus bracteolis oblique oppositis parvulis ovatis et interdum infra apicem cum accessoriâ conformi. Calycis foliola 2 externa interioribus fere dimidio breviora, crassiora, ovata, obtusa; 3 interiora subrotunda, membranacea, omnia obsolete mucronulata. Petala subrhombeo-ovalia, ad basin concreta. Masc. Stamina circiter 13; antherae lineares, cuspidatae, basi emarginatae, torulosae. Pistilli rudimentum e basi paulum dilatatâ subuliforme. Fem. Ovarium ovoideum, glabrum, incomplete 3-loculare; dissepimentis utrinque longe tenuis lamellae instar inflexis. Styli 3, subulato-filiformes, ad medium in stylum crassum trigonum connati. Bacca subglobosa, glabra, 3-locularis, stylo crasso subulato apiculata. — In Javae occidentalis sylvis montanis.

275. Eurya nitida Korths.: ramulis ultimis angulatis glabris; foliis e basi acutâ lanceolatis v. oblongo-ellipticis ($1—3\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{2}—1\frac{1}{3}$ poll. lat., petiolo vix $\frac{1}{2}—1\frac{1}{2}$ lin.) acutis v. obtuse acuminatis serrulatis glabris subtus obsolete venulosis; floribus solitariis geminisve breviter pedunculatis; calycis foliolis inaequalibus, 2 exterioribus rotundato-ovatis, interioribus duplo majoribus lato-rotundatis; stylis 3 rarius 4 fere usque ad apicem in stylum crassum angulatum unitis; baccis subglobosis glabris. KORTHS. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 115. 3. tab. 17. fig. 1—2. WALP. *Rep. bot.* I. 369. 2. — *Tuangau* Indig. — Foliis modo obsolete venulosis, floribus brevius pedunculatis stylisque altius connatis facile ab *E. ancipite* distinguenda. Calycis foliola maxime basin versus crassa, ad margines membranaceo-extenuata, duo externa superne cum mucrone obsoleto punctiformi, interiora absque mucrone. Petala ovalia, calyce duplo longiora, inaequilata, carnosula, superne tenuiora, sub apice extus cum mucrone obsoleto et hic sub anthesi emarginato-fissa, ceteroquin integerrima, ad basin intus omnino esquamulosa, glabra, alba, decidua. Masc. Stamina 10—12, rudimento pistilli circumposita; antherae filamento longiores, lineares, basi emarginatae, apice producti connectivi mucronatae, tetragonae, torulosae. Fem. Ovarium ovoideum, in stylum crassum angulatum ovarium adaequantem stigmatibus 3 rarius 4 subulatis patentibus papilligeris terminatum attenuatum, 3-rarius 4-loculare. Bacca pisiformis, stylo apiculata, pro numero loculorum sulcis totidem obsoletis ex apiculo descendentibus, glabra, caerulea. — In montanis insulae Borneo.

276. Eurya virens BL.: ramulis ultimis subangulatis glabris; foliis e basi acutâ v. angustatâ ellipticis lanceolatisve (1½—3 poll., ½—1¼ poll. lat., pet. ½—2 lin.) acutis v. acuminatis serrulatis glabris subtus obsolete reticulato-venulosis; floribus solitariis geminisve breviter pedunculatis; calycis foliolis subrotundis ovalibusve inaequalibus; stylis 3 medio usque in stylum crassum trigonum connatis; baccis depresso-globosis. — *Kaju Sala Sala* indig. Palembang. — Haud minus *E. japonicae* THUNB. quam *E. nitidae* KORTHS. et *E. ancipiti* MIHI affinis. — In Sumatrâ.

277. Eurya Hasseltii BL.: ramulis ultimis angulatis glabris; foliis e basi acutâ ellipticis lanceolatisve (1¼—2¾ poll., ½—1 poll. lat., pet. vix ½—1 lin.) acutis v. cum acumine brevi obtuso serrulatis glabris subtus obsolete venulosis; floribus solitariis geminisve brevissime pedunculatis; calycis foliolis inaequalibus, 2 exterioribus subrotundo-ovatis; interioribus duplo majoribus orbicularibus; stylis 5 ultra medium in stylum elongatum unitis; baccis subglobosis glabris. — Maxime affinis *E. nitidae* et *E. myrtifoliae*, a quibus praesertim floribus pentagynis stigmatibusque in stylum magis elongatum connatis discernitur. Arbor parva, foliis exsiccatione sicut in plerisque *Symploci* Speciebus in colorem flavescentem v. cerinum vergentibus. Calycis foliola crassiuscula; 2 externa subrotundo-ovata, obtusa v. acutiuscula; interiora margine tenuiora. Petala ovalia v. lato-obovata, obtusissima, concava. Masc. Stamina 13—16; filamenta subulato-filiformia, antheris breviora; antherae lineares, obtusae, obsolete mucronulatae, basi emarginatae ac saepe obliquae, tetragonae, loculis constrictionibus transversalibus torulosis. Pistillum abortivum conicum, apice attenuatum. Fem. Ovarium globoso-ovoideum, glabrum, in stylum satis longum filiformem apice in stigmata quinque filiformia radiatim divergentia fissum constrictum. Bacca pisiformis, stylo apiculata, laevis, glabra, caerulescens, quinquelocularis, polysperma. — Juxta craterem montis Pulussarie in Javâ occidentali a divo VAN HASSELT detecta.

TOM. II. Nr. 8.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Ternströmiaceae.** Subord. **Ternströmieae.**

278. Eurya myrtifolia Bl.: ramulis ultimis subangulatis glabris; foliis lanceolatis (¾—2½ poll., 3—7 lin. lat., pet. vix ½ lin.) utrinque attenuatis obiter serrulatis glabris subtus obsolete reticulato-venulosis; floribus 1—3, masculis longiuscule pedunculatis; calycis foliolis inaequalibus, 2 exterioribus multo minoribus ovato-rotundatis, 3 interioribus subrotundo-ovalibus; stylis 3 rarissime 4, fere ad basin usque distinctis; baccis subglobosis glabris. — Foliis minoribus angustioribus minus distincte reticulatis ab *E. ancipite* satis diversa. Frutex 8—10 ped., ramosissimus, plane glaber. Rami cylindracei, cinerei, lenticellis oblongis v. linearibus secundum longitudinem in fissuras confluentibus cinnamomeis, superne lineis decurrentibus subangulati; ramuli ultimi erecto-patentes, subdistichi. Folia subsessilia, subcoriacea, vulgo in acumen obtusum v. retusum attenuata, supra nitida, nervo medio impresso nec venis lateralibus distinctis, quae subtus parum modo conspicuae et laxe reticulatae. Pedunculi 2 lin., cernui, subclavati, angulato compressi, ad apicem binis v. ternis bracteolis minutissimis triangulari-ovatis, mucronulo punctiformi terminatis calyci continuis. Calycis foliola inaequalia, membranacea, glabra, praecipue in basi crassiore unitâ granula amylacea copiosissima continentia; exteriora duo multo minora, ovato-rotundata, cum mucrone punctiformi vix conspicuo; 3 interiora subrotunda v. subrotundo-ovalia, ad margines magis membranaceo-extenuata, nullo mucrone distincto. Petala 5, ovali-subrotunda, inaequilata, crassiuscula, ad basin usque distincta. Stamina circiter 13, serie simplici pistillo rudimentario e basi conicâ sulcatâ subulato-attenuato circumposita; filamenta filiformia, brevia; antherae sagittatae, obsolete mucronatae, tetragonae, torulosae. Flores feminei brevius pedunculati, foliolis calycis minus inaequalibus atque duabus exterioribus magis rotundatis quam in masculis. Ovarium ovoideo-globosum. Styli 3 rarius 4, filiformes, ovario paulo longiores, fere usque ad basin distincti, facie internâ sulco impressi. Bacca pisiformis, umbone brevi crasso instructa, 3-rarius 4-locularis, polysperma. — In sylvis montium altiorum Javae occidentalis.

β *Var. polymorpha:* foliis saepe majoribus (usque 3¼ poll. et pollicem lat.) lanceolatis v. oblongo-lanceolatis; stylis ad medium aut infra medium usque connatis. — In sylvis Javae occidentalis.

279. Eurya Roxburghii Wall.: ramulis ultimis subancipitibus glabris; foliis e basi acutâ elliptico-oblongis v. oblongo-lanceolatis (1½—2½ poll., ½—1 poll. lat., pet. vix ½—1 lin.) acutis v. cum acumine brevi obtuso v. retuso serrulatis glabris subtus reticulato-venulosis; floribus solitariis v. paucis brevissime pedunculatis; calycis foliolis subrotundis retusis glanduloso-crenulatis subaequalibus; stylis 3 fere usque ad apicem in stylum elongatum subuliformem connatis; baccis..... glabris. — *E. Roxburghii* Wall. Herb. N°. 1463 (ex parte). — *E. ancipiti* nec non *E. japonicae* affinis, floribus autem minoribus stigmatibusque in stylum gracilem unitis insignis. — In montosis Sillet Indiae orientalis.

280. Eurya symplocina Bl.: ramulis ultimis lineis decurrentibus striatis apice sericeis; foliis e basi acutâ oblongo-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1—2 lin.) obtuse acuminatis integerrimis v. superne serrulatis reticulato-venulosis glabris ad nervum medium subtus pube appressâ evanescente obsitis; floribus confertis brevissime pedunculatis; calycis foliolis subrotundis leviter retusis, 2 exterioribus paulo minoribus; stylis 3 alte in stylum subuliformem connatis; ovariis glabris. — *Eurya acuminata* (haud De Cand.) Herb. Wall. N°. $\frac{1464}{1}$ (ex parte). — Species haec *Symplocadum* quarumdam plane refert faciem; fortasse eadem stirps, quae a Roxburgh V. Cl. in MS. tamquam *Symplocas fasciculata* est descripta. In Herb. Wallichiano sub numeris indicatis duae sunt Species diversae, haec foliis longius acuminatis, ovariis quoque glabris et stigmatibus in stylum altius connatum unitis, ab illâ insignis, utraque tamen habitu valde consimilis. — Gemma ramulos terminans subuliformis, gilvo-sericea, compluribus *Ficus* Speciebus simillima. Folia coriacea, nitida, nervo medio supra immerso subtus protuberante et illic pube appressâ sericeâ tandem evanescente obsito, reticulatione subtus magis distinctâ. Pedunculi breves, crassi, curvati, ut bracteae et foliola calycis extus sericeo-puberuli. Bracteae vulgo 3; infima a calyce remota, semicircularis, pedunculum semiamplectens, superiores duae majores, basi calycis appressae, semiorbiculares, retusae, crassae, perinde ac foliola calycis subrotunda superne ad sinum mucronulo instructae. Foliola calycis exteriora duo paulo minora, retusa; interiora tria tenuiora, subretusa, cuncta margine membranaceo extenuata et inconspicue ciliolata. Ovarium subglobosum, glabrum. Stigmata 3, filiformia, in stylum elongatum subuliformem rectum unita. — In sylvis Napaul.

281. Eurya trichogyna Bl.: ramulis ultimis lineis decurrentibus striatis apice sericeis; foliis e basi acutâ ellipticis v. oblongo-lanceolatis (2—3 poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 1—2 lin.) acutiusculis v. acumine brevi obtuso integerrimis v. superne serrulatis reticulato-venulosis glabris ad nervum medium subtus pube appressâ evanescente obsitis; floribus confertis breviter pedunculatis; calycis foliolis subrotundis subretusis, 2 exterioribus paulo minoribus; stylis 2—3 ad medium usque cohaerentibus ovariisque hirsutulis. — *E. acuminata* (haud De Cand.) Herb. Wall. N°. $\frac{1464}{1}$ (ex parte). — Superiori, ut diximus, simillima, sed pistillo hirsuto stylisque brevioribus minus alte connatis satis diversa. Flores polygami, saepius luxuriantes, foliolis verticilli adauctis pleni. In his ovarium aboriri videtur, stigma obtusum sessile hirsutum exhibens.

In floribus femineis fertilibus stamina nonnulla cum antheris aborientibus obversantur. Ovarium ovoideum, ut basis unita stylorum superne filiformium glabrorum hirsutulum. — In sylvis Napaul.

282. Eurya trichocarpa Korth.: ramulis ultimis teretibus apice sericeo-subvelutinis; foliis e basi acutâ lanceolatis (2—$3\frac{1}{2}$ poll., 7—11 lin. lat., pet. 1—2 lin.) obtuse acuminatis serrulatis supra glabris subtus obsolete reticulato-venulosis et imprimis ad nervum medium puberulis; floribus solitariis geminisve brevissime pedunculatis; calycis foliolis subrotundis, exterioribus paulo minoribus; stylis 3—5 basi in stylum brevem angulatum connatis; baccis subglobosis pilosiusculis. Korths. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 114. — Ab *E. Wallichianâ* Steud., *E. lucidâ* Wall. et confinibus fructibus pilosiusculis diversa. Ramuli graciles, saepe in apicibus tantum pubescentiâ appressâ sericeâ subvelutini. Serraturae foliorum vulgo obtusae cum mucrone obsoleto appresso sphacelato. Venae laterales in foliis nonnisi subtus parum conspicuae et reticulatio laxa earum multo minus distincta quam in *E. serratâ*, *E. eupristâ* et *E. Wallichianâ*. Bracteolae 2, subrotundae, calyci appressae, interdum cum unâ duabusve alternis ad apicem pedunculi. Calycis foliola subrotunda, cum mucronulo punctiformi, tribus interioribus paulo majoribus, ad margines magis membranaceo-extenuatis. — In Amboinâ.

283. Eurya serrata Bl.: ramulis ultimis teretibus tomentoso-villosiusculis; foliis e basi obtusiusculâ v. acutâ lanceolatis ($3\frac{1}{3}$—$4\frac{1}{2}$ poll., 7—14 lin. lat., pet. 1—$2\frac{1}{2}$ lin.) longe obtuse acuminatis serrulatis supra glabris subtus reticulato-venulosis et imprimis ad nervum medium pubescentibus; floribus solitariis confertisve breviter pedunculatis (pedunculo sub bracteolis calycinis nudo); calycis foliolis subrotundis, exterioribus paulo minoribus; stylis 5—6 distinctis; baccis depresso-globosis glabris. Bl. *Flor. Jav. Praef.* VII. Walp. *Rep. bot.* I. 369. 8. — *Geeria serrata* Bl. *Cat. Hort. Buit.* 14 et 111. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 124. — *Kitjabeh* Sund. — Foliaturâ aliis quibusdam Speciebus simillima, maxime vero sequenti, a quâ praecipue baccis sphaeroideis insignitur. At distinguendae Speciei universe non certos mihi characteres praebere videntur foliorum textura eorumque serraturae, nunc acutae et appressae, nunc distinctiores et obtusae, in sinu cum mucronulo glanduloso appresso cito sphacelato. — Frutex ramosissimus vel plerumque arbor 20—25 ped. alta, comâ apertâ elongato-ovoideâ. Rami alterni, cylindrici, nigro-fusci, patentissimi, glabriusculi; ramulis subdistichis, teretibus, modo tomento brevi denso fusco plane tectis, modo in latere luci opposito eo denudatis, junioribus superne villosulo-tomentosis. Folia alterna, brevissime petiolata, disticha, petiolis brevibus teretibus supra profunde canaliculatis pubescentibus v. tandem glabriusculis praedita, basin versus integerrima, superne usque ad apicem obtusiusculum serrulata, chartacea, supra glabra, nitida, nervo medio depresso subtus obtuse prominente et pubescente et illic venis teneris patentissimis infra marginem arcuato-anastomosantibus reticulata, pilis raris tenerrimis appressis tandem evanescentibus conspersa; nonnulla e foliis infimis ramulorum multo minora, formâ oblongâ

v. ellipticâ, obtusiuscula. Flores dioici, parvi, albi, feminei vulgo in axillis conferti, masculi saepius solitarii v. geminati, pedunculis $1\frac{1}{2}$—2 lin. longis compresso-filiformibus v. subclavatis teretibus erecto-patentibus v. cernuis pube brevissimâ scabridis, in basi articulatâ squamulis aliquot minutissimis cinctis suffulti. Bracteolae duae, laterales, oppositae, basi calycis appressae foliolisque ejus duobus exterioribus alternae, parvae, ex ovato-rotundatae, foliolis calycis consubstantiales et illorum instar pube fere inconspicuâ sericeâ obsessae et in margine superiore extenuato mucronulo punctiformi instructae. Calycis foliola erecto-conniventia, paulum inaequalia, subrotunda, crassiuscula, exteriora duo paulo minora et interdum ovalia, interiora latiora, margine tenuiora. Corolla hypogyna, calyce duplo longior, profunde quinquepartita, rotato-campanulata, glabra, decidua; lobis s. petalis oblongis v. ovalibus, inaequilatis, obtusis v. leviter retusis, imbricatis, basi brevissime cohaerentibus. Masc. Stamina 17—18, hypogyna, corollâ paulo breviora eique ad basin adhaerentia, uniseriata, erecta, glabra; filamenta compresso-filiformia, subinaequalia, partim ante anthesin nonnihil flexuosa; antherae filamentis triplo breviores, basi insertae, immobiles, erectae, introrsae, ovato-lanceolatae, mucronatae, ad basin aequali-v. saepe inaequali-emarginatae, sulphureae, biloculares, torulosae, introrsum longitudinaliter dehiscentes. Pistilli rudimentum centrale, parvulum, conicum. Fem. Stamina nulla. Ovarium sessile, ovoideo-globosum, glabrum, pseudo-5-rarius 6-loculare, quippe dissepimentis axem fere attingentibus quâ deinde unita totidem loculos completos constituunt. Ovula plura, supra medium in marginibus dissepimentorum utrinque inflexis superposite suspensa, anatropa. Styli 5 rarissime 6, terminales, filiformes, primo recti et agglutinati, deinde superne divergentes, facie interiore stigmatosi, nempe illic sulco longitudinali impressi et minutissime papillosi. Bacca magnitudine pisi minoris, depresso-globosa, laevis, glabra, caerulescens, carnosa, ad basin calyce vegeto-persistente cincta, in vertice vulgo stylis vel basibus eorum obsessa, 5-raro 6-locularis, dissepimentis chartaceis. Semina in quovis loculo 4—6, ex ejus angulo interno superne suspensa, biseriatim superimposita, varie angulata. Testa crassa, crustacea, fusca, foveolata. Cuticula membranacea, tenuissima. Nucleus subreniformis, albuminosus. Embryon in axe albuminis grumosi leviter falcatum, subuliforme. Cotyledones breves, lineares, acutiusculae. Radicula longa, clavata, centripeta. — Cum Varietatibus sequentibus in sylvis intactis montium ignivomorum Javae occidentalis.

β *Var. membranacea:* foliis ($2\frac{1}{2}$—4 poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat.) inferne angustioribus membranaceis.

γ *Var. firma:* foliis (2—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll. lat.) minoribus firmioribus; floribus 3-5-gynis.

284. Eurya cuprista Korths.: ramulis ultimis teretiusculis tomentoso-villosiusculis; foliis e basi acutiusculâ lanceolatis (2—$3\frac{1}{4}$ poll., 5—9 lin. lat., petiolo vix $\frac{1}{2}$ ad 1 lin.) obtuse acuminatis serrulatis supra glabris subtus reticulato-venulosis pubeque appressâ tandem fere evanescente obsitis; floribus solitariis v. saepe confertis brevissime pedunculatis (pedunculo saepe bracteolis a calyce remotis cincto); calycis foliolis subrotundis 2 exterioribus paulo minoribus, interioribus retusis; stylis 3 rarius 2 v. 5 distinctis; baccis ellipsoideo-globosis glabris. KORTHS. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 113. 1. WALP. *Rep. bot.* I. 369. 1. — Haec licet *E. serratae* quam simillima, tamen cum fructibus magis ellipsoideo-globosis tum fabricâ eorum satis differt. Pro numero stylorum ovarium in totidem loculos completos est divisum, in quibus margines dissepimentorum ex angulo interno producti laminam tenuem constituunt, cujus marginibus ab axe remotis ovula utrinque appensa. Nota discriminis non minus gravis et magis conspicua in hac Specie sunt bracteolae pedunculorum accessoriae a basi calycis nonnihil distantes. Praeter duas bracteolas basi calycis contiguas hic una pluresve minores a calyce magis remotae in pedunculo reperiuntur, quarum in *E. serratâ* ne vestigium quidem. In floribus masculis, quos exploravi, plus viginti stamina erant, antheris formâ magis lineari-lanceolatâ, ut in *E. serratâ*, non torulosis. Ceterum haec quoque valde variat texturâ foliorum et serraturis, ad hoc pubescentiâ in paginâ dorsali appressâ, in foliis minus explicatis et in apicibus ramulorum semper satis densâ, cujus deinde saepe nulla vel perexigua subtus in nervo medio supersunt vestigia. — Frutex v. arbuscula 10—20 ped. alta, aut socia aut aliis fruticibus arboribusve intermixta frequens in Sumatrâ occidentali.

β *Var. heteroidea:* foliis (2—3¼ poll., 7—11 lin. lat.) membranaceis acumine acutiore magis exserte serrulatis, serraturis falcatis obtusis v. glanduloso-mucronulatis. — In Sumatrâ.

285. Eurya acuminata DE CAND.: ramulis ultimis lineis decurrentibus striatis pilosiusculis; foliis e basi acutiusculâ lanceolatis (2—4¼ poll., ½—1 poll. lat., pet. vix ½—1 lin.) obtuse acuminatis serrulatis supra glabris subtus reticulato-venulosis et ad nervum medium pubescentibus (pilis tandem evanescentibus); floribus solitariis v. confertis breviter pedunculatis; calycis foliolis subrotundis margine glanduloso-crenulatis, 2 exterioribus fere dimidio brevioribus; stylis 3 distinctis; baccis ovoideo-globosis glabris. DE CAND. *Mém. Fam. Ternstr.* 26. 3. EJUSD. *Prodr.* I. 525. 4. ROYLE *Illustr. Bot. Himal.* 127. tab. 24. fig. 1. — *E. lucida* Herb. WALL. N°. $\frac{1462}{3}$ (ex parte). — Foliorum formâ et reticulatione satis *E. eupristae* KORTHS. consimilis, ramulis autem in hacce Specie inde a foliorum insertione lineis decurrentibus notatis, pubescentiâ minus densâ e pilis patulis ad ipsum nervum medium subtus haud appressis constante. Calycis foliola in *E. eupristâ* ad margines integerrima et imprimis tria interiora retusa, in hacce magis rotundata et ad margines obsolete glanduloso-crenulata. — Cum Varietate in sylvis montium Himalaya ad altitudinem circiter 6500 ped. supra maris aequor.

β *Var. multiflora:* foliis elliptico-oblongis v. oblongo-lanceolatis (2—2½ poll., ½—1 poll. lat.) breviter obtuse acuminatis. — *E. multiflora* DE CAND. *l. c.* — *E. Roxburghii* Herb. WALL. N°. 1463 (ex parte).

286. Eurya Wallichiana Steud.: ramulis ultimis teretibus villosiusculis: foliis e basi acutâ v. obtusiusculâ lanceolatis (2—$3\frac{3}{4}$ poll., 7—13 lin. lat., pet. vix $\frac{1}{2}$ ad 1 lin.) longe obtuse acuminatis serrulatis supra glabris subtus reticulato-venulosis et imprimis ad nervum medium pubescentibus; floribus solitariis geminis confertisve brevissime pedunculatis; calycis foliolis subaequalibus rotundatis v. subretusis; stylis 3 ultra medium in stylum subuliformem connatis; baccis ovoideo-globosis glabris. Steud. *Nomencl. bot.* (ed. 2ª) 617. — *E. angustifolia* (haud Bl.) Wall. *Cat.* N°. 1465. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 86. 3. Walp. *Rep. bot.* I. 370. 13. — In foliaturâ satis cum *E. eupristâ* conveniens, acumine in hac paulo longiore, serraturis non raro falcato-incurvis cum mucronulo. A superiorum utrâque manifesto insignis stylis ultra medium usque in stylum subuliformem connatis. Foliola calycis exteriora duo paulo modo minora, ovali-rotundata, interiora suborbicularia, interdum obsolete retusa. — In Pulu-Pinang.

287. Eurya lucida Wall.: ramulis ultimis teretibus villosulis; foliis e basi acutâ lanceolatis (2—$3\frac{1}{2}$ poll., 6—10 lin. lat., pet. vix $\frac{1}{2}$—1 lin.) longe acuminatis serrulatis subtus obsolete reticulato-venulosis et ad nervum medium pubescentibus; floribus solitariis confertisve brevissime pedunculatis; calycis foliolis subaequilongis, 2 exterioribus ovatis obtusis, interioribus ovali-subrotundis obtusis v. retusis; stylis 3 ad medium in stylum subuliformem connatis; baccis subglobosis glabris. Herb. Wall. 1462. — Foliaturâ antecedentibus satis consimilis, a quibus tamen differt venis minus patentibus s. diffusis. Calycis foliola florum femineorum mucrone perrigido glanduloso apicem versus instructa. Petala calyce circiter dimidio longiora, oblonga, obtusa, inaequilata, erecto-patentia, imâ brevissime cohaerentia, sub apice extus cum mucronulo. Staminodia nulla. Ovarium ovoideo-globosum, glabrum. Stigmata 3, filiformia, intus sulco impressa et papilligera, inferne ad medium usque v. altius in stylum erectum subuliformem connata. — In Martabaniâ.

288. Eurya salicifolia Bl.: ramulis ultimis teretibus tomentosis; foliis e basi acutâ anguste lanceolatis (2—3 poll., $\frac{1}{3}$—$\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 lin.) acuminatissimis serrulatis supra glabris subtus reticulato-venulosis et ad nervum medium subpubescentibus; floribus 1—3 breviter pedunculatis; calycis foliolis subaequilongis, 2 exterioribus ovatis acutis, interioribus subrotundis apice induplicatis. — *E. Roxburghii* Herb. Wall. 1463 (ex parte). — Folia angustiora quam *E. eupristae* Korths. et *E. acuminatae* De Cand., quibus tamen reticulatione satis accedit. Pedunculi $1\frac{1}{2}$—2 lin., subclavati, cernui, glabri, apice bracteis duabus oppositis lato-ovatis mucronatis imâ paululum decurrentibus calyce parte tertiâ v. quartâ brevioribus muniti. Alabastra florum masculorum ovoidea, foliolis calycinis mucrone sat rigido instructis, externis firmioribus, internis margine magis membranosis, superne rotundatis v subretusis, sed ob margines involutas tanquam acutis. Stamina circiter 18; antherae filamento longiores, lineares s. lanceolato-lineares, mucronatae, basi emarginatae, loculis haud torulosis. — Verosimiliter in montosis Sillet.

289. Eurya angustifolia Bl.: ramulis ultimis teretibus apice sericeo-subvelutinis; foliis e basi angustatâ lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll., 4—10 lin. lat., pet. 1—2 lin.) longe obtuse acuminatis serrulatis supra glabris subtus obsolete reticulato-venulosis et imprimis ad nervum medium sericeo-puberulis; floribus solitariis geminis confertisve breviter pedunculatis; calycis foliolis subrotundis, exterioribus minoribus; stylis 3 s. 4 raro 5 medio usque in stylum crassum cylindricum connatis; baccis ovoideo-globosis glabris. Bl. *Flor. Jav. Praef.* VII. Walp. *Rep. bot.* I. 369. 9. — *Geeria angustifolia* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 125. — Folia longius petiolata et ad basin magis angustata quam in *E. Wallichianâ*, serraturis parvis magis appressis, acutis v. obtusiusculis cum mucronulo. Pubescentiâ sericeo-velutinâ juniorum ramulorum fere apices tantum gaudent. Bracteolae calycinae duae, parvulae, ovatae, acutae v. obtusae, glanduloso-mucronatae, interdum a calyce nonnihil distantes. Foliola calycis exteriora duo fere quadrante minora quam tria interiora. Styli ad basin in stylum breviorem crassiorem cylindraceum connati, ut in *E. Wallichianâ*. — In Javâ orientali.

290. Eurya confinis Bl.: ramulis ultimis teretibus sericeo-velutinis; foliis e basi acutâ lanceolatis ($1\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ poll., 6—9 lin. lat., pet. 1—2 lin.) obtuse acuminatis serrulatis supra glabris subtus obsolete reticulato-venulosis et imprimis ad nervum medium subpubescentibus; floribus solitariis geminisve breviter pedunculatis; calycis foliolis subrotundis, 2 exterioribus minoribus; stylis 2—3 fere ad basin usque distinctis; baccis depresso-subglobosis glabris. — *E. angustifoliae* simillima, a quâ maxime stylis fere ad basin usque distinctis recedit. Hic quoque bracteolae duae minutae lato-ovatae obtusae mucronatae appressae sub flore oblique oppositae neque raro paululum a calyce disjunctae. Calycis foliola rotundata v. obsolete retusa; exteriora duo vix quadrante minora, alterum plerumque rotundato-ovatum. Bacca subglobosa, nonnihil depressa, obsolete 2—3-sulcata. Foliorum venae laxe reticulatae subtus tantum vix conspicuae, magis obsolete quam in *E. angustifoliâ*. — In Javâ orientali.

β *Var. fusca*: foliis nonnihil minoribus ($1\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{4}$ poll., 5—8 lin. lat.) crebre serrulatis. — Folia creberrime serrulata, siccando in colorem magis fuscum, qui in α pallide flavo-virens, abeuntia. Floribus masculis 17 ferme continentur stamina; antheris lineari-lanceolatis, mucronatis, basi emarginatis, non torulosis. Pistilli rudimentum conicum, attenuatum, sulcatum. — In montibus Patuha, Talagabodas, cet. Javae insulae.

291. Eurya rostrata Bl.: ramulis ultimis teretiusculis ad apices sericeo-puberulis; foliis e basi acutâ lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—3 poll., 5—10 lin. lat., pet. 1—2 lin.) acuminatissimis supra glabris subtus obsolete reticulato-venulosis et imprimis ad nervum medium sericeis puberulis; floribus solitariis confertisve brevissime pedunculatis; calycis foliolis subrotundis, 2 exterioribus paulo minoribus; stylis 2—4 rarissime 5 distinctis v. ad basin brevissime connatis; baccis ovoideo-globosis glabris. — Hinc ad *E. serratam*, illinc maxime ad *E. confinem* accedens, a quibus fructibus magis ovoideo-globosis non depressis differt. Serraturae parvae foliorum obtusiusculae cum mucronulo glanduloso appresso. Venae laterales foliorum tenerrimae, patentissimae, subtus modo conspicuae, quâ reticulum tenerrimum constituunt. Pedunculi sub bracteolis calycinis duabus oppositis subrotundo-ovatis appressis nudi, rarius supra medium bracteolâ minutâ obtusâ obsessi. Foliola calycis rotundata v. obsolete retusa, maxime exteriora duo paulo crassiora triente vel quadrante minora extus pube tenerâ appressâ praedita, intus subsericea. Baccae laeves, stylis subulatis distinctis v. brevissime connatis obsessae. — In Sumatrâ.

292. Eurya Blumeana Korths.: ramulis ultimis teretiusculis sericeo-velutinis; foliis e basi acutâ lanceolatis v. elliptico-lanceolatis (1¾—3 poll., 7—12 lin. lat., pet. 1—2 lin.) obtuse acuminatis serrulatis supra glabris subtus reticulato-venulosis et imprimis ad nervum medium pube appressâ tandem fere evanescente obsitis; floribus solitariis geminis ternisve breviter pedunculatis; calycis foliolis inaequalibus, 2 exterioribus ovatis obtusis, interioribus duplo majoribus subrotundis; stylis 3—4 infra medium in stylum crassum angulatum connatis; baccis globosis glabris. Korths. in *Verh. Nat. Gesch. Bot.* 119. 7. Walp. *Rep. bot.* I. 369. 6. — *Geeria serrata* Var. *sericea* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 124. — Reticulatione in paginâ dorsali foliorum multo distinctiore quam in *E. confini*, stylis quoque non tam profunde partitis et in stylum crassiorem connatis. Bracteolae calycinae minutae, ovatae, lato-s. semiorbiculares, modo basi calycis appressae, modo nonnihil ab illâ remotae et oblique oppositae. Foliolis calycinis magis inaequalibus et stylis inferne connatis ab *E. serratâ* aliisque Speciebus consimilibus, foliaturâ quamvis simillima, facile distinguitur. Calyx profunde quinquepartitus, imâ carnosulus, extus glabriusculus, intus parce sericeus; foliolis exterioribus duobus rotundato-ovatis v. semiorbicularibus crassioribus; interioribus tribus duplo majoribus, subrotundis, margine magis membranaceis; apice saepe retusis cum mucrone glanduloso minus distincto. Petala 5, ad basin usque distincta, sed inferne ad margines imbricatos nonnihil cohaerentia, calyce fere duplo longiora, ovalia, subaequalia, obtusissima v. retusa, crassiuscula, glabra. Masc. Stamina 17—19, hypogyna, partim basi corollae accreta, eâque triente breviora, uniserialia, erecta, glabra; filamenta nonnihil inaequilonga, filiformia, in basi complanatâ brevissime concreta; antherae filamenta longitudine subadaequantes, ovato-lanceolatae, mucronatae, basi subcordatae affixae, biloculares, torulosae, secundum longitudinem lateraliter dehiscentes, quo facto valvae loculorum inaequaliter lobulatae. Pistilli rudimentum centrale, parvum, e basi dilatatâ margine crenulatâ conicum, in apiculum acutum desinens. Fem. Stamina abortiva nulla. Ovarium sessile, ovoideo-globosum, glabrum, incomplete 3—4 loculare; ovulis in marginibus dissepimentorum utrinque intra loculos involutis suspensis. Styli 3—4, subulati, inferne in stylum crassum tri-v. tetragonum connati. Bacca magnitudine pisi minoris, globosa, stylo apiculata, 3—4-locularis, laminis in singulis loculis duabus ex angulo centrali productis, in quarum marginibus ab axe remotis semina superposita appensa. — In sylvis intactis altioribus Javae occidentalis et Sumatrae.

β *Var. virgata:* foliis membranaceis saepe longe obtuse acuminatis, serraturis passim distinctioribus falcato-obtusis magisque inaequalibus. — *Kihurang* Sund. — In sylvis altioribus Javae occidentalis.

293. Eurya clandestina Bl.: ramulis ultimis teretiusculis sericeis v. subvelutinis; foliis e basi acutâ v. angustatâ lanceolatis ($2\frac{1}{4}$—4 poll., 5—12 lin. lat., pet. 1—2 lin.) longe obtuse acuminatis serrulatis supra glabris subtus reticulato-venulosis et imprimis ad nervum medium sericeo-puberulis; floribus solitariis geminis ternisve breviter pedunculatis; calycis foliolis inaequalibus, 2 exterioribus minoribus rotundato-ovatis, interioribus subrotundis; stylis 3—4 ultra medium in stylum filiformem elongatum connatis; fructibus glabris. — *Kikadal* Sund. — Foliis praesertim reticulatione *E. Blumeanae* simillima, sed angustioribus, tum stylis altius junctis ab illâ et ab *E. angustifoliâ* insignis, a quâ foliorum formâ vix distinguitur, nisi quod venulae in illâ subtus reticulatione non tam distinctâ minusque densâ gaudent. Calyx extus glabriusculus, intus sericeus; foliolis exterioribus fere triente minoribus, lato-ovatis, crassioribus, interioribus tribus subrotundis, integerrimis v. leviter retusis, cunctis in apice mucronulo punctiformi instructis. Petala 5, distincta, sed imâ nonnihil cohaerentia, subaequalia, e basi truncatâ ovalia, apice rotundata v. obsolete retusa, glabra. Masc. Stamina circiter 17, hypogyna, uniseriata, erecta, corollâ breviora, inaequilonga; filamenta filiformia, brevia: antherae erectae, lineares v. lineari-lanceolatae, obsolete mucronulatae, basi emarginatae, torulosae. Fem. Staminum rudimenta nulla. Ovarium sessile, ovoideo-globosum, glabrum, 3—4 loculare. Ovula in quovis loculo plura, biseriata, utrinque ad margines dissepimentorum intra loculos ritu lamellarum duarum appositarum productorum suspensa, anatropa. Styli 3—4, subulati, intus sulco exarati et papillati, sub anthesin divergentes, ultra medium in stylum elongatum filiformem uniti. — In Javâ occidentali, in declivibus altioribus montium ignivomorum, unde et sequens Varietas.

β *Var. minor:* foliis minoribus ($1\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ poll. 5—7 lin. lat.) submembranaceis. — In floribus masculis hujus Varietatis stamina uniseriata 15 vel 17, rarissime 10 tantum reperi. Pistilli rudimentum e basi depressâ in ambitu pressione staminum crenulatâ conicum, in vertice cum stigmate sessili emarginato, sed vulgo in stylum subulatum apice interdum bifidum attenuatum, glabrum.

Ord. **Combretaceae.**

EMBRYOGONIA Bl. Calyx tubo tetra- v. pentagono, cum ovario connato, supra ovarium constricto; limbo campanulato, quadri-v. quinquedentato, deciduo. Corollae petala 4 v. 5, summo calycis limbo inter ejusdem lacinias inserta, caduca. Stamina 8 v. 10, annulo epigyno in fundo calycis limbi inserta, longe exserta, alterna breviora; filamenta subulato-filiformia; antherae biloculares, incumbentes, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium inferum, uniloculare; ovulis 2—3, ex apice loculi pendulis, anatropis. Stylus subulatus; stigma acutum. Fructus coriaceus, 4—5-rarius 6-alatus, alis coriaceis aequalibus, indehiscens, monospermus. Semen inversum, 4—5-rarius 6-alatum. Embryon semini conforme, exalbuminosum, orthotropum. Cotyledones maximae, foliaceae, longitudinaliter plicato-conferruminatae, corrugatae; radicula brevis, angulata, supera. — Frutices Archipelagi indici, scandentes, inermes; foliis oppositis, rarius alternis v. ternis quaternisve, brevissime petiolatis, penninerviis, integerrimis, coriaceis, exstipulatis; spicis axillaribus et terminalibus, interdum paniculatis.

Obs. Genus inter *Cambretum* Löffl. et *Cacouciam* Aubl. intermedium, ab utroque fabricâ seminis satis diversa. *Cacouciae* fructus est baccatus, et cotyledones crassae carnosae. In *Combreto* alae fructus sunt membranaceae et embryi cotyledones crassiusculae, plicâ mediâ reflexae, cruciato-divaricatae; in *Embryogoniâ* vero fructus siccus, coriaceus, alae quoque coriaceae, cotyledonibus verticaliter conduplicatis tenuissime membranaceis, ut, si simul convolutae essent, Genus nostrum *Terminaliaeis* annumerandum foret. Nomen ex *ἔμβϱυον* et *γωνία* compositum.

294. Embryogonia lucida Bl.: foliis oppositis ternis quaternisve ovali-oblongis v. oblongo-lanceolatis (3—$7\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{3}$—3 poll. lat., pet. 2 lin.) acuminatis v. acutis obtusisve glabris in axillis venarum subtus tomentosis aut depresso-glandulosis; spicis paniculatis terminalibus; floribus 10-andris; fructibus 5-rarius 4—6-angulatis. — *Cacoucia lucida* Hasskl. *Cat. Hort. Bog.* 254. 1. et in *Regensb. bot. Zeit.* XXVII. 2. 607. Walp. *Rep. bot.* V. 662. 1. — *Cacoucia? trifoliata* De Cand. *Prodr.* III. 22. 3. — *Combretum lucidum* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 641. — *Combretum trifoliatum* Vent. *Choix* tab. 58. — *Palawan* Mal.; *Gangang* s. *Tjekloh* Jav.; *Kitjalung aroy* Sund. — In litoreis Javae, Borneo cet.

295. Embryogonia latifolia Bl.: foliis oppositis ellipticis v. oblongo-ellipticis ($4\frac{1}{2}$—$7\frac{1}{2}$ poll., 2—4 poll. lat., pet. 2—3 lin.) acutis v. obtusis v. cum acumine obtuso supra glabris subtus obsolete lepidoto-punctatis; spicis axillaribus simplicibus; fructibus 4-angulatis. — *Combretum latifolium* (haud Bl.) Herb. Korths. — In Borneo circa Banjermassing a V. Cl. Korthals detecta.

296. Embryogonia acuminata Bl.: foliis oppositis et alternis subsessilibus e basi cordatâ ovato-lanceolatis (4—6 poll., 1—3 poll. lat.) acuminatis supra glabris subtus villosis; spicis axillaribus et terminalibus; floribus 8-andris; fructibus 4-angulatis. — *Combretum acuminatum* Roxb. *Flor. Ind.* II. 228. 4. — *Patjooni* indig. — In sylvis Sillet Indiae orientalis.

Ord. **Lythrariaceae.**

CRYPTERONIA Bl. Calyx ebracteolatus, persistens, cupularis, quinque-rarius quadrifidus; laciniis praefloratione valvatis, minoribus interjectis nullis. Petala nulla. Stamina 5 v. 4, summo calycis tubo inserta, ejusdem laciniis alterna; filamenta filiformia, praefloratione inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso supra basin affixae, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum, sessile, biloculare. Ovula plurima, oophoro prominulo dissepimento infra medium adnato inserta, ascendentia, anatropa. Stylus filiformis; stigma obtusum. Capsula basi calyce cincta, ovoideo-globosa, loculicide bivalvis, valvis chartaceis, medio septiferis imâ basi et summo apice stylo persistente connexis, latere utroque hiantibus. Semina plurima, brevissime funiculata, ascendentia, testâ superne in alam angustam productâ. Embryi exalbuminosi recti cylindracei cotyledones crassiusculae, planoconvexae, obtusae; radicula obtusa, umbilicum basilarem attingens. — Arbores Asiae tropicae praesertim insularis; ramulis novellis subtetragonis; foliis oppositis, exstipulatis, brevissime petiolatis, integerrimis, penninerviis; racemis spicaeformibus, compositis s. paniculatis; floribus minutis, virescentibus, abortu polygamis v. dioicis.

Obs. Quum anno 1826 in *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 1151 Genus hoc constituerem, jam intimam ejus cum *Alzateis* Ruiz. et Pav. indicavi affinitatem, quae, ut Planchon V. Cl. in *London Journ. of Botany* IV. 476 animadvertit, similiter ad *Lythrariacearum* Ordinem videntur referendae. Jam suspicatus erat sagacissimus ille botanicus Genus *Henslowiam* postea a V. Cl. Wallich descriptum idem esse ac *Crypteroniam*, id quod dubitari nequit, quemadmodum in hoc *Museo Bot.* I. 243 in *Obs.* docui. Praeter Speciem hic descriptam sequentes etiam Species huic Generi sunt annumerandae, nempe: 1. *Cr. pubescens* (Henslowia pubescens Wall.) — 2. *Cr. affinis* (Henslowia affinis Planch.) — 3. *Cr. glabra* (Henslowia glabra Wall.) — 4. *Cr. leptostachys* (Henslowia leptostachys Planch.) — 5. *Cr. Cumingii* (Henslowia Cumingii Planch.) — denique 6. *Cr. lutea* (Quilamum luteum Blanco) si a *Cr. leptostachy*, cui et sequens valde affinis est, satis differat.

297. Crypteronia paniculata Bl.: ramulis ultimis tereticompressis glabris; foliis e basi acutâ v. obtusiusculâ ellipticis

v. oblongo-lanceolatis (3½—6 poll., 1½—3 poll. lat., pet. 2—3 lin.) obtuse acuminatis subcoriaceis glabris; paniculae brachiatae ramis elongatis glabriusculis. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 1151. — *Kibanen* s. *Kigandik* Sund.; *Kaju babi* Mal. — In sylvis montanis Javae occidentalis.

LAGERSTRÖMIA Linn. Calyx persistens, tubo turbinato-campanulato, laevi v. costato-sulcato aut angulato; limbi 4—9-fidi laciniis aequalibus, praefloratione valvatis, denticulis interjectis parvis, aut nullis. Petala 4—9, summo calycis tubo inserta, ejusdem laciniis alterna, unguiculata. Stamina 18 v. plurima, calycis tubo basin versus inserta, exserta, subaequalia v. 6—9 exteriora longiora; filamenta subulato-filiformia, praefloratione incurvae; antherae introrsae, biloculares, dorso insertae, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum, sessile, 3—6-loculare. Ovula in oophoris loculorum angulo centrali adnatis plurima, anatropa. Stylus filiformis, staminibus longior; stigma subcapitatum. Capsula calyce cincta, 3—6-locularis, loculicide 3—6-valvis, valvis medio dissepimenta a spermophoris coadunatis soluta gerentibus. Semina plurima, compressa, subhorizontalia, testâ crassâ suberosâ margine superiore in alam membranaceam producta. Embryi exalbuminosi conduplicati cotyledones foliaceae, volutae; radicula hilum basilarem spectans. — Arbores v. frutices Asiae tropicae et subtropicae; foliis suboppositis, brevissime petiolatis, integerrimis, penninerviis; pedunculis axillaribus aut per paniculas v. corymbos terminales dispositis; pedicellis nudis v. infra apicem plerumque bibracteolatis; bracteolis deciduis v. fugacissimis; floribus purpureis v. albis, saepe speciosis.

Obs. Genus hoc, prout a De Candolle V. Ill. constitutum est, equidem servandum esse censeo, licet calycis conformatione Subgenera duo exhibeat, alterum calycis tubo magis campanulato, extus laevi s. laeviusculo, quod genuinas *Lagerströmias* complectitur, alterum calycis tubo magis turbinato extus costato-sulcato aut angulato, quod, si peculiare Genus esse putes, nomine *Adambea* insigniendum foret. Horum autem Subgenerum, prout stamina aequilonga sunt, vel nonnulla exteriorum reliqua longitudine ac crassitie superant, in binas utrumque Sectiones potest dividi. Ad genuinas *Lagerströmias* etiam *Fatioa* De Cand. referenda est, quae, secundum characteres memoratos, nonnisi pedicellis ebracteatis insigniatur. Ut in omnibus verisimiliter *Lythrarieis*, ita in *Lagerströmiis* quoque a me exploratis tubus calycis intus strato tenui discoideo obvestitur, in quovis sinu divisionum limbi in gibberem s. plicam minutam protuberante, cui extus petala inserta. Peculiaris admodum in hoc Genere et ab omnibus, quas equidem viderim, *Lythrarieis* diversa est seminum structura. Testa enim tam crassa est et texturâ spongiosâ ita densâ, ut facile albumen esse credas. Embryon pro seminis magnitudine exiguum non rectum est, sed perinde atque in *Boerhaviâ* conduplicatum, cotyledonibus foliaceis, circum radiculam fistuloso-volutis. Sed haec quidem ad analysin nostram illustrandam.

1. *Sibia.* Calycis tubus laevis. Stamina 18—30, 6 exteriora multo longiora et crassiora.

298. Lagerströmia indica LINN.: ramulis junioribus tetraëdris marginatis; foliis subsessilibus ovalibus v. oblongis v. subrotundis v. subrotundo-ovatis (1—2½ poll., ¾—1⅓ poll. lat.) acutis v. obtusis v. rotundatis penninerviis glabris (s. utrinque in nervo medio venisque subtus puberulo-scabridis); paniculâ terminali multiflorâ; calycibus 6-rarissime 4—5-fidis glabris; petalis orbicularibus crispis longissime unguiculatis. LINN. *Spec. Pl.* 734. N. L. BURM. *Flor. Ind.* 122. HOUTT. *Nat. hist.* II. 5. 245. THUNB. *Flor. Jap.* 224. RETZ. *Obs. bot.* V. 25. 64. et I. 30. 51. LOUR. *Flor. Cochin.* I. 415. CURT. *bot. Magaz.* 405. WILLD. *Spec. Pl.* II. 2. 1178. 1. PERS. *Syn. Pl.* II. 71. 1. SPR. *Syst. Veg.* II. 603. 1. DE CAND. *Prodr.* III. 93. 1. ROXB. *Flor. Ind.* II. 505. 4. WIGHT. et ARN. *Prodr. Flor. Penins. Ind. or.* I. 308. 1. BLANCO *Flor. Filip.* 454. WIGHT *Illustr.* I. tab. 86. — *Lagerstromia chinensis* LAM. *Enc. bot.* III. 375. 1. EJUSD. *Illustr.* III. 26. N°. 1047. 1. tab. 473. fig. 1. — *Velaga globosa.* GARTN. *Carpol.* II. 246. tab. 133 (fructus). — *Tsjinkin* RUMPH. *Herb. Amb.* VII. 61. tab. 28. — *Sibi* KAEMPF. *Amoen. exot.* 855. — *Alcea indica arborescens, laurifolio, prima, s. Alcea indica arborescens, foliis laurinis subasperis, polyanthos minor, flore purpureo hexapetalo, petalis rotundioribus et latioribus, fructu minore caudato.* BREYN. *Prodr.* II. 11. — *Sarou souberi* Japonice; *P'á yâng choŭ* s. *Pĕ jĕ hoûng* Sinice. — In Sinâ, Cochinchinâ, Japoniâ et in Indiae hortis culta.

299. Lagerströmia Fatioa BL.: ramulis junioribus tetragonis; foliis subsessilibus ovalibus ovatisve (1—1⅓ poll., ½—⅔ poll. lat.) acutiusculis v. obtusis penninerviis supra glabris subtus pube velutinâ brevissimâ candicantibus; pedunculis axillaribus gracilibus racemoso-paucifloris; calycibus 6-fidis glabris; petalis ovalibus crispis breviter unguiculatis. — *Fatioa Napaulensis.* DE CAND. *Prodr.* III. 89. 1. et in *Denkschr. der allgem. Schweiz. Gesellsch. f. nat. Wiss.* I. 98. tab. 3. — In Nepaul.

2. *Münchhausia.* Calycis tubus laevis. Stamina indefinita, subaequalia.

300. Lagerströmia grandiflora ROXB.: ramulis junioribus obsolete tetragonis; foliis cordato-ovatis (4—7 poll., 3—4 poll. lat., pet. 2 lin.) acutis v. obtusis v. in acumen breve abrupte contractis penninerviis glabris; paniculâ terminali subcorymbosâ; calycibus 5—6-fidis glabris; petalis ovalibus undulatis breviter unguiculatis. ROXB. *Cat. Calc.* 38. DE CAND. in *Mém. soc. phys. Genev.* III. 2. 84. et *Prodr.* III. 93. 4. ROXB. *Flor. Ind.* II. 503. 1. — In Indiâ orientali ad Chittagong.

3. Subgen. *Adambea.* Calycis tubus costato-sulcatus, costis inaequalibus, alternis latioribus et ad sinum laciniarum in dentem porrectis. Stamina indefinita, subaequalia.

301. Lagerströmia Reginae Roxb.: ramulis junioribus teretiusculis; foliis oblongis v. ellipticis lanceolatisve (4—11 poll., 1⅔—4½ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acutis v. acuminatis v. interdum in acumen breve abrupte contractis penninerviis glabris; paniculâ terminali elongatâ subramosâ; calycibus 6-fidis ochraceo-tomentosis ante anthesin supra convexis cum apiculo; petalis orbiculatis undulatis breviter unguiculatis. Roxb. *Pl. Corom.* I. 46. tab. 65. Willd. *Spec. Pl.* II. 2. 1178. 2. Pers. *Syn. Pl.* II. 71. 2. Spr. *Syst. Veg.* II. 603. 2. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 1127. De Cand. *Prodr.* III. 93. 5. Roxb. *Flor. Ind.* II. 505. 2. Wight et Arn. *Podr. Flor. Penins. Ind. or.* I. 308. 3. — *Adambea glabra* Lam. *Enc. bot.* I. 39. 1. Hassk. *Cat. Bogor.* 256. 1. — *Arjuna* Jones in *Asiat. Res.* IV. 301. — *Lagerstromia munchausia* Lam. *Enc. bot.* III. 375. 2 (ex parte!). — *Lagerströmia Flos-Reginae* Retz. *Obs. bot.* V. 25. 63. — *Ketmia Indica, foliis Laurinis, flore violaceo, spicato* J. Burm. *Thes. Zeyl.* 137 (excl. Syn. nonnull.). — *Althaea arborea, Indica, flore violaceo, purpureo, spicato* Herm. *Parad. Bat. Prodr.* 307. — *Murtughas* Herm. *Mus. Zeyl.* 61. Linn. *Flor. Zeyl.* 221. 533 (excl. Syn. Breyn. *Prodr.*) — *Alcea indica arborea, pericarpio carnoso in plura loculamenta partito* Raj. *Hist. Pl.* II. 1902. — *Adamboe v. Althaea arborescens, Indica, flore purpureo, spicato* Amm. *Hort. Bos.* 1 et *Char. Pl.* 247. — *Adamboe* Rheed. *Hort. Mal.* IV. 45. tab. 20 et 21. — *Bongor.* s. *Bungur* Sund.; *Jarul* Bengal.; *Murtughas* Cingal. — In montosis Indiae orientalis, Zeylaniae, Sumatrae, Javae, cet.

β *Var. costata:* foliis ellipticis (3½—4½ poll., 1½—2½ poll. lat.) costatis. — In Javâ.

302. Lagerströmia punctata Bl.: ramulis junioribus teretibus; foliis ellipticis oblongisve (4½—9 poll., 1½—4 poll. lat., pet. 3—5 lin.) acutis glanduloso-punctatis penninerviis glabris; paniculâ terminali elongatâ ramosâ; calycibus 6-fidis ochraceo-tomentosis ante anthesin supra depressis cum apiculo. — A priori foliis glanduloso-punctatis, calycibus in alabastro supra depressis ac floribus minoribus distincta. — In Archipelago indico.

4. Subgen. *Rytidotrochis.* Calycis tubus angularis, angulis saepe plicatis, ad sinum laciniarum in denticulum excurrentibus aut evanescentibus. Stamina indefinita, 6—9 exteriora multo longiora et crassiora.

303. Lagerströmia floribunda Jack.: ramulis junioribus obsolete tetragonis; foliis ovato-oblongis (4½—8 poll., 2⅓—3½ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acutis reticulato-venosis glabriusculis (junioribus subtus stellato-tomentosis); paniculâ terminali elongatâ ramosâ; calycibus 6-rarissime 7-fidis ferrugineo-tomentosis ante anthesin supra depressis cum apiculo; petalis subrotundo-ovatis planiusculis unguiculatis. JACK in *Malayan Misc.* I. N°. 2. 38. DE CAND. *Prodr.* III. 93. 7. — In montosis Pulu-Pinang, Timor cet.

304. Lagerströmia celebica BL.: ramulis junioribus subtetragonis; foliis ovatis ellipticisve ($2\frac{3}{4}$—4 poll., $1\frac{1}{2}$—2 poll. lat., pet. 1 lin.) acuminatis subreticulato-venosis ad nervum medium subtus sericeo-puberulis; paniculâ terminali subcorymbosâ; calycibus 6-fidis canescenti-tomentosulis ante anthesin supra convexis et brevissime apiculatis; petalis subrotundis undulatis longiuscule unguiculatis. — In Celebes a divo FORSTEN detecta.

305. Lagerströmia ovalifolia TEYSM. et BINNEND.: ramulis junioribus subtetragonis; foliis ellipticis ($2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{2}$—2 poll. lat., pet 1 lin.) utrinque acutis penninerviis glabris; paniculâ terminali elongatâ subramosâ; calycibus 6—9-fidis canescenti-tomentosulis ante anthesin supra convexis et brevissime apiculatis; petalis ovalibus obovatisve undulatis longiuscule unguiculatis. TEYSM. et BINNEND. *Pl. nov. Hort. Bogor.* (ed. DE VRIESE) 20. — *Bungun bener.* Sund. — In Javâ occidentali.

GRISLEA LÖFFL. Calyx coloratus, persistens, tubulosus, obsolete striatus; limbi quadri-v. sexfidi laciniis erectis, extus cum totidem dentibus alternantibus. Corollae petala 4—6, summo calycis tubo inserta, ejusdem dentibus opposita. Stamina 8—12, imo calycis tubo inserta, uniseriata, longe exserta; filamenta filiformia; antherae introrsae, biloculares, incumbentes, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum, sessile, biloculare. Ovula in oophoris crassis dissepimento utrinque adnatis plurima, anatropa. Stylus filiformis, exsertus; stigma truncato-simplex. Capsula calyce inclusa, membranacea, bilocularis v. dissepimento obliterato unilocularis, irregulariter fissuralis. — Semina in spermophoro crasso plurima, cuneata, testâ coriaceâ (in *Gr. tomentosâ* ROXB. dense papillosâ). Embryi exalbuminosi recti cotyledones subfoliaceae; radicula conoidea, umbilicum basilarem attingens. — Frutices v. arbores in Asiâ, Africâ et Americâ tropicâ crescentes; foliis oppositis, integerrimis, penninerviis, subtus plerumque incano-tomentosis et glandulis nigris punctatis; pedunculis axillaribus pauci- v. multifloris; floribus coccineis.

306. Grislea tomentosa ROXB.: ramulis pubescentibus; foliis subsessilibus lanceolatis (1—$4\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{4}$—1 poll. lat.) acuminatis basi acutis v. subcordatis supra scabriusculis subtus incano-tomentosis; floribus saepius 12-andris. ROXB. *Corom.* I. 29. tab. 31. WILLD. *Spec. Pl.* II. 1. 321. DE CAND. *Prodr.* III. 92. 2. SPR.

Syst. Veg. II. 216. 2. DECAISNE in *Nouv. Ann. Mus. d'hist. nat.* III. 453. WIGHT et ARN. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 308. 1. — *Lythrum punctatum* Herb. SPANOGHE. — *Acistoma coccineum* Herb. ZIPP. — *Woodfordia floribunda* SALISB. *Parad. Lond.* tab. 42. — *Dhawry Asiat. Res.* IV. 42. — *Lythrum fruticosum* LINN. *Spec. Pl.* 641. 2. — *Seringir* Teling; *Dhau-pool* Beng.; *Agnywala* et *Dhatree* Sanscr. — Cum Varietate in collibus Indiae orientalis, Sinae, Timor, cet.

β *Var. punctata:* foliis breviter petiolatis glabriusculis. — *Grislea punctata* HAM. in REES *Cycl.* V. 17. N°. 2. DE CAND. *Prodr.* III. 92. 3. WIGHT et ARN. l. c. 2.

PEMPHIS FORST. Calyx persistens, turbinato-campanulatus, sulcatus; limbi sexfidi laciniis patentibus, extus cum totidem dentibus alternantibus. Corollae petala 6, summo calycis tubo inserta, ejusdem dentibus opposita. Stamina 12, calyci supra basin inserta, uniseriata, alterna petalis opposita breviora; filamenta filiformia; antherae introrsae, biloculares, incumbentes, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum, sessile, 3-loculare. Ovula in oophoris loculorum angulo centrali adnatis plurima, anatropa. Stylus filiformis, persistens. Stigma capitato-trigonum. Capsula calyce cincta, membranacea, dissepimentis demum obliteratis unilocularis, superne irregulariter circumscissa. Semina in spermophoro basilari libero plurima, cuneata v. subrhomboidea, varie angulata, testâ suberosâ. Embryi exalbuminosi recti cotyledones crassiusculae, plano-convexae; radicula conoidea, umbilicum basilarem attingens. — Frutex in Asiâ tropicâ litoralis, pube brevissimâ appressâ canus; foliis cppositis, lanceolatis, integerrimis, uninerviis; pedunculis axillaribus, solitariis, unifloris, basi bibracteolatis; floribus albis.

307. Pemphis acidula FORST. *Gen.* 67. tab. 34. PERS. *Syn.* II. 7. 1. DE CAND. *Prodr.* III. 89. 1. DECAISNE in *Nouv. Ann. Mus. d'hist. nat.* III. 453. WIGHT et ARN. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 307. 1. — *Lythrum Pemphis* LINN. FIL. *Suppl.* 249. FORST. *Prodr.* N°. 205. WILLD. *Spec. Pl.* II. 2. 867. 9. LAM. *Enc. bot.* VI. 457. 14. EJUSD. *Ill.* tab. 408. 2. — *Pemphis angustifolia* ROXB. *Flor. Ind.* II. 465. — *Pemphis setosa* BLANCO *Flor. Filipp.* 410. — *Melanium fruticosum* SPR. *Syst. Veg.* II. 455. 4. — *Millania rupestre* Herb. ZIPP. — *Mangium porcellanicum Rumph. Herb. Amb.* III. 126. tab. 84. — *Duduk* Jav.; *Brappat gelang* Mal. — In litore insularum Mauritius, Madagascar, Ceylaniae, Javae, Moluccarum, Novae Guineae, cet.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Lythrariaceae.**

CRYPTOTHECA Bl. Calyx persistens, tubuloso-campanulatus, plicato-angulatus; limbi quadrifidi laciniis conniventibus. Corollae petala 4, summo calycis tubo inserta, ejusdem laciniis alterna, minima, fugacissima. Stamina 2, calycis tubo inserta, opposita, petalis alterna, exserta; filamenta filiformia; antherae introrsae, biloculares, incumbentes, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum, sessile, uniloculare. Ovula in oophoro parietali costaeformi plurima, anatropa. Stylus filiformis, subterminalis, persistens. Stigma capitatum. Capsula calyce cincta, membranacea, unilocularis, superne irregulariter circumscissa. Semina in spermophoro parietali plurima, cuneata, angulato-compressa, testâ coriaceâ. Embryi exalbuminosi recti cotyledones orbiculatae, plano-convexae; radicula subglobosa, umbilicum basilarem attingens. — Herba fruticulosa, erecta, latissime per Asiam tropicam imprimis insularem dispersa; ramis oppositis, tetragonis; foliis oppositis, sessilibus, lanceolato-linearibus, basi cordatâ semiamplexicaulibus; cymis axillaribus, pauci- v. multifloris; floribus parvulis; petalis puniceis.

Obs. Genus nostrum ut facie cum *Ammanniâ* congruit, ita tum ab hac, tum a *Suffreniâ* et *Rotalâ* peculiari ovarii fabricâ differt, quod *Lythrariearum* et *Rosacearum* affinitatem quam luculentissime probat. Ovarium inaequilaterum, nempe altero latere paulo convexius; rectiore autem stylo nonnihil laterali terminatum, qui hoc latere spermophoro parietali costaeformi omnino continuus est, unde pistillo *Leguminosearum* haud absimile. In *Ammanniâ* Houst. vero ovarium 2-v. 4-rarissime 3-loculare; in *Rotalâ* Linn. 3-loculare; in *Suffreniâ* Bellard. 2-loculare et oophora crassa tum loculorum angulo centrali tum dissepimento utrinque adnata. Tam subtilissime vero membranacea sunt ista dissepimenta (quorum in *Cryptothecâ* ne vestigium quidem), ut sub maturitatem fructus haud raro vel plane vel partim obliterentur sejunganturve, quo fit ut spermophorum in axe liberum appareat. — *Cryptotheca apetala* mihi ab hoc Genere separanda, sed *Ammanniam multifloram* Roxb. (a quâ *A. parviflora* De Cand. non diversa videtur) Speciem esse suspicor *Cryptothecae dichotomae* quam intime affinem.

308. Cryptotheca dichotoma Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 1129. De Cand. *Prodr.* III. 76. 2. — *Ammannia microcarpa* De Cand. *Mém. Soc. Gen.* III. 93 et *Prodr.* III. 78. 5. Decaisne in *Nouv. Ann. Mus. d'hist. nat.* III. 453. — *Rondong* Mal. — In humidis Archipelagi indici.

AMMANNIA Houst. Calyx persistens, subcampanulatus, plicatus v. angulatus; limbi quadri-rarius quinquefidi laciniis erectis v. incurvis, extus cum totidem dentibus (accessoriis) distinctis v. obsoletis alternantibus. Corollae petala 4 rarius 5, summo calycis tubo inserta, ejusdem dentibus dum adsunt opposita, saepius nulla. Stamina 4 rarissime 5 v. 8, calycis tubo inserta, uniseriata, inclusa v. exserta; filamenta filiformia; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum, sessile, 2—3—4-loculare. Ovula in oophoris loculorum angulo centrali adnatis plurima, anatropa. Stylus filiformis, persistens. Stigma capitatum. Capsula calyce cincta, inclusa v. exserta, membranacea, 2—3—4-locularis v. dissepimentis sub maturitatem obliteratis unilocularis, nunc irregulariter transverse circumscissa, nunc septicide v. septifrage dehiscens. Semina in spermophoro crasso subcapitato v. 3—4-lobo plurima, varie angulata, testâ coriaceâ. Embryi exalbuminosi recti cotyledones rotundatae, plano-convexae; radicula brevissima, obtusa, umbilicum basilarem attingens. — Herbae annuae, rarissime suffruticosae, glabrae, in regionibus tropicis et subtropicis totius orbis obviae; caule saepissime tetragono; foliis oppositis, sessilibus v. breviter petiolatis, integerrimis; floribus axillaribus, sessilibus v. breviter pedunculatis, bibracteolatis, parvis; pedunculis simplicibus v. furcato-divisis.

Obs. 1. Vir botanices peritissimus R. Wight pro sagacitate suâ in opere meritissimo *Icones Plant. Ind. or.* I. sub tab. 217 in observatione et in *Illustrations of Indian Botany* I. 206 *Ammanniae* aliorumque Generum huic affinium ita emendare voluit characterem:

1. Calyx 3—5-fidus. Petala 3—5. Ovarium 3-loculare. Capsula 3-valvis, septifraga . . . . *Rotala.*
2. Calyx 4-fidus, in sinubus dentibus accessoriis auctus. Petala 4 vel nulla. Stamina 4. Ovarium 2-loculare. Capsula irregulariter transverse dehiscens . . . . *Ammannia.*
3. Calyx 4-fidus, dentibus accessoriis nullis. Petala 4. Stamina 4. Ovarium 2—4-loculare. Capsula 2—4-valvis, septifraga (flores in spicis bracteatis, calyce bibracteolato) . . . . *Ameletia.*
4. Calyx 4—6-fidus, in sinubus dentibus accessoriis auctus. Petala 4—6. Stamina 8—12. Ovarium 3—4-loculare . . . . *Nesaea.*

Dolendum autem eum, quod ad *Ammanniam*, modo fabricam organorum fructificationis in quibusdam stirpibus Indiae orientalis, quae ad hocce Genus pertinent, neque illarum potius spectasse Specierum, quae typum Generis exhibent atque in Americâ maxime reperiuntur. Tum enim vidisset in iisdem saepe Speciebus non eundem constare numerum loculorum ovarii, veluti in *A. latifoliâ* Linn., in quâ modo tri-, modo quadriloculare est; et in *A. humili* Mich. V. Cl. Saint-Hilaire (cf. *Flor. Bras. mer.* II. 134. 2) pleraque ovaria trilocularia, unum tantummodo quadriloculare invenit, neque vel in hac, vel universe in Speciebus Novi Orbis transverse, sed magis regulariter per valvas capsulae dehiscunt. At vel illud discrimen dehiscentiae fructus in his herbis, ubi fabrica organorum fructificationis plane similis est, ad Genera distinguenda minoris esse pretii videtur, quippe quod praecipue a tenuissimâ pericarpii texturâ et a tumescentiâ spermophororum sub maturitatem fructus pendet. Verum summi sane momenti ad rite limitanda illa, quae recensuimus, Genera haec est quaestio, num dentium accessoriorum calycis vel praesentia vel defectus tanti sit habendus, ut illo charactere Genera inniti possint? Equidem nimium illi tributum esse puto, siquidem dentes illi non sunt aliud quam nervi ultra sinum laciniarum calycis producti, sive mavis aspectu morphologico apicum foliorum verticilli externi, quum calyx *Lythrarierarum* duobus verticillis alternantibus foliolorum inferne tubuloso-connatorum constitutus sit putandus. Mihi quidem character ejusmodi, qui solâ nervorum s. apicum foliolorum calycis extensione nititur, magis aptus esse videtur ad Genera in sectiones vel subgenera dividunda, quam ad Genera constituenda, cum praesertim his sine ullâ necessitate separandis et augendis ansam praeberet. Hanc ob causam igitur *Rotalam* Linn. et *Ameletiam* De Cand. sectiones Generis ejusdem naturalis, quam Genera rite fundata existimare malo.

Obs. 2. Species hujus Generis accuratiore dignae sunt examine, quum magna earum in vegetatione similitudo facile confusioni ansam praebeat, id quod *A. bacciferae* Linn., *A. verticillatae* Lam., *A. indicae* Lam. aliisque nonnullis obtigit. *A.* quidem *bacciferam* Linn. V. Cl. Lamarck in *Enc. bot.* I. 131. 3. rejiciendam esse putabat ob fructus non baccatos, itaque nomen illi substituit *A. verticillatam*, quae minime probanda est mutatio. Attamen dubitari nequit, quin Specie differant; sed *A. verticillatam* Lam. jam antea in *Act. Bononiensibus* a. 1767 descripserat et depinxerat Gajetano Monti, eique pag. 112 nomen *A. salicifoliae* indiderat, quod propterea praeferendum. Specimen habemus memoriâ Marsili in humidis agri Patavini lectum, quod et cum descriptione V. Cl. Monti et cum figurâ Lamarck accurate congruit. Cum alia, tum „Flores," inquit, „ad nodos maximi superiores conferti et conglobati erumpunt, „septeni, octoni, aut forte plures, verticillorum modo caulem ambientes, „ac foliorum alis innixi, petiolis (v. potius pedunculis) insidentes bre„vissimis, ut in *Marubio*, ut in *Menthâ*, ut in aliis, quae verticillatae „propterea nuncupantur. Sunt autem flores quantum quidem nobis asse„qui licuit, corollâ seu petalis omnino destituti." Quem equidem petalorum in alabastris a me exploratis defectum confirmare queo. Calyx globoso-campanulatus brevissime quadrifidus, lobis lato-triangularibus, incurvis, extus cum totidem processibus (v. dentibus accessoriis) patentibus plano-depressis cum ipsis lobis majoribus alternantibus. Si e spermophoris in capsulâ liberis subglobosis sulco cruciformi notatis judicandum, ovarium quadriloculare. Haec autem manifesto indicant *A. verticillatae* isti Lam. deinde ab auctoribus unam pluresve annumeratas esse herbas, minime eo pertinentes, siquidem Speciei illi inter alios V. Cl. Arnott in *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 304 hunc characterem tribuit: „leaves lanceolate, „attenuated at the base: flowers almost sessile, 2—3 in the axils of the „opposite leaves: calyx halfglobose: petals 4—5 obovate." De Candolle quoque auctore flores ejus petalis quatuor obovatis sunt praediti, sed maxime inflorescentia illa, quam 2—3 modo floribus constare ait Arnott, haud ullo modo cum stirpe primo loco a Monti descriptâ congruit. — Quid autem de *A. indicâ* Lam. statuendum sit, ut explorationes meae me docuerunt, breviter exponam. Hanc herbam ob ipsos fructus ante dehiscentiam baccis parvis non absimiles V. immortalis Linnée *A. bacciferam* appellavit, quod illi nomen videtur servandum. *A. vesicatoria* Roxb. ab eâ non diversa, sed *A. indica* De Cand. *Prodr.* III. 77. 4, scilicet quatenus diagnosis ejus stirpem Timoriensem spectat. Huic igitur servamus nomen vulgatum *A. indicam*, exclusis tantummodo synonymis a Lamarck proditis.

1. *Diplostemon.* Flores octandri, staminibus nempe petalorum numero duplis. Calycis dentes (accessorii) distincti et saepius ejusdem laciniis longiores. Ovarium 4—5-loculare. Capsula calyce inclusa, 4—5-locularis, septicide v. septifrage dehiscens.

309. Ammannia octandra Linn.: caule herbaceo erecto ramoso; foliis sessilibus e basi sagittatâ lineari-lanceolatis ($\frac{3}{4}$—2 poll., 2—5 lin. lat.) acuminatis; pedunculis axillaribus brevissimis 1—3-floris; floribus tetrapetalis 8-andris. Linn. fil. *Suppl.* 127. Lam. *Illustr.* I. 311. N°. 1556. Willd. *Spec. Pl.* I. 2. 679. 5. Roxb. *Corom.* II. 18. tab. 133. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* I. 328. 7 (excl. *β Var. sanguinolenta*). Roxb. *Flor. Ind.* (ed. Wall.) I. 446. 2. Spr. *Syst. Veg.* I. 444. 10. De Cand. *Prodr.* III. 80. 26. Roxb. *Flor. Ind.* I. 425. 2. Wight et Arn. *Flor. Penins. Ind. or.* I. 304. I. — *A. coccinea* Rottb. *Progr.* 1773. N°. 4. Pers. *Syn. Pl.* I. 147. 6. — In Indiâ orientali.

2. *Cornelia.* Flores tetrandri. Calycis dentes (accessorii) ejusdem laciniis longiores. Ovarium 2—4-loculare. Capsula calyce inclusa, dissepimentis sub maturitatem obliteratis unilocularis, irregulariter transverse rupta.

310. Ammannia salicifolia Monti: caule herbaceo erecto ramoso v. interdum simplici; foliis sessilibus lanceolatis ($\frac{3}{4}$—1$\frac{1}{2}$ poll., 3—5 lin. lat.) utrinque attenuatis; floribus in foliorum axillis sessilibus conferto-verticillatis parvis apetalis 4-andris. Caj. Monti *de Ammanniae herbae palustris nova specie* in *Act. Bononiens.* V. 1. 109. tab. 6. — *A. ramosior* Spr. *Syst. Veg.* I. 443. 3 (ex parte). — *A. aegyptiaca* Willd. *Enum. Hort. Berol.* I. 167. *Hort.* tab. 6. Delil. *Descr. de l'Egypte* tab. 15. fig. 3. Roem. et Schult. *Syst. Veg.* III. 303. 9. Spr. *Syst. Veg.* I. 444. 16 (ex parte). De Cand. *Prodr.* III. 78. 6. — *A. verticillata* Lam. *Enc. bot.* I. 131. 3 (excl. ut in seq. Syn. Burm. et Pluk.). Ejusd. *Illustr.* I. 311. N°. 1554. tab. 77. fig. 3. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* I. 328. 4. Pers. *Syn. Pl.* I. 147. 7. Roem. et Schult. *Syst. Veg.* III. 305. 14. De Cand. *Prodr.* III. 79. 16 (ex parte). Wight et Arn. *Prodr. Flor. Penins. Ind. or.* I. 304. 2 (ex parte). — *Cornelia verticillata* Ard. *Specim.* II. 9. tab. 1. — Species huic affinis est *Béli-tsjá* Rheede *Hort. Malab.* IX. 165. tab. 84 sive *A. prostrata* Hamilt. MS., cujus hic character: caule herbaceo prostrato ramoso; foliis sessilibus oblongo-lanceolatis; floribus 7—9 in axillis foliorum confertis parvis tetrapetalis (?). In arenosis et umbrosis Malabariae. — In Aegypto, Italia cet.; specimen nostrum olim a V. Cl. J. Marsili in humidis agri Patavini lectum.

3. *Hapalocarpum.* Flores tetrandri, interdum diandris inmixti. Calycis dentes (accessorii) brevissimi v. obsoleti. Ovarium biloculare. Capsula semiexserta, dissepimentis sub maturitatem obliteratis unilocularis, transverse disrumpens.

311. Ammannia baccifera Linn.: caule herbaceo erecto ramoso v. interdum simplici; foliis lineari-lanceolatis (2—4 lin., $\frac{1}{2}$ — vix 1 lin. lat.) utrinque attenuatis, v. apice obtusis, caulinis subpetiolatis, floralibus sessilibus; floribus in axillis sessilibus v. in fasciculis brevissimis subverticillatis minutissimis apetalis 4-andris. Linn. *Spec. Pl.* 175. 3. N. L. Burm. *Flor. Ind.* 38. tab. 15. fig. 3 et 4 (excl. ut in seq. Syn. Ard.). Houtt. *Nat. Hist.* II. 7. 349. 3. Willd. *Spec. Pl.* I. 2. 679. 6. Roem. et Schult. *Syst. Veg.* III. 304. 11 (ex parte). — *A. vesicatoria* Roxb. *Flor. Ind.* (ed. Wall.) I. 447. 4. De Cand. *Prodr.* III. 78. 7. Roxb. *Flor. Ind.* I. 426. 4. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 305. 6. — *A. indica* Lam. *Illustr.* I. 311. N°. 1555 (excl. ut in seq. Pluk. tab. 357. fig. 5). Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* I. 328. 5. Pers. *Syn.* I. 147. 8. De Cand. *Prodr.* III. 77. 4 (ex parte). Wight et Arn l. c. 7 (ex parte). — *Anonymos Linariae folio Orientalis, Gallii lutei flore, Herba capsularis verticillata* Pluk. tab. 136. fig. 2. — *Daud-maree* Beng.; *Aghundra-pakoo* Teling. — In cultis humidis Indiae orientalis, Sinae cet.

312. Ammannia glauca Wall.: caule herbaceo erecto ramoso; foliis lineari-lanceolatis glaucis, inferioribus subpetiolatis ($\frac{3}{4}$—1 poll., 3—4 lin. lat.) utrinque attenuatis, floralibus sessilibus (5—7 lin., $1\frac{1}{2}$—2 lin. lat.) basi retusis reflexis; floribus dense verticillatis apetalis 4-andris. Wall. *Cat.* N°. 2100. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 305. 5. Walp. *Rep. bot.* II. 102. 16. — *A. baccifera* (haud Linn.!) Roth *Nov. Pl. Spec. Ind. or.* 100. 2. (excl. Synon.). — In Indiâ orientali; vidi specimen ex Herb. V. Cl. Roth.

313. Ammannia indica De Cand.: caule fruticuloso erecto v. ascendente ramosissimo; foliis lanceolatis ($\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll., 2—8 lin. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2 lin.) utrinque attenuatis v. apice obtusis, caulinis petiolatis, floralibus passim sessilibus; cymis confertis axillaribus brevissime pedunculatis; floribus minutissimis apetalis 2—4-andris. *A. indica* (haud Lam.) De Cand. *Prodr.* III. 77. 4 (ut in Syn. seq. ex parte!). De Caisne in *Nouv. Ann. Mus. d'hist. nat.* III. 453. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 305. 7. — *Cryptotheca apetala* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 1129. — Eodem plane habitu ac *Cryptotheca dichotoma* mihi, ad quod antea Genus, floribus non raro diandris in errorem inductus, stirpem hanc retuleram. Sed calyx minus tubulosus, capsulae magis globosae, rubicundae et transversaliter rumpentes. Nec spermophorum, ut in *Cryptothecâ* parietale, sed in fundo pericarpii tenuis membranacei subcapitatum, obliteratione dissepimentorum liberum. — In humidis Javae, Timor cet.

4. *Sellowia.* Flores pentandri, rarissime tetrandri. Calycis dentes (accessorii) subulati, ejusdem laciniis interdum longiores. Ovarium 3—4-loculare. Capsula calyce inclusa, 3—4-valvis, septifraga.

314. Ammannia pentandra Roxb.: caule herbaceo inferne repente superne ramoso; foliis subsessilibus lanceolatis v. lineari-oblongis (2—6 lin., ½—2 lin. lat.) utrinque acutis; floribus axillaribus solitariis geminisve sessilibus 5-andris; petalis obovatis calycis laciniis duplo longioribus saepe retusis v. tridentatis. Roxb. *Flor. Ind.* (ed. Wall.) I. 448. 5. Spr. *Syst. Veg.* I. 444. 9. De Cand. *Prodr.* III. 79. 22 (ex parte). Roxb. *Flor. Ind.* I. 427. 5. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 305. 9 (ex parte). Walp. *Rep. bot.* II. 101. 2 (ex parte). — *Rotala Roxburghiana* Wight *Icon.* I. 260. B. Ejusd. *Illustr.* I. 206. Walp. *Rep. bot.* II. 101. 4. — *Sellowia uliginosa* Roth *Nov. Pl. Spec. Ind. or.* 163. De Cand. *Prodr.* III. 380. 1. — *Winterlia uliginosa* Spr. *Syst. Veg.* I. 788. — In humidis et paludosis Indiae orientalis; vidi specimen ex Herb. Roth sub nomine indicato.

315. Ammannia densiflora Roth: caule herbaceo inferne repente superne ascendente e basi simpliciter ramoso; ramis spicaeformibus recurvis; foliis oppositis sessilibus, caulinis e basi subcordatâ lineari-lanceolatis (7—10 lin., 1½—2½ lin. lat.), floralibus multo minoribus lanceolatis basi subattenuatis patenti-recurvis; floribus axillaribus solitariis geminis ternisve sessilibus 4—5-andris; petalis obovatis calycis laciniis duplo longioribus saepe retusis. Roth *Nov. Spec. Pl. Ind. or.* 99. De Cand. *Prodr.* III. 79. 17. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 305. 4. — *A. ramosior* (haud Linn.) Spr. *Syst. Veg.* I. 443. 3 (ex parte). — Ab *A. pentandrâ* Roxb. et habitu et dentibus calycinis accessoriis minoribus differt. — In Indiâ orientali; vidi specimen ex Herb. V. Cl. Roth.

316. Ammannia leptopetala Bl.: caule herbaceo inferne repente superne ramoso v. interdum simplici; foliis oppositis sessilibus lineari-lanceolatis (⅓—1 poll., 1½—3 lin. latis) obtusiusculis v. subretusis basi attenuatis; floribus axillaribus solitariis rarius binis ternisve sessilibus 5-rarius 4-andris; petalis cuneatis calycis laciniis brevioribus obtusis v. acutiusculis. — *A. pentandra* (haud Roxb.) Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 1130. De Cand. *Prodr.* III. 79. 22 (ex parte). — Ab *A. pentandrâ* Roxb. foliis obtusioribus et praesertim petalis multo minoribus diversa. — In oryzetis inundatis Javae.

AMELETIA De Cand. Calyx persistens, campanulato-tubulosus; limbi quadrifidi laciniis erectis, dentibus (accessoriis) minoribus nullis. Corollae petala 4, summo calycis tubo inserta, ejusdem laciniis alterna, decidua v. persistentia. Stamina 4, calycis tubo inserta, uniseriata, inclusa v. exserta; filamenta filiformia; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum, sessile, 2—4-loculare. Ovula in oophoris loculorum angulo centrali adnatis plurima, anatropa. Stylus brevis v. filiformis, persistens. Stigma capitatum. Capsula calyce inclusa, 2—4-locularis v. dissepimentis sub maturitatem obliteratis unilocularis, 2—4-valvis, valvis septifragis. Semina in spermophoro tandem libero plura, cuneata, angulata, testâ coriaceâ. Embryi exalbuminosi recti cotyledones ovales, plano-convexae; radicula obtusa, umbilicum basilarem attingens. — Herbae in humidis et inundatis Asiae et Africae tropicae crescentes, glabrae; caule inferne repente; foliis oppositis, rarissime alternis, sessilibus; ramis omnibus aut inde a basi aut apice floriferis, foliorum lapsu saepe spicaeformibus; floribus parvis, bibracteolatis, subsessilibus; petalis parvis, albis.

Obs. Melius fortasse *Ammanniae* tamquam subgenus annumerandum, si praesertim defectui dentium accessoriorum calycis ad Generis discrimen non nimium tribuendum est. In charactere generico, quod ex *Ameletiâ indicâ* exhibuit, erravit V. Ill. De Candollle, quandoquidem dentium illorum accessoriorum in hac herbâ ne vestigium quidem est et tamquam eos descripsit petala parva recurva persistentia. Neque accuratius prodidit dispositionem staminum, quae reverâ laciniis calycis sunt opposita, neque ovarium, ut in figurâ ejus depingitur, duo oophora parietalia opposita exhibet, sed manifesto biloculare est cum oophoris dissepimentis medio utrinque adnatis, ut in multis *Ammanniis*. Habitus quoque *Ammanniis* non absimilis, quandoquidem spicae in his herbis proprie rami floriferi contracti sunt habendi, quorum manifesto referunt faciem. Herbas complures, tamquam genuinas *Ammannias* descriptas, ad hocce Genus referendas esse probabile est, veluti *subspicatam* Benth. in Hook. *Lond. Journ. of bot.* I. 484.

317. Ameletia indica De Cand.: foliis oppositis, caulinis oblongo-obovatis (3—8 lin., 2—4 lin. lat.) obtusis v. subretusis, floralibus (s. bracteis) minoribus acutis; ramulis spicaeformibus folia caulina adaequantibus v. iisdem duplo longioribus densifloris; bracteolis tubum calycis adaequantibus; staminibus paulisper exsertis. De Cand. in *Mem. Soc. Genev.* III. 2. 82. tab. 3. fig. A. Ejusd. *Prodr.* III. 76. 1. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 303. 1 (ex parte). Wight *Illustr.* I. 206. 1. — *A. polystachia* Wall. *Herb.* N°. 2094. — *Ammannia repens* Rottl. ex Mart. in *Acad. Münch. phil.* VI. 150. De Cand. *Prodr.* III. 80. 30. — *Ammannia peploides* Spr. *Syst. Veg.* I. 444. 18. — *Peplis indica* Willd. *Spec. Pl.* II. 1. 244. 2. Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 162. 2. Pers. *Syn. Pl.* I. 393. 2. — In Indiâ orientali; in oryzetis Javae occidentalis prope litora.

318. Ameletia elongata Bl.: foliis oppositis, caulinis obovatis (3—5 lin., 2—3 lin. lat.) obtusis, floralibus (s. bracteis) multo minoribus acutis; ramulis spicaeformibus foliis caulinis multo longioribus laxifloris; bracteolis calycis tubo brevioribus; staminibus exsertis. — *A. indica* (haud De Cand.) Wall. *Herb.*

N°. 2093. Wight et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 303. 1 (ex parte). Wight *Icon.* I. 257. A. — Spicis longioribus et laxioribus bracteolisque brevioribus a priori diversa. — In Indiâ orientali.

319. Ameletia elatinoides Bl.: foliis oppositis, caulinis linearibus (7—9 lin., 1—1½ lin. lat.) utrinque attenuatis, floralibus (s. bracteis) latioribus ovatis (2—3 lin., 1½—2 lin. latis) obtusis basi retusis; ramulis spicaeformibus foliis caulinis multo longioribus laxifloris; bracteolis calycis tubo multo brevioribus; staminibus inclusis. — *Ammannia elatinoides* De Cand. in *Mem. Soc. hist. nat. Genev.* III. 2. 92. tab. 3. fig. B. Ejusd. *Prodr.* III. 78. 9. Guillem. Perrott. et Rich. *Flor. Senegamb.* I. 298. — In locis depressis et inundatis Senegambiae.

320. Ameletia tenella Bl.: foliis oppositis amplexicaulibus ovato-oblongis obtusis; floribus axillaribus solitariis; bracteolis calycis tubo multo brevioribus; staminibus inclusis. — *Ammannia tenella* Guillem. Perrott. et Rich. *Flor. Senegamb.* I. 297. Walps. *Rep. bot.* II. 102. 3. — In Senegambiâ.

ROTALA Linn. Calyx persistens, campanulato- tubulosus; limbi tri- v. quinquefidi laciniis erectis, dentibus (accessoriis) minoribus nullis. Corollae petala 3 v. 5, summo calycis tubo inserta, ejusdem laciniis alterna, fugacissima. Stamina 3 v. 5, calycis tubo inserta, uniseriata, inclusa v. exserta; filamenta filiformia; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, longitudinaliter dehiscentes. Ovarium liberum, sessile, 3-loculare. Ovula in oophoris loculorum angulo centrali adnatis plurima, anatropa. Stylus brevis v. filiformis, persistens. Stigma capitatum. Capsula calyce inclusa, dissepimentis sub maturitatem obliteratis unilocularis, 3-valvis. Semina in spermophoro centrali libero plura, compressa, laevia, nitida. Embryi exalbuminosi recti cotyledones ovales, planiusculae; radicula obtusa, umbilicum basilarem attingens — Herbae in humidis Asiae tropicae crescentes, humiles, glabrae; foliis verticillatis v. oppositis, sessilibus, patentibus, integerrimis; floribus axillaribus, solitariis, sessilibus, bibracteolatis.

Obs. *Rotalam* Linn. tamquam subgenus *Ammanniae* accensere malo, unde levioribus tantummodo characteribus, nempe calyce magis tubuloso saepe trifido ac dentium accessoriorum defectu recedit. De hac re quid dixerim vide in *Obs.* 1 ad *Ammanniam.* — *Rotala mexicana* Schlecht. et Chamisso in *Linnaeâ* V. 567 ob exiguum numerum seminum cylindrico-ellipsoideorum et ob calycem cupuliformem tripartitum probabiliter ab hocce Genere separanda.

321. Rotala verticillaris Linn.: foliis in verticillis 4—8 linearibus utrinque acutis; floribus 3- v. 5-andris; petalis obovatis obtusis v. retusis; staminibus styloque inclusis. Linn. *Mant.*

175. Houtt. *Nat. Hist.* II. 7. 204. 1. Lam. *Illustr.* I. 104. N°. 435. Willd. *Spec. Pl.* I. 1. 189. 1. Poir. in Lam. *Enc. bot.* VI. 302. Pers. *Syn.* I. 40. 1. Vahl. *Enum.* II. 26. Roem. et Schult. *Syst. Veg.* I. 521. 1. Spr. *Syst. Veg.* I. 180. 1. De Cand. *Prodr.* III. 76. 1. Wight. et Arn. *Prodr. Penins. Ind. or.* I. 303. 1. Wight *Icon.* I. tab. 260. A. Ejusd. *Illustr.* I. 206. — *Ene-Pael* Rheed. *Hort. Mal.* 9. 159. tab. 81. — In Indiâ orientali.

322. Rotala fimbriata Wight: foliis oppositis linearibus (½—1 poll., 1½—3 lin. lat.) utrinque obtusis v. basi emarginatis; floribus 5-andris; petalis oblongis fimbriatis; staminibus styloque exsertis. Wight *Icon.* tab. 217. Ejusd. *Illustr.* I. 206. Walp. *Rep. bot.* II. 101. 2. — In Indiâ orientali.

Ord. **Urticaceae** (*).

URTICA Tournef. Flores monoici v. dioici, spicati v. paniculati aut in glomerulis capitulisve congesti. Masc. Perigonium quadripartitum; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium tetraphyllum; foliolis cruciatim oppositis, exterioribus minoribus patentibus, interioribus (s. collateralibus) latioribus appressis. Ovarium liberum, rectum, uniloculare. Ovulum unicum, e basi erectum, orthotropum. Stylus brevis aut nullus. Stigma terminale, capitato-penicillatum. Caryopsis recta, lenticulari-compressa, leviuscula, perigonii foliolis collateralibus nonnihil auctis inclusa. Semen erectum. Embryon in axe albuminis carnosi inversum, rectum; cotyledonibus plano-convexiusculis; radiculâ cylindricâ, superâ. — Herbae annuae, raro suffrutices, in regionibus temperatis et subtropicis totius orbis crescentes, pilis urentibus obsitae;

(*) Jam multis abhinc annis satis amplum de hoc plantarum ordine latissime disperso congesseram apparatum quaeque eo spectabant analyses typis erant mandatae et compluribus eruditorum Societatibus amicisque distributae, quum mihi Atlas libro suo *Voyage autour du monde sur la Bonite*, *Partie botanique*, in manus venit, in quo plurima nova *Urticearum* Genera elegantissime illustravit V. peritissimus Gaudichaud. Ex illis figuris statim vidi complura ejus Genera cum meis plane congruere, itaque ne synonyma inter se confunderem, priusquam aliquid praeterea de hoc Ordine publici juris facerem, finem laboris V. Cl. Gaudichaud exspectare satius duxi. At vir ille de re botanicâ meritissimus ante fato occubuit, quam descriptiones figuris illis addere potuisset. Neque tamen Genera nova ab illo depicta non servanda esse arbitror, cum praesertim egregiâ operâ V. Cl. Weddell *Revue de la famille des Urticées* in *Annales des Sciences naturelles* 4e *Serie* (1854) novum iis accesserit pretium. Hanc igitur ob causam multa, quae jam anno 1852 figuris illustraveram, *Urticearum* nova Genera nominibus postea iisdem inditis praestabant, veluti *Lecanocnide Icon.* XII et *Nothocnide Icon.* XIV, quarum illa cum *Maoutiâ*, haec cum *Pipturo* Wedd. plane congruit. Ultro tamen omne jus prioritatis abdico et vel Genera illa retractare malo, quam ingruentem in dies synonymorum commutationem, quod grave onus disciplinae botanicae nihil prodest, meâ culpâ adaugeam.

foliis oppositis, serratis v. dentatis rarius incisis v. lobatis, penni-v. saepius mixtinerviis; stipulis interpetiolaribus, liberis v. varie connatis; inflorescentiâ axillari; floribus saepissime glomeratis.

Obs. Hoc Genus licet recentiori aetate novissimis studiis ad haud ita multas Species sit reductum, accurata tamen earum definitio ob similem habitum et quod earum complures pro loci naturâ aliisque rerum vicissitudinibus admodum variant, multis laborat difficultatibus. Generi distinguendo aptissimus mihi videtur esse in stipulis character, quae in utroque latere inter duo folia opposita origine duae (o= =o) haud raro concretione plus minus intimâ in utroque latere ad unam (o=o) modo interpetiolarem sunt reductae, quâ significatione in diagnosibus sequentibus verba *stipulae liberae* aut *stipulae connatae* sunt intelligenda.

323. Urtica dioica Linn.: tota hirsutula setisque sparsis urentibus hispida; foliis e basi cordatâ ovatis v. oblongo-ovatis lanceolatisve (3—$5\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—2 poll.) acuminatis grosse serratis; stipulis linearibus v. lanceolatis acuminatis distinctis; spicis geminis laxe ramosis petiolo multo longioribus; floribus interrupte glomeratis dioicis. Linn. *Spec. Pl.* 1396. 6. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 225. 6. Gmel. *Flor. Sib.* III. 30. 19. Poll. *Hist. Pl. Palat.* N°. 901. Blackw. tab. 12 (mas). *Flor. Dan.* tab. 746. Lam. *Enc. bot.* IV. 637. 8. (excl. Var. β) Ejusd. *Illustr.* tab. 761. fig. 1. Hoffm. *Flor. Germ.* 335. Roth *Flor. Germ.* I. 404. II. 474. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 352. 17. Pers. *Syn. Pl.* II. 553. 19. Lam. et De Cand. *Flor. Franç.* III. 323. N°. 2132. Spr. *Syst. Veg.* III. 839. 52. Fr. Nees ab Esenb. *Gen. Pl. Flor. Germ.* Fasc. III. *Urtica* fig. 1-15. Koch. *Syn. Flor. Germ.* II. 732. 3. — *U. dioica, foliis oblongo-cordatis* Linn. *Hort. Cliff.* 440. *Flor. Suec.* 774 et 863. Royen *Lugd. Bat.* 210. Dalib. *Flor. Paris.* 286. — *U. foliis cordatis, amentis cylindraceis, sexu distincta* Linn. *Flor. Lapp.* 374. — *U. stirpibus sexu distinctis, foliis ovato-lanceolatis, productis, serratis* Hall. *Helv.* N°. 1614. — *U. vulgaris major* J. Bauh. *Hist. Pl.* III. 445 cum fig. Raj. *Hist. Pl.* I. 160. 4. — *U. urens maxima* C. Bauh. *Pin.* 232. Moris. *Hist. Pl.* III. 434. 1. tab. 25. fig. 1. — *U. urens altera* Dodon. *Pempt.* 151. — *U. sylvestris asperior* Lob. *Icon.* 521. — In Europâ, Asiâ nec non in Americâ meridionali.

324. Urtica hispida De Cand.: tota hirsutula setisque densis urentibus hispida; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ oblongo-ovatis v. ovato-lanceolatis ($1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat, pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis serratis; stipulis linearibus acuminatis distinctis; spicis geminis ramosis petiolo longioribus; floribus dense glomeratis dioicis. De Cand. in *Flor. Franç.* VI. 355. N°. 2132b. — *U. dioica* (ex parte) Spr. *Syst. Veg.* III. 839. 52. — Equidem profecto dubito, an potius Varietas *U. dioicae* Linn. sit habenda, a quâ nonnisi copiosioribus setis urentibus, foliis in basi minus cordatis et ad margines minus profunde serratis, denique spicis magis contractis differt. — In Pyrenaeo orientali aliisque Europae australis regionibus.

325. Urtica elevata Lowe: herbacea; caule quadrangulari inferne glabriusculo superne setis sparsis hispidulo; foliis e basi truncatâ v. subcordatâ ovatis (4—5 poll., 2—$3\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $1\frac{1}{4}$—2 poll.) acuminatis grosse dentato-serratis utrinque parce setosis; stipulis linearibus v. lanceolato-linearibus acuminatis distinctis; spicis geminis simplicibus v. subramosis, masculis petiolum adaequantibus; floribus monoicis interrupte glomeratis. Lowe *Primit. Flor. Mad.* 15. — *Urtica Lowei* Seub. *Flor. Azor.* 38. — *Urtica rupestris* (haud Guss.) Herb. Hochst. — Habitu satis ad *U. dioicam* accedens. Caulis herbaceus, erectus, obtuse quadrangularis, superne ut petioli et folia pube rarâ brevissimâ subtili setisque sparsis urentibus obsitus. Folia membranacea, tri- v. subquinque nervia, in nervis tribus distinctioribus subtus ut et vulgo ad apicem petioli setis magis confertis, serraturis magnis triangulari-ovatis, acutis v. obtusis, integerrimis rarius extus in denticulum fissis. Spicae superiores masculae, inferiores majorem partem nonnisi glomerulis masculis constitutae sed jam ad basin flores femineos nonnullos proferentes, laxae, filiformes, infimae multo minores, $\frac{1}{2}$—3 poll. longae, femineae. — In insulis Azoribus; memorata fide speciminis in Herb. Vindobonensi a C. Hochstätter in sylvis insulae Pico lecti.

326. Urtica pseudodioica Steud.: caule suffruticuloso teretiusculo tomentoso setoso-hispido; foliis e basi rotundatâ ovato-oblongis v. lanceolatis (1—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 4—7 lin.) acuminatis crenato-dentatis utrinque sericeo-puberulis et praesertim subtus ad nervos et petiolos setoso-hispidis; spicis subverticillatis axillaribus paniculatis interrupte glomeratis dioicis folia subaequantibus. — Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 257. 2. Walp. *Ann. bot.* III. 411. 3. — Ab *U. dioicâ* Linn. haud sane multum diversa, nisi quod folia minora, basi non cordata, non grosse serrata, sed potius crenato-dentata breviusque petiolata, urentissima. Caulis inferne lignosus et teretiusculus, superne obscure tetragonus, sulcis quatuor obsoletis. — Ad sepes, juxta vias Rancaguae in Chili.

327. Urtica bracteata Steud.: caule herbaceo teretiusculo puberulo et setuloso-hispido; foliis e basi cordatâ ovato-oblongis v. superioribus angusto-lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{3}$—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis grosse crenato-dentatis utrinque sparsim setulosis; stipulis ovato-oblongis obtusis connatis; spicis geminis axillaribus subramosis interrupte glomeratis dioicis folio multo brevioribus. Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 258. 7. Walp. *Ann. bot.* III. 411. 3. — *U. dioicae* Linn. atque *U. magellanicae* Poir. similis. Caulis 2—3 ped., fistulosus, inferne teretiusculus, superne tetragonus et sulcatus, setis haud ita densis varie patentibus albidis fistulosis in basi clavato-incrassatâ viridulis hispidulus, auctore V. Cl. Steudel simplex. Folia infima reflexa, superiora patentia et sensim magnitudine ac latitudine decrescentia. Petioli setis similibus atque caulis obsessi. Folia venoso-nervosa, membranacea. Spicae breviter pedunculatae, patentissimae v. pendulae, partim in ramos paucos breves divisae, superiores densiores et simplices. Stipulas interpetiolares ovato-oblongas obtusas membranaceas petiolo 2—3-plo breviores perperam bracteas esse putavit Steudel V. Cl. — In Chili ad sepes, juxta vias Rancaguae.

328. Urtica mexicana Bl.: herbacea; caule erecto quadrangulari setuloso-hispido; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ ovatis v. ovato-lanceolatis ($1\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 poll.) acutis v. obtusiusculis (superioribus vulgo acuminatis) subduplicato-dentato-serratis supra scabris subtus pubescentibus et ad nervos et petiolos sparse setulosis; stipulis linearibus acutis distinctis; spicis geminis simplicibus v. subramosis petiolum adaequantibus; floribus dioicis glomerulatis. — *U. dioica* (haud Linn.) Herb. G. Andrieux *Pl. Mexic.* N°. 98. — Herb. Berlandier 432. — In compluribus Herbariis cum *U. dioicâ* Linn. commutata, a quâ tamen foliis multo angustioribus brevius petiolatis spicisque brevioribus simplicioribus satis distinguitur. Caulis pilis subtilibus reversis albicantibus setisque urentibus aspersus. Folia infima magis ovata v. subcordato-ovata, superiora longiora, ex ovato-lanceolata, basi tri- v. subquinquenervia, serraturis magnis acutis extus saepe denticulo instructis, supra sub lente crebro punctata, utrinque sed maxime subtus in nervis et petiolo pube canescente obsita setulisque urentibus sparsis consparsa. Stipulae petiolis dimidio breviores, patulae, foliaceae, supra albido-punctatae, margine subciliatae, apice cito sphacelatae. Spicae breviter pedunculatae, patentes v. pendulae, masculae densiores. — In Mexico.

329. Urtica serra Bl.: herbacea; caule erecto quadrangulari setuloso-hispidulo; foliis e basi obtusâ lanceolatis (3—$4\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. 4—7 lin.) subulato-acuminatissimis acute dentato-serratis supra appresso-puberulis subtus incano-tomentosis; stipulis lineari-subulatis distinctis; spicis geminis subramosis petiolo longioribus; floribus monoicis interrupte glomerulatis. — *U. mexicanae* proxima, sed foliis subulato-acuminatissimis, serraturis dentiformibus eorum simplicibus, adultioribus subtus incano junioribus isabellino-velutinis. Caulis obtuse quadrangularis, pilis albidis retrorsis subtiliter hirtulus, ut petioli canescentes setulis urentibus sparsis. Stipulae circiter dimidiae longitudinis petiolorum, puberulae, diu persistentes. Spicae superiores femineis, inferiores nonnisi masculis floribus constare videntur. — Haec fide speciminis satis laesi ex Herb. Caes. Vindobonensi V. Cl. Berlandier sub N°. 340 ex Mexico prope Real del monte.

330. Urtica mollis Steud.: caule herbaceo tetragono tomentoso setisque hispido; foliis e basi rotundatâ v. obtusâ oblongo-lanceolatis (2—3 poll., 1—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll.; superioribus sensim angustioribus et minoribus) acuminatis venoso-nervosis grosse acute serratis (serraturis saepe denticulo auctis) utrinque molliter pubescentibus et praesertim in petiolis et in nervis infra setis hispidulis; stipulis lanceolatis obtusiusculis distinctis; spicis subverticillatis axillaribus filiformibus androgynis folio brevioribus. — Steud. in Herb. Bertero et in *Flor. Regensb.* (1850) 258. 6. Walp. *Rep. bot.* III. 411. 7. — Auctore Steudel V. Cl., caulis tetragonus profunde quadrisulcatus fistulosus est simplex. Juxta petiolos tomentosos setis hispidulos stipulae binae 3—4 lin. longae lanceolatae obtusiusculae nervo medio percursae membranaceae extus pube brevissimâ appressâ et subinde setis aliquot obsessae. Spicae in foliorum axillis aggregatae, breviter pedunculatae, patentissimae, glomerulis densis subcontinuis efformatae; pedunculo et rhachi filiformibus, tomentosis, setulis raris aspersis, circa glomerulos bracteis subulatis minutissimis obsessis. Flores masculi femineis paulo longius pedicellati, pedicello apice articulato, tetrandri. Perigonium florum tam masculorum quam femineorum extus pubescenti-hirtulum. — In Chili.

331. Urtica angustifolia Fisch.: herbacea; caule erecto quadrangulari puberulo setisque raris deciduis obsito; foliis e basi rotundatâ v. obtusâ lanceolatis (1—$3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 3—7 lin.) acuminatis v. acuminatissimis grosse et plerumque argute serratis supra punctato-scabridis subtus in nervis petiolisque pube brevi asperulis; stipulis linearibus acuminatis distinctis; spicis geminis petiolum superantibus, masculis simplicibus, femineis subramosis; floribus dioicis interrupte glomeratis. Fisch. in Hornem. *Hort. Hafn. Suppl.* 107. Kunth et Bouché *Ind. sem. hort. Berol.* (1846) 11 et in *Ann. Sc. nat. Sér.* 3. VII. 182. 3. Walp. *Ann. bot.* I. 644. 9. — *U. dioica* (haud Linn.) Urville *Enum. pl. orient.* 123. — Folia et magnitudine, et serraturis admodum variabilia, in specimine a divo Fischer mecum communicato vel inciso-serrata, serraturis magnis subfalcatis, foliis floralibus angustioribus, vulgo in acumen longum lineare acuminatissimum integerrimum producta, tri- v. quinquenervia, membranacea. Stipulae satis longae, petiolos foliorum superiorum adaequantes, membranaceae, diu persistentes. Spicae in axillis foliorum sessiles, graciles, erecto-patentes v. patentissimae. — In Sibiriâ.

β Var. setinervia: foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ ovato-oblongis lanceolatisve ($1\frac{2}{3}$—$3\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 3—7 lin.) acutis v. acuminatissimis grosse et subfalcato-serratis in nervis subtus petiolisque dense setigeris, infimis latioribus minus acuminatis serraturis magnis minus falcatis minusque acuminatis partim rectiusculis nervisque subtus setis densis vix semilinearibus urentibus munitis. — Ad radices montis Aso in Japoniâ. *Fosobano irakusa* i. e. herba pungens microphylla Japonensium; *Tsin ma* Sinensium.

332. Urtica gracilis Ait.: herbacea; caule erecto quadrangulari puberulo setisque raris deciduis consperso; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ ovato-lanceolatis (2—$3\frac{3}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{4}$ poll.) acuminatis acute serratis supra glabriusculis subtus in nervis petiolisque (his superne hispidulis) puberulis; stipulis lineari-subulatis acuminatis distinctis; spicis geminis petiolum superantibus masculis et femineis simpliciter ramosis; floribus dioicis interrupte glomeratis. AIT. *Hort. Kew.* III. 341. WILLD. *Sp. Pl.* IV. 1. 356. 29. PERS. *Syn. Pl.* II. 553. 31. HOOK. *Flor. Bor.-Americ.* II. 141. 4. — *U. procera* MÜHLENB. WILLD. *Sp. Pl.* IV. 1. 353. 18. POIR. in LAM. *Enc. bot. Suppl.* IV. 218. 48. PERS. l. c. 20. SPR. *Syst. Veg.* III. 840. 63. — Ab *U. angustifoliâ* paululum modo diversa foliorum nervis lateralibus paulo magis divergentibus, nervo medio in illâ superne duabus tantum vel tribus, in hac vero quinque ferme vel sex venis pennatis. Spicae quoque utriusque Generis hic in plures ramos dividuntur. — In Americâ boreali, etiam ad Sinum Hudsonis.

333. Urtica foliosa BL.: suffruticosa; caule erecto hexangulari setis urentibus hispidulo; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ lanceolatis (1—3 poll., ½—1¼ poll. lat., pet. 3—7 lin.) acutis s. acuminatissimis serratis supra punctato-scabris subtus ad nervos strigosulis; stipulis linearibus distinctis; spicis masculis geminis simplicibus petiolum adaequantibus, floribus glomeratis dioicis. — *Ira kousa* Japonice. — Caulis circiter 3-pedalis, suffruticosus, ramis brevibus decussatis, foliosus, hexangularis s. potius inaequali-sexlaterus, fistulosus, inferne asper setisque destitutus, superne uti praesertim rami tenuiores hirtulus cum setis urentibus. Petioli strigulosi, plerumque setis nonnullis urentibus praediti. Folia e basi nervis lateralibus tribus magis distinctis binisque brevioribus, nervo medio superne in paucas venas pennatas diviso, serraturis acutis, interdum satis grossis, membranacea, adultiora statu sicco valde fragilia, supra punctis creberrimis scabra, in nervis subtus magis minusve strigosula et interdum cum setulis nonnullis. Stipulae breves, acutae, extus strigosulo-asperae, apice cito emorientes. Spicae masculae ex axillis florum superiorum, breviter pedunculatae, 7—8 lin. longae, simplices, glomeruliflorae. — In Japoniâ.

334. Urtica ardens LINK.: caule erecto quadrangulari subramoso petiolisque setoso-hispidis; foliis e basi subcordatâ v. rotundatâ ovatis (2—3 poll., ¾—1½ poll. lat., pet. ⅔—2⅓ poll.) acuminatis crenato-dentatis (dentibus interdum denticulis 1—2 instructis) utrinque setis raris obsitis; stipulis ovato-oblongis obtusis connatis; spicis geminis simpliciter ramosis, inferioribus masculis petiolum adaequantibus v. superantibus, superioribus femineis gracilioribus. LINK...... SPR. *Syst. Veg.* III. 840. 56. — *Urtica himalayensis* KUNTH et BOUCHÉ *Ind. sem. hort. Berol.* (1846) 11 et in *Ann. Sc. nat. Sér.* 3. 182. 4. WALP. *Ann. bot.* I. 644. 10. — In sylvis Himalaya.

335. Urtica Eckloniana BL.: herbacea; caule erecto v. ascendente quadrangulari ramoso dense setuloso; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ lanceolatis v. ovato-lanceolatis (2½—4 poll., ¾—1½ poll. lat., pet. 2—8 lin.) acuminatis acute dentato-serratis supra scabris subtus dense puberulis et ad nervos et petiolos setoso-hispidulis; stipulis lineari-oblongis obtusis distinctis; spicis geminis paniculatis petiolum superantibus; floribus monoicis dense glomeratis. — Herb. ECKLON *Urtic.* 12. 116. 12. — Habitu imprimis *U. angustifoliae* FISCH. et *U. pseudodioicae* STEUD. simillima. Spicae paniculatae in axillis foliorum superiorum sunt feminei, nonnunquam masculis aliquot intermixti, inferiores masculi. Stipulae satis longae, diu persistentes. Folia basi tri- v. subquinquenervia, inter nervos subreticulata, reticulatione supra impressâ, subtus distinctiore et prominente. In sequente, quam Varietatem puto, folia tenuiora, supra minus scabrida, siccando maxime subtus in colorem magis flavovirescentem abeuntia. — Ut sequens in Promontorio Bonae Spei.

β *Var. flavovirens:* foliis supra glabriusculis.

336. Urtica simensis HOCHST.: caule herbaceo erecto simplici v. ramoso setis confertis albidis hispido; foliis cordato-ovatis ($1\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll., 1—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—3 poll.) acutis v. acuminatis grosse crenato-dentatis v. irregulariter dentato-lacinulatis praesertim ad petiolos et nervos subtus setoso-hispidis; stipulis lato-ovatis obtusis connatis; spicis thyrsoideis petiolos subaequantibus densifloris. HOCHST. *Herb. Un. itin.* N°. 1283. STEUD. in *Flor. Regensb.* (1850) 259. 12. A. RICH. *Tent. Flor. Abyss.* II. 260. WALP. *Ann. bot.* III. 412. 13. — Caulis 2—3 ped., digiti parvi crassitie, teres, fistulosus, e basi lignosâ glabratâ stolonifer, superne striatus, setulis densis albidis glandulâ flavescente suffultis patentissimis s. reclinatis, haud aliter ac petioli hispidus. Folia opposita, ut petioli magnitudine admodum varia, perinde ac laminae dentes, qui modo obtusi et indivisi, modo unus et alter crenulâ instructi, modo acuti aut lacinias breves acuminatas irregulariter dentatas crispulas exhibentes; paginâ superiore foliorum setis raris, aversâ praecipue circa nervos densioribus obsessâ. Stipulae interpetiolares, triangulari-ovatae, obtusae, membranaceae, puberulae. Spicae axillares, pedunculatae; femineae ex axillis inferioribus, breviores, densiores, cylindricae; masculae vulgo magis elongatae, filiformes, saepe interruptae. Flores cymoso-glomerulati, masculi tetrandri, perigonio quadripartito extus setis aliquot obsesso, in centro pistilli rudimentum depresso-globosum subpatellaeforme fovens. Perigonium femineum profunde quadripartitum; segmentis membranaceis, 1-nerviis, pellucido-marginatis; lateralibus duobus multo majoribus, subrotundo-ovalibus, extus setis aliquot praeditis; marginalibus exterioribus magis angustis, oblongis, obtusis, magis concavis, singulis in dorso setâ unicâ. Ovarium sessile, ovoideum. Stigma terminale s. interdum nonnihil excentricum, sessile, discoideum, papillosum. Caryopsis perigonio accrescente tecta, ellipsoidea, sublenticulari-compressa, rarius compresso-trigona, stigmate plerumque paulum excentrico instructa. Semen brevissime funiculatum. — Descripta fide speciminum ex Abyssiniâ in Herb. V. Ill. STEUDEL, quae nomine *U. simensis* HOCHST. et *U. assimilis* STEUD. diversa, ad eandem tamen Speciem referenda esse puto.

337. Urtica lobulata E. MEYER: caule herbaceo erecto simplici v. ramoso hirtulo setisque albidis hispido; foliis reniformi-cordatis ($1\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) acutis irregulariter inciso-laciniatis utrinque petiolisque setoso-hispidis;

stipulis (parvis) ovatis distinctis; spicis thyrsoideis petiolos adaequantibus; floribus dense cymoso-glomeratis androgynis. E. Meyer Pl. Dreg. 2987. — Maxime affinis *U. lobatae* Meyer et *U. simensi* Hochst. — In Promontorio Bonae Spei circa Leliefontijn ad rupes umbrosas.

338. **Urtica lobata** E. Meyer: herbacea; caule erecto quadrangulari simplici v. ramoso setoso-hispido; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ ovatis ($2\frac{1}{2}$—4 poll., 2—$2\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) longe acuminatis profunde acute incisis praesertim ad petiolos et nervos subtus setoso-hispidis; stipulis (parvis) ovatis distinctis; spicis thyrsoideis petiolos adaequantibus; floribus dense cymoso-glomeratis androgynis. E. Meyer Pl. Ecklon. *Urtic.* 11. 10. 9. — Ab *U. lobulatâ* E. Meyer foliis magis membranaceis, longius acuminatis, et incisuris indivisis diversa. — In Promontorio Bonae Spei.

339. **Urtica Thunbergiana** Sieb. et Zucc.: herbacea; caule erecto quadrangulari subramoso setis urentibus hispido; foliis e basi cordatâ v. subcordatâ lato-ovatis ($2\frac{1}{2}$—5 poll.; $1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{4}$ poll.) cuspidatis inciso-serratis (serraturis rectis v. subfalcatis integerrimis s. uni- v. paucidentatis) supra punctato-scabris et sparse setosis subtus imprimis ad nervos hirtulis; stipulis lanceolatis obtusiusculis distinctis v. inferne connatis; spicis geminis, masculis elongatis simplicibus v. plerumque basi parce ramosis, femineis simplicibus petiolo brevioribus; floribus glomeratis monoicis. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Akad. Wiss.* IV. 3^{te} Abth. 214. N°. 758. Walp. *Ann. bot.* I. 643. 6. — *Urtica dioica* (haud Linn.) Thunb. *Flor. Jap.* (excl. Syn. Linn.). — *Kousa ma wo* et *Hatsi kousa* i. e. planta apis, quippe quae apium instar pungit. — Caulis herbaceus, 1—2 ped., subramosus, obtuse quadrangularis, uti petioli pube densâ canescente, quae pilis brevissimis teneris retrorsis (in petiolis sursum directis) constat, obsessus setisque urentibus $\frac{1}{2}$—1 lin. longis rectis horizontalibus hispidus. Folia apice in acumen lineare $\frac{1}{2}$—1 poll. longum rectum v. subfalcatum obtusiusculum inferne parce denticulatum excurrentia, membranacea, supra pilis appressis tandem fere evanescentibus setisque urentibus sparsis conspersa, juniora subtus dense pubescentia, deinde maxime ad nervos modo hirtula, setis nullis rarissime perpaucis praedita, serraturis magnis acutis v. obtusis, integerrimis aut hic in exteriore latere uno binisve in interiore uno tantum denticulo. Stipulae lanceolatae, obtusiusculae, 2—3 lin., membranaceae, pube minutissimâ conspersae, ciliolatae, distinctae v. saepe ultra medium connatae et apice sphacelatae, diu persistentes. Spicae axillares, pedunculatae, ut petioli hirtulae et setulis nonnullis urentibus; masculae elongatiores, laxae, pendulae, ad basin vulgo parce ramosae, interrupte glomeruliflorae, superiores haud raro simplices, glomerulis subcontinuis; femineae numero minores, ex axillis foliorum supremorum, breviores, filiformes, continuae, indivisae. — In Japoniâ.

Lugduni-Batavorum, Kal. Novembri 1855.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Urticaceae.**

340. Urtica bullata Bl.: caule herbaceo ramoso tetragono superne fuscescenti-tomentosulo setisque apice albidis hispido; foliis lato-ovatis (4—8 poll., 4—7 poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi cordatis (lobis baseos conniventibus) et 5-7-nerviis inaequaliter inciso-lobulatis (lobis ovatis acutis irregulariter dentato-serratis) supra bullatis subtus velutinis et praesertim ad nervos et petiolos setoso-hispidis; stipulis lato-ovatis obtusis connatis; paniculis femineis geminis ramosis petiolos adaequantibus v. longioribus densifloris. — *U. grandidentata* (haud Moris) Miq. in *Pl.* Jungh. Fasc. I. 27. 1. — In Javâ prope Wonosari.

341. Urtica galeopsifolia Jacq. fil.: caule herbaceo tetragono ut petioli dense canescenti-tomentoso setisque raris obsito; foliis e basi cordatâ v. subcordatâ ovato-oblongis (3—$3\frac{3}{4}$ poll., $1\frac{1}{2}$—2 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis grosse acute serratis supra dense appresse pubescentibus subtus incano-tomentosis et in nervis parce setigeris; stipulis lineari-lanceolatis acuminatis basi breviter connatis deciduis. *U. galeopsifolia* Jacq. fil. MS. in Herb. Caes. Vindob. — Maxime affinis *U. molli* Steud., at foliis basi cordatis subtus canescenti-tomentosis diversa. — Patria ignota.

342. Urtica cannabina Linn.: caule herbaceo erecto quadrangulari ramoso setis sparsis hispido; foliis tripartitis (2—4 poll., 1—$2\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis inciso-pinnatifidis; stipulis lineari-lanceolatis acuminatis distinctis; spicis geminis subramosis petiolo longioribus; floribus glomeratis monoicis. Linn. *Hort. Ups.* 282. *Spec. Pl.* 1396. 8. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 232. 8. Gmel. *Flor. Sib.* III. 31. 20. Willich in *Nov. Act. N. C.* IV. 105. Mill. *Dict.* N°. 5. Kniph. *Cent.* 1. N°. 93. Lam. *Enc. bot.* IV. 638. 11. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 355. 22. Pers. *Syn. Pl.* II. 553. 24. Spr. *Syst. Veg.* III. 841. 71. — *U. foliis palmato-laciniatis; amentis ramosis erectis* Herb. van Royen. — *U. foliis profunde laciniatis, semine lini* Amm. *Stirp. rar. Ruth.* 249. tab. 25. Tozzet. *Append.* 185. — In Sibiriâ.

343. Urtica rupestris Guss.: suffruticulosa; caule tereti ascendente glabriusculo; foliis e basi rotundatâ v. subcuneatâ ovatis ($\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis grosse serratis glabriusculis; stipulis lanceolato-linearibus acutis distinctis; spicis solitariis v. geminis petiolo brevioribus, masculis et femineis simplicibus; floribus monoicis continuis. Guss. *Cat. Hort. reg.* in Bocc. 66 et 83. Spr. *Syst. Veg.* III. 837. 17. — *Pileis* quibusdam habitu non absimilis, cum e foliis oppositis saepe aliud ab alio et magnitudine laminae et petioli longitudine differat et ipsa sub lente visa supra tenuissime striolata ac maxime subtus pube appressâ rarâ vix conspicuâ conspersa sint. In foliis novellis petiolisque setae nonnullae urentes occurrunt, quae tamen, ut stipulae parvae, cito decidunt. Apice in acumen lineare rectum v. leviter falcatum obtusiusculum sunt producta, tri- v. subquinquenervia, supra basin integerrimam rotundatam v. subcuneatam serraturis magnis acutis v. obtusiusculis, membranacea, glabriuscula. Spicae axillares, filiformes, brevissime pedunculatae v. sessiles, graciles, patentissimae v. reclinatae, setis nonnullis urentibus instructae, unisexuales, in eâdem stirpe masculae et femineae. — In Siciliâ, unde specimina habemus a V. Cl. Gussone lecta.

344. Urtica incisa Poir.: herbacea; caule quadrangulari setis sparsis hispido; foliis e basi rotundatâ v. truncatâ lanceolatis v. ovato-lanceolatis ovatisve (1—3½ poll., ½—1⅓ poll. lat., pet. ½—1⅓ poll.) acuminatis grosse acute dentato-serratis utrinque parce setosis; stipulis lanceolato-linearibus distinctis; spicis geminis petiolo vulgo brevioribus, masculis et femineis simplicibus v. subramosis; floribus monoicis interrupte glomeratis. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 224. 78. — *U. rupestri* Guss. habitu simillima. Folia hujus Speciei formâ et magnitudine, petioli longitudine variant. Folia vulgo acuminata v. acumine lineari terminata, interdum modo acuta, margine dentibus magnis subtriangularibus acutis subincisa, trinervia v. subquinquenervia, membranacea, utrinque setis urentibus raris obsita. Spicae petiolis vulgo multo breviores, patentissimae v. recurvae, simplices, interrupte glomeruliflorae, aut in nonnullis glomerulis subinde breviter pedunculatis subramosae. — Descriptio nostra nititur specimine ex Herb. Vindobonensi a V. Nob. von Hügel in Tasmaniâ (van Diemensland) lecto.

345. Urtica lucifuga Hook. fil.: herbacea; caule quadrangulari subramoso setis sparsis hispido; foliis e basi subcordatâ ovatis v. ovato-lanceolatis (1⅓—4 poll., ¾—1½ poll. lat., pet. 1—3½ poll.) acuminatis grosse acute dentato-serratis utrinque parce setosis; stipulis lanceolato-linearibus distinctis; spicis geminis ramosis, masculis petiolum vulgo adaequantibus; femineis brevioribus; floribus monoicis dense glomeratis. Hook. fil. in *Lond. Journ. of bot.* VI. 285. Walp. *Ann. bot.* I. 644. 13. — Ab *U. incisâ* Poir. foliis basi subcordatis longius petiolatis spicisque ramosis vix diversa. — Vidi specimen V. Cl. Hooker fil. in Herb. Vindobonensi et aliud V. Cl. Gunn, utrumque ex Tasmaniâ. Varietas sequens manifesto transitum exhibet ad *U. incisam*, nisi quod folia basi cordata v. subcordata.

β *Var. linearifolia:* foliis longioribus lineari-lanceolatis (5—6 poll., ¾—1 poll. latis) breviter petiolatis subduplicato-serratis.

346. Urtica membranacea POIR.: herbacea; caule tetragono saepius ramoso setulis raris hispidulo; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ (rarissime cuneatâ) ovalibus v. subrotundo-ovatis rarissime ovato-lanceolatis ($\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—4 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll.) grosse serratis utrinque parce setosis; stipulis ovatis v. oblongo-ovatis obtusis connatis; spicis geminis simplicibus, masculis plerumque elongatis; floribus in rhachi complanatâ membranaceo-marginatâ unilateralibus monoicis. POIR. in LAM. *Enc. bot.* IV. 638. 9. DESF. *Flor. Atl.* II. 340. WILLD. *Sp. Pl.* IV. 1. 353. 19. PERS. *Syn. Pl.* II. 553. 21. DE CAND. *Flor. Franç.* VI. 355. N°. 2152a. SPR. *Syst. Veg.* III. 840. 54. — *U. azorica* HOCHST. in SEUB. *Flor. Azor.* 28. — *U. lusitanica* BROT. in Herb. Lusit. WELWITSCH. N°. 163. — *U. caudata* VAHL. *Symb.* II. 96. — *U. dioica β.* LINN. *Sp. Pl.* 1396. 6. *β.* — *U. Aegypti maxima* HASSELQ. *It.* 486. — *U. dubia* FORSK. *Cat. Pl. Arab.* 121. N°. 544. — *Urtica annua longius caudata vulgatissima Lusitanica et Africana* GRISLEY in RAJ. *Syll. stirp. ext. Brit.* 392. — Ut aliae quaedam Species, haec pro loci naturâ magnitudine totius stirpis et foliorum admodum variabilis, quod mihi compluribus inspectis speciminibus compertum. — In Europâ australi, Asiâ minore, orâ Africae septentrionali, insulis Azoribus, Madeira, cet.

β Var. pedunculata: foliis ovatis v. ovato-lanceolatis ($\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 5—8 lin.) argute serratis; spicis masculis et femineis longiuscule pedunculatis, rhachi angustissime marginatâ. — In Graeciâ.

γ Var. pumila: foliis ovatis v. rotundato-ovatis (5—8 lin., 4—8 lin. lat., pet. $2\frac{1}{2}$—7 lin.) crenato-serratis; spicis brevibus late marginatis. — Vidi specimina in horto Caes. Vindobonensi culta.

δ Var. recurvata: foliis ovatis (5—9 lin., 4—7 lin. lat., pet. 2—3 lin.) crenato-serratis; spicis femineis brevissimis longiuscule pedunculatis, rhachi obsolete marginatâ. — *Urtica recurvata* OTTO in Herb. ROTH. — Caulis simplex, erectus, gracilis, 8—10 poll., internodiis infimis longissimis. Flores feminei in pedunculis 2—4 lin. longis recurvis subcapitato-spicati, unilaterales. — Vidi specimen ex horto Berolinensi.

347. Urtica Pittoni BL.: herbacea; caule quadrangulari ramoso setis raris hispidulo; foliis e basi subcuneatâ ovalibus oblongisve (5—11 lin., 4—6 lin. lat., pet. $2\frac{1}{2}$—5 lin.) acutis grosse acute serratis utrinque pubescenti-scabris et parce setosis; stipulis lato-ovatis acutis connatis; spicis femineis geminis pedunculatis cylindricis hispidis; floribus dioicis dense spicatis. — *U. membranaceae* POIR. affinis, sed dioica, floribus in rhachi non unilateralibus. Rami graciles, internodiis posterioribus 2—$3\frac{1}{2}$ poll., summis approximatis, setulis urentibus raris satis longis albicantibus hispidulis, in angulis nodorum submarginatis ac pube densâ brevi obsitis. Folia trinervia, basi subcuneatâ integerrima, a medio ad apicem utroque latere tribus ad quinque serraturis satis magnis acutis subciliatis, membranacea, utrinque puberulo-scabrida setisque urentibus raris obsita. Stipulae parvae, membranaceae, puberulae, deciduae. Petioli tenuissimi, vulgo setis nonnullis, quae deinde sejunguntur. Spicae patulae, 3—5 lin. longae, densiflorae, pedunculo 2—3 lin. longo gracili submarginato suffultae, setis longis horridae, floribus in rhachi nonnihil angulato-dilatato longiuscule pedicellatis. — In Senegambiâ fide speciminis in Herb. Vindobonensi a GUTHNIK V. C. Equiti PITTON A DANNENFELDT missi.

348. **Urtica urens** LINN.: herbacea; caule erecto ramoso setuloso; foliis e basi rotundatâ v. acutiusculâ rarius subcordatâ ovalibus ($\frac{1}{2}$—1$\frac{3}{4}$ poll., $\frac{1}{3}$—1$\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 3—10 lin.) inciso-serratis (incisuris acutis v. obtusiusculis integerrimis rarissime uni-bidentatis) utrinque sparse setosis; stipulis lanceolatis ovatisve discretis; spicis geminis breviter ramosis subsessilibus densis androgynis petiolo brevioribus. LINN. *Spec. Pl.* 1396. 5. HOUTT. *Nat. Hist.* II. 11. 225. 5. GMEL. *Flor. Sib.* III. 30. N°. 18. POLL. *Hist. Pl. Palat.* N°. 900. *Flor. Dan.* tab. 739. LAM. *Enc. bot.* IV. 637. 7. HOFFM. *Flor. Germ.* 335. ROTH *Flor. Germ.* I. 404. II. 473. WILLD. *Spec. Pl.* IV. 1. 352. 16. PERS. *Syn. Pl.* II. 552. 18. LAM. et DE CAND. *Flor. Franç.* III. 323. N°. 2133. SPR. *Syst. Veg.* III. 840. 53. KOCH *Syn. Flor. Germ.* II. 732. 2. — *U. androgyna, foliis ovalibus* LINN. *Hort. Cliff.* 440. *Flor. Suec.* 773 et 862. ROYEN *Lugd. Bat.* 210. DALIB. *Flor. Paris.* 583. — *U. foliis ovatis, amentis cylindraceis androgynis* LINN. *Flor. Lapp.* 375. — *U. sexubus sede disjunctis, foliis ovato-lanceolatis serratis, spicis oblongis* HALL. *Helv.* N°. 1615. — *U. foliis ovalibus oppositis subduplicato-serratis petiolatis, racemis androgynis* NECK. *Del. Gallo-Belg.* 383. — *U. minor annua* J. BAUH. *Hist. Pl.* III. 446 cum fig. — *U. minor* J. GERARD. *Hist. Pl. Angl.*.... RAJ. *Hist. Pl.* I. 161. 5. LAM. *Flor. Franç.* II. 194. — *U. tertia* MATH. 127. — *U. minor acrior* LOB. *Icon.* 522 — *U. urens minor* C. BAUH. *Pin.* 232. MORIS. *Hist. Pl.* III. 435. 4. tab. 25. fig. 4. — *U. urens minima* DODON. *Pempt.* 152. — Ex omnibus Speciebus hujus Generis latissime sane inde ab Europâ per orbem terrarum dispersa haec est, et magis quidem Occidentem quam Orientem versus. Quae utrum locorum naturae tribuenda sit dispersio, an nationum Occidentem versus commeantium itineri, equidem dijudicare non ausim, cum gravissima in utramque partem afferri possint argumenta. — Ubivis in Europâ, tam in hortis agrisque quam locis incultis, ubi quotannis seminibus repullulat et tum post disseminationem emoritur; etiam in Brasiliam, Chili, Mexico cet. immigravit, ut specimina, quae vidi, arguunt.

β *Var. inaequalis:* caule hirtulo et sparse setuloso; foliis e basi subcordatâ v. inaequali-acutiusculâ ovalibus ($\frac{2}{3}$—1$\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$ usque fere pollicem lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{2}{3}$ poll.) grosse acute v. obtuse serratis glabriusculis. — *Harrega* Arab. — Circa Tripoli.

γ *Var. sancta:* caule hirtulo et sparse setuloso; foliis e basi subcordatâ v. inaequali-acutiusculâ ovatis ovalibusve ($\frac{1}{2}$—1 poll., 5 lin. — 1 poll. lat., pet. 2—6 lin.) grosse obtuse serratis supra sparse setigeris subtus puberulis. — *U. membranacea* (haud Poir.) in Herb. Barbieri. — Circa Romam vulgatissima.

δ *Var. marginata:* caule glabriusculo apice appresso-puberulo; foliis e basi acutiusculâ v. subcordatâ ovalibus (½—¾ poll., ⅓—⅔ poll. lat., pet. ¼—½ poll.) obtuse serratis (serraturis subincrassato-marginatis) supra sparse setulosis subtus praesertim ad nervos hirtulis. — In Mauritaniâ a V. Cl. Bové lecta.

349. Urtica lusitanica Bl.: caule herbaceo ascendente ramoso superne parce setuloso; foliis e basi rotundatâ ovatis v. ovalibus (½—1½ poll., ½—1¼ poll. lat., pet. ⅓—1 poll.) grosse serratis (serraturis acutis v. obtusis) utrinque parce setigeris; stipulis connatis apice subfidis; spicis geminis breviter pedunculatis subglobosis androgynis petiolo multo brevioribus. — *U. urens* (haud Linn.) Welwitschii *iter Lusitanicum* N°. 240. — *Urtiga menor* Lusitanis. — Facie satis cum *U. urenti* Linn. conveniens, sed stipulis connatis et inflorescentiâ subcapitatâ satis distincta. — In Lusitaniae ruderibus circa Olisiponem.

350. Urtica atlantica Bl.: caule herbaceo erecto simplici v. subramoso setoso-hispido; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ ovatis (½—1¼ poll., ½—1 poll. lat., pet. ¼—½ poll.) obtuse serratis utrinque sparse setigeris; stipulis lato-ovatis obtusis connatis; spicis geminis pedunculatis ovoideis v. cylindraceis androgynis densifloris petiolum adaequantibus v. longioribus. — *U. urens* (haud Linn.) G. L. Durando *Flor. Atlantica exsiccata.* — Ab *U. lusitanicâ* mihi hirsutie caulis, stipulis utroque latere ad apicem usque connatis spicisque longius pedunculatis, quorum superiores cylindraceae, inferiores ovoideae, distincta. — Vidi specimen in Herb. Caes. Vindobonensi e Provinciâ Oran.

351. Urtica grandidentata Moris: caule herbaceo tetragono ascendente ramoso setis urentibus hispido; foliis reniformi-cordatis v. subrotundo-ovatis (⅔—1⅔ poll., ¾—1¾ poll. lat., pet. 4—7 lin.) inciso-serratis (serraturis acuminatis integerrimis v. unidentatis) utrinque setosis; stipulis lanceolato-linearibus acuminatis distinctis; spicis geminis petiolo longioribus masculis et femineis subramosis; floribus monoicis dense glomeratis. J. H. Moris in *Flor. Sardoa*..... — *U. urenti* proxima, sed diversa foliis latioribus basi plerumque reniformibus spicisque multo longioribus. Caulis in parte superiore, praesertim ad ramulos, praeter setas urentes pube rarâ brevissimâ conspersus. Folia supra crebro punctata setis longis urentibus sparsis, subtus ad nervos frequentioribus et imprimis ad margines serraturarum acuminatarum subulatarum puberulo-scabrida. Spicae femineae in eâdem stirpe cum masculis, floribus densius glomeratis, sed in ramulos breviores quam masculae divisae. — In Corsicâ; fide Herb. Vindobonensis in umbrosis montanis prope Pulam Sardiniae.

352. Urtica parvula Bl.: herbacea; caule tetragono puberulo setisque raris hispido; foliis brevissime petiolatis subrotundo-ovatis ($\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll., 3—5 lin. lat., pet. 2—2$\frac{1}{2}$ lin.) subquinquenerviis inciso-serratis supra punctato-asperulis et setosis subtus ad nervos hirtulis; cymis axillaribus contractis folio brevioribus. — Plantulam hanc *U. urentis* Linn. nonnisi formam esse habendam vix equidem credam; ab omnibus enim, quae ex variis orbis terrarum regionibus Speciei Linneanae vidi, speciminibus foliis brevissime petiolatis minutisque insignitur. Radix tenuis, filiformis, fibrillis lateralibus brevibus paucissimis. Caulis tenuis, erectus, simplex, fere spithameus, sulcis quatuor exaratus, puberulus, inter setulas sparsas pellucidas varie patentes puberulus. Folia texturâ membranaceâ satis crassâ, supra setis consimilibus, atque caulis, sed vulgo paulo longioribus obsessa. — In Chili.

353. Urtica flabellata Kunth: caule herbaceo ascendente ramoso superne setis urentibus horrido; foliis e basi cuneatâ v. truncatâ flabellato-multifidis (5—7 lin., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. 3—5 lin.) subtus setosis, laciniis 2—5-lobis; stipulis ovatis acutis distinctis; floribus glomeratis monoicis. Kunth in Humb. et Bonpl. *Nov. Gen. et Spec. pl.* II. 40. Ejusd. *Syn. Pl. aequinoct. orb. nov.* I. 374. 8. Spr. *Syst. Veg.* III. 841. 72. — Herba, *U. urenti* primo aspectu simillima. Caulis sulcato-angulatus, setis longis albis urentibus pube nullâ intermixtis inferne raris superne et in ramis petiolisque copiosioribus. Folia ad basin tri- v. palmatinervia, texturâ herbaceâ satis crassâ, supra nullis paucisve subtus pluribus setis urentibus et praesertim ad margines. lobulorum inaequalium angustorum hirtula. Stipulae parvae, membranaceae, margine pilosiusculae. — In Granadâ novâ; fide speciminis ab Hartweg V. Cl. etiam apud Hacienda de Antisana in altitudine 13434 ped. lecti.

354. Urtica echinata Benth.: herbacea tota hirsutula setisque urentibus horrida; foliis subrotundis (5—11 lin., 5—12 lin. lat., pet. 3—6 lin.) inciso-serratis; stipulis ovatis acutis distinctis; floribus dense cymoso-glomeratis monoicis. Benth. *Pl. Hartweg.* 252. 1383. Walp. *Ann. bot.* I. 644. 12. — *U. urenti* Linn., sed magis etiam *U. flabellatae* Kunth affinis. Herba erecta, ramosa, praecipue in petiolis ramulisque novellis setis longis albidis urentibus horrida. Caulis obtuse quadrangularis, inter setas urentes nonnihil hirsutulus. Folia in basi rotundatâ v. truncatâ serraturis minoribus angustioribus, reliquis serraturis satis grossis, ovatis, acutis rarius obtusis, integerrimis v. uni-bidentatis. Stipulae parvae, membranaceae, ciliatae, apice cito sphacelatae. Flores feminei in axillis foliorum inferiorum glomerati, minutissimi, masculi in superioribus multo majores. — In Columbiâ apud Hacienda de Antisana, unde specimen in Herbario Caes. Vindobonensi vidi.

355. Urtica rubricaulis Horn.: herbacea subfastigiato-ramosa; ramis quadrangularibus superne hirtulis setulisque hispidulis; foliis e basi obtusâ v. acutiusculâ ellipticis lanceolatisve (5—10 lin., 3—6 lin. lat., pet. 2—4 lin.) acutis dentato-serratis supra puberulo-scabris et imprimis subtus setigeris; stipulis parvis subulatis distinctis; spicis geminis sessilibus petiolo longioribus; floribus dense fasciculatis androgynis. — *U. rubricaulis* Horn. MS. in Herb. Caes. Vindob. — *U. urenti* affinis, quamquam foliis brevius petiolatis, minus profunde serratis, trinerviis, spicis longioribus. Herba pedalis. Caulis imâ paulo crassior pennâ anatinâ et ex tereti superne in tetragonum v. obtuse quadrangulare abiens, jam uno vel uno et dimidio pollice supra radicem fibrosam in ramos graciles subfastigiatos divisus, ut hi imprimis ad apicem cum petiolis foliis et spicis hirtulus et setulis urentibus sparsis obsitus. Stipulae breves, subulatae, distinctae, hirtulae. Folia serraturis parvis acutis v. obtusis triangularibus, membranacea, trinervia, subtus densius hirtula setulisque crebrioribus obsita, supra magis scabra. Spicae simplices, universe foliis cum petiolis longiores, quin fructiferae ad pollicem unum vel unum et dimidium excrescentes, sed superiorum axillarum magis contractae. — Fide speciminum ex Horto botanico Vindobonensi, non additâ mentione loci natalis.

356. Urtica gracilescens Bl.: parce puberula setisque raris hispidula; foliis e basi rotundatâ lanceolatis v. ovato-lanceolatis ($\frac{2}{3}$—1$\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 3—5 lin.) acuminatis grosse obtuse serratis; stipulis linearibus acuminatis distinctis; capitulis geminis breviter pedunculatis; floribus androgynis. — *Urtica gracilis* (haud Ait.) Rafinesque. — *U. urenti* Linn. quodammodo accedens. Caulis herbaceus, gracilis, obtuse quadrangularis, pube rarâ vix conspicuâ et setis aliquibus sparsis obsessus. Folia per paria circiter 2 poll. distantia, superiora sensim minus remota et minora, membranacea, supra obsolete striolata cum setis nonnullis urentibus, subtus puberula et plerumque sine setis ullis, tri- v. subquinquenervia. Stipulae angustae, membranaceae, puberulae, reflexae, persistentes. Pedunculi petiolo breviores, filiformes, hirtuli. Flores masculi et feminei in capitulis subglobosis intermixti. — In Americâ boreali fide speciminis V. Cl. Rafinesque in Herb. Vindobonensi.

357. Urtica fastigiata Bl.: herbacea; caule ascendente fastigiato-ramoso albido-setoso; foliis subcordato-ovatis (5—8 lin., 4—7 lin. lat., pet. 3—7 lin.) obtusis grosse obtuse crenato-serratis utrinque obsolete puberulis et setis sparsis aspersis; stipulis (parvis) ovatis acutis distinctis; spicis petiolo brevioribus sessilibus; floribus androgynis glomerulatis. — Valde affinis *U. magellanicae* Poir. *Enc. bot. Suppl.* IV. 223. 73, cujus tamen folia describuntur ovato-lanceolata, acuminata, basi dilatata nec vero cordata, facie utrâvis glabra, raro pilis aliquot albicantibus conspersa. Habitu ad meam quoque accedit *U. gracilescentem*. — A V. Cl. Cumming in Chili lecta.

358. Urtica Berlandiera Bl.: herbacea; caule ascendente simplici v. subramoso quadrangulari setoso-hispido; foliis e basi rotundatâ v. obtusâ ovatis (1—1$\frac{1}{3}$ poll. $\frac{2}{3}$—1 poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ poll.) acutis v. acuminatis superioribus lanceolatis ($\frac{2}{3}$—1 poll., $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) serratis supra punctato-scabridis et parce setigeris subtus imprimis ad nervos puberulis; stipulis lineari-lanceolatis distinctis; floribus in pedunculis brevissimis dense glomerato-capitatis androgynis. — Caulis 1$\frac{1}{2}$ ped., obtuse quadrangularis, inter setas urentes satis approximatos rectos albos absque pubescentiâ. Folia membranacea, serraturis acutis v. obtusis, 3-v. sub 5-nervia, nervis lateralibus duobus extus in 3—5, nervo medio superne utrinque in aliquot nervulos arcuatos divisis, supra strigosula, punctis crebris paulum scabrida, hic illic cum setâ urente, subtus vulgo sine setis, imprimis in nervis prominentibus cum pilis brevibus. Stipulae parvae, liberae, puberulae, plerumque reflexae. Capitula subglobosa floribus dense glomeratis conformata in axillis subsessilia. — In Mexico fide exempli Berlandier sub N°. 73 ex Herb. Caes. Vindobonensi.

359. Urtica spirealis Bl.: herbacea; caule erecto ramoso quadrangulari petiolisque setoso-hispido; foliis ovatis (½—1 poll., ½—¾ poll. lat., pet. 2½—6 lin.) subacuminatis v. obtusiusculis obtuse serratis utrinque puberulo-scabridis setisque sparsis obsitis; stipulis parvis distinctis deciduis; spicis subgeminis simplicibus brevissime pedunculatis, inferioribus masculis, superioribus androgynis v. floribus femineis in axillis superioribus glomerulatis. — *U. urenti*, et habitu etiam *U. Berlandierae* affinis, sed spicis filiformibus satis elongatis, in quibus glomeruli masculi subspireales, satis insignis. Caulis herbaceus, inferne crassitie pennae anatinae, obtuse quadrangularis, ut petioli pube parcâ subtili setisque albidis urentibus satis confertis horridus aut harum basibus crassioribus tuberculatus, internodiis inferioribus satis elongatis, 2—2½ poll., superioribus sensim brevioribus, in ramulis brevibus oppositis satis contractis. Folia trinervia, nervis lateralibus plerumque bifidis. Flores feminei in axillis superioribus glomerati vel hic illic glomerulis masculis spicarum superiorum immixti. — Descriptio fide speciminis unici sub N°. 349 in Herb. Caes. Vindobonensi a Berlandier in Mexico lecti.

360. Urtica pilulifera Linn.: herbacea; caule erecto simplici v. ramoso setoso-hispido; foliis e basi rotundatâ v. truncatâ aut cordatâ ovatis v. oblongis lanceolatisve (1—8 poll., ½—6½ poll. lat., pet. ½—4½ poll.) acutis v. acuminatis grosse inciso-serratis utrinque sparse setosis; stipulis lanceolatis ovatisve distinctis; floribus monoicis, masculis in spicis laxis ramosis, femineis in capitulis longiuscule pedunculatis. Linn. *Spec. Pl.* 1395. 1. *Syst. Pl.* IV. 128. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 222. 1. Lam. *Enc. bot.* IV. 636. 1. Ejusd. *Illustr.* tab. 761. fig. 2. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 347. Pers. *Syn. Pl.* II. 552. 1. Lam. et De Cand. *Flor. Franç.* III. 323. N°. 2134. *Engl. bot.* tab. 148. Spr. *Syst. Veg.* III. 840. 55. Fr. Nees ab Esenb. *Gen. Pl. Flor. Germ.* Fasc. III. *Urtica* fig. 16—18. Koch *Syn. Flor. Germ.* II. 732. — *U. foliis oppositis ovatis serratis, amentis fructiferis globosis* Linn. *Hort. Cliff.* 440. Ejusd. *Hort. Ups.* 282. Royen *Lugd. Bat.* 209. Sauv. *Monsp.* 307. Mill. *Dict.* N°. 3. — *U. pilulifera facie Urticae vulgaris, semine Lini* Moris. *Hist. Pl.* III. 435. 6. — *Urtica romana sive mas cum globulis* J. Bauh. *Hist. Pl.* III. 445 cum fig. — *U. urens pilulas ferens, prima Dioscoridis, semine Lini* C. Bauh. *Pin.* 232. — *U. romana* J. Gerard. *Hist. Pl. Angl.*.... Lob. *Icon.* tab. 522. Raj. *Hist. Pl.* I. 161. 6. — *U. urens prior* Dodon. *Pempt.* 152. — Staturâ nec minus magnitudine foliorum admodum variabilis, ut permulta e diversissimis regionibus arguunt specimina. — In australibus Europae regionibus et Africae orâ, quae Mare Mediterraneum ambit, frequentissima, subinde quoque in Germaniâ, Belgicâ, Britanniâ. Vidi specimina e Macedoniâ, ex agro Byzantino, Graeciâ, Dalmatiâ, Italiâ, Siciliâ, Sardiniâ, Mauritaniâ, e provinciâ Numidicâ circum Constantinam cet.

β *Var. balearica:* foliis magis cordatis. — *U. balearica* Linn. *Spec. Pl.* 1395. 2. N. L. Burm. *Flor. Ind.* 197. Murr. *Prodr.* 185. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 223. 2. Lam. *Enc. bot.* IV. 636. 2. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 347. 2. Pers. *Syn. Pl.* II. 552. 2. — *U. pilulifera, foliis cordatis, circumserratis.* Hall. *Helv.* 27. — Blackw. tab. 321. fig. 1. — In Siciliâ, Graeciâ, insulis Balearicis, cet.

361. Urtica Dodartii Linn.; herbacea; caule erecto simplici v. ramoso setoso-hispido; foliis e basi rotundatâ v. subcordatâ ovatis (1—3 poll., ⅔—2¼ poll. lat., pet. ½—2 poll.) acutis v. obtusis integerrimis v. interdum serratis utrinque sparse setosis; stipulis lanceolatis ovatisve obtusiusculis distinctis; floribus monoicis, masculis in spicis laxis subramosis; femineis in capitulis longiuscule pedunculatis. Linn. *Spec. Pl.* 1395. 3. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 223. 3. Lam. *Enc. bot.* IV. 636. 3. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 3. Pers. *Syn. Pl.* II. 552. 3. Spr. *Syst. Veg.* III. 837. 18. — *U. integrifolia* Lam. *Enc. bot.* IV. 637. 4. — Mill. *Dict.* N°. 4. Blackw. tab. 321. fig. 2. — *U. pilulifera, Parietariae facie, semine Lini* Moris. *Hist. Pl.* III. 435. 5. tab. 25. fig. 5. — *U. Romana seu pilulifera altera Parietariae foliis Hort. Paris* .... Raj. *Hist. Pl.* I. 161. 7. — *U. altera pilulifera, Parietariae foliis* Dod. *Mem.* IV. 323. — Vix Specie ab *U. piluliferâ* Linn. diversa putanda, quo fit ut saepe eo nomine in Herbariis militet. Unum illud est discrimen, quod folia habet integerrima v. integra et plerumque obtusiora. — Cum Varietate in Europâ australi.

β *Var. nana:* foliis parvis (circiter semipollicaribus, 3—4 lin. lat.) obtusis. — Vidi in Herb. Jacquin fil.

362. Urtica Chesneyana Bl.: herbacea; caule erecto simplici v. subramoso teretiusculo hispidulo; foliis e basi rotundatâ ovatis (1—1⅓ poll., ½—1 poll. lat., pet. 4—5 lin.) acutis dentato-serratis supra sparse setosis subtus puberulis; stipulis ovatis oblongisve obtusis distinctis; floribus monoicis, masculis in spicis simplicibus v. subramosis interrupte glomeratis, femineis in capitulis globosis brevisse pedunculatis. — *U. piluliferae* Linn. valde affinis, sed foliis dentato-serratis, stipulis obtusis, capitulis femineis solitariis, brevissime pedunculatis. Herba spithamea, herbacea, erecta, in paucos ramos breves teneros divisa. Caulis crassitie pennae corvinae, teretiusculus, striatus, ut rami superne pilis brevibus hirtulus setisque urentibus hispidulus. Folia dentibus satis grossis triangulari-ovatis acutis v. obtusis, basi trinervia, supra crebro punctata et sparse setifera, subtus uti petioli puberula et setis nullis. Stipulae ovatae v. oblongae, obtusae, membranaceae, ciliatae. Spicae masculae subgeminae aut in axillis superioribus solitariae et tunc capitulo femineo consociatae, laxae, filiformes, flexuosae, simplices aut inferne in paucos ramos breves divisae, interrupte glomeratae, hirtulae. Capitula feminea magnitudine pisi minoris, brevissime pedunculata, setulis urentibus pellucidis horrida. — Fide speciminis ex Herb. Vindobonensi, a Tribuno mil. CHESNEY in itinere ad Euphraten prope arcem Sedjim Kala in ruderibus lecti.

363. Urtica glomeruliflora STEUD.: caule fruticuloso erecto tetragono hirtulo; foliis ovatis v. ovato-oblongis ($1\frac{1}{4}$—2 poll., $\frac{3}{4}$—1 poll. lat., pet. 3—4 lin.) basi 3—5-nerviis grosse dentato-crenatis utrinque pubescenti-asperis et ad petiolos et nervos subtus hirtulis; capitulis axillaribus brevissime pedunculatis v. sessilibus. STEUD. in *Flor. Regensb.* (1850) 257. 1. WALP. *Ann. bot.* III. 411. 2. — *Böhmeria Fernandesiana* GAY. *Flor. Chil.* 360. — Unum, quod nobis concessit V. Cl. STEUDEL, specimen valde vitiatum atque incompletum, quippe quod ad superiorem modo fruticuli partem vel ramum ejus pertinet. Caulis obtuse quadrangularis s. tetragonus sulcis quatuor, e fusco purpurascens, sicuti petioli et nervi in paginâ aversâ foliorum pubescentiâ brevi densâ hirtulus. Caulem subsimplicem describit STEUDEL V. Cl., ramulos vero breves florigeros racemos axillares apice folioso-comosos esse ait, quorum folia minus evoluta facile decidant, ut falso spicae comosae verticilliflorae interruptae speciem praebeant. Folia texturâ satis crassâ herbaceâ, caulinaria formâ et magnitudine quâ diximus, ramulorum vero spicaeformium multo minora et saepe obovata, laminâ utrinque punctato-asperâ et maxime subtus puberulâ, nervoso-venosa. Capitula orbicularia, sessilia v. brevissime pedunculata, multiflora, in nostro specimine feminea. Flores pedicellis brevibus pubescentibus unibracteatis suffulti. Perigonium profunde 4-partitum, extus pilis aliquot obsessum; foliolis externis duobus minoribus, oblongis, obtusis, altero saepe aliquanto breviore; lateralibus duobus ovalibus, uninerviis, nervo sub apice incrassato. Ovarium ovoideum, utrinque paulum attenuatum, sublenticulari-compressum. Stigma subterminale, parvum, obtusum, papillosum. Caryopsis ellipsoidea, lenticulari-compressa, in fundo cum semine breviter funiculato. — In sylvis humidiusculis montium editorum insulae Juan Fernandez a BERTERO lecta.

NANOCNIDE BL. Flores dioici, masculi subumbellati, feminei dense fasciculati. Masc. Perigonium quinquepartitum; laciniis aequalibus (extus plicâ v. cristulâ transversali auctis), praefloratione valvatis. Stamina 5, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum distinctum. Fem. Perigonium quadripartitum, laciniis (sub apice setulâ instructis) alternis minoribus. Staminodia nulla. Ovarium liberum, sessile, rectum, uniloculare. Ovulum unum, basilare, orthotropum. Stigma terminale, subsessile, capitatum, papillosum. Caryopsis ovoidea, perigonii laciniis vegeto-persistentibus inclusa, laeviuscula. Semen erectum. — Herba japonica, spithamea, e basi ramosa; ramis subfastigiatis; foliis alternis, inferioribus longissime petiolatis, lato-ovatis aut flabelliformibus, grosse crenato-dentatis, membranaceis, mixtinerviis, supra (in siccis) striolatis, junioribus margine et in nervis subtus pubescentibus; stipulis lateralibus, liberis; floribus masculis in umbellis pedunculatis axillaribus, femineis in axillis foliorum dense fasciculatis.

Obs. Perigonio femineo inaequali-quadripartito, sine ullo staminodiorum vestigio, maxime vero habitu a *Pelloniâ* Gaudich. distincta, cui ceteroquin ob lacinias perigonii feminei sub apice setulâ instructas accedit. Nomen e Graeco *νάνος*, pumilio, et *κνίδη*, urtica.

364. Nanocnide japonica Bl. — *Hoâ tièn tsʻaò* Sinice; *Katen saû* sive *Katen-sô* Japonice. — In Japoniâ.

MOROCARPUS Sieb. et Zucc. Flores monoici v. dioici, dense capitati, bracteolis cincti. Masc. Perigonium tri-quadripartitum; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina 3—4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium turbinatum, ovario arcte cohaerens, superne constrictum, obsolete tri-quadridentatum. Ovarium inferne in stipitem perigonio adnato attenuatum, rectiusculum v. paulo obliquum, uniloculare. Ovulum unicum, e basi erectum, orthotropum. Stigma terminale, sessile, abbreviato-filiforme v. obtusum, penicillatum v. papilloso-ciliatum. Bacca pyriformis, succulenta, nucleo lenticulari-compresso, testâ laeviusculâ. Semen erectum. Embryon in axe albuminis carnosi inversum, rectum; cotyledonibus plano-convexiusculis; radiculâ brevi, superâ. — Frutices v. suffrutices, in regionibus tropicis et subtropicis Asiae et Africae obviae; foliis alternis, serratis, reticulato-venosis, basi trinerviis, subtus saepe incanis; stipulis axillaribus, bifidis, deciduis; capitulis axillaribus, subsessilibus v. in pedunculis simplicibus dichotomisve unis exualibus v. saepius androgynis; baccis parvis, rubris v. aurantiacis, bracteolis discretis suffultis.

Obs. Jure prioritatis nomini *Debregeasiae* Gaudich. auctorum *Florae Japonicae* praeferendum. Habitu *Missiessyae* Gaudich. satis accedit, quam ob causam utrumque illo nomine Genus conjunxit V. Cl. Weddèll. Verumtamen florum femineorum fabricâ differunt, quandoquidem in *Morocarpo* (s. Debregeasiâ Gaudich.) ovarium imâ in stipitem constrictum perigonio tubuloso adhaerente plane obvestitur; in *Missiessyâ* vero nonnisi ad basin rotundatam perigonio abbreviato cingitur. Auctore V. Cl. Weddell parvum illud in flore femineo *Missiessyae* perigonium calyculus accessorius, id est, bracteolae connatae est habendum, cui equidem opioni minime assentior. Species minus cognita adhuc notandum est *M. leucophyllus* (Urtica leucophylla Wall. *Cat.* N°. 4607. s. Missiessya Wallichiana Wedd.).

365. Morocarpus edulis Sieb. et Zucc.: ramulis junioribus petiolis nervisque subtus pube brevi appressis; foliis lanceolatis (1—6 poll., 4—11 lin. lat., pet. 2—6 lin.) acuminatis basi obtusis v. subattenuatis inaequaliter serrulatis supra rugosis glabris subtus caesiis; capitulis androgynis in pedunculis brevibus subdichotomo-ramosis. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Akad. Wiss.* IV. 3^{te} Abth. 218. N^{o}. 765 (excl. planta masc.!). — *Missiessya parvifolia* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{me} Sér. I. 195. 11. — *Boehmeria Janagi-itsigo* Sieb. in *Act. Batav.* XII. 70. — *Janagi-itsigo* s. *Toou itsigo* Jap. — In Japoniâ.

366. Morocarpus velutinus Bl.: ramulis junioribus petiolis foliisque utrinque pubescentibus; foliis lanceolatis (2—$6\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 poll.) acuminatis basi obtusis v. subattenuatis argute serratis supra rugosulis subtus incanis; capitulis dioicis subsessilibus v. in pedunculis furcatis dichotomisve. — *Missiessya velutina* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{me} Sér. I. 195. 10 (ex parte). — *Conocephalus niveus* Wight *Icon.* VI. 1959. — *Debregeasia velutina* Gaudich. *Voy. Bonit. bot.* tab. 90. — *Urtica muricata* Wall. *Herb.* N^{o}. 4612. A—C. — *Pl. Ind. or.* (m. Nilagiri) Ed. R. F. Hohenaker N^{o}. 1060. — Capitula mascula in superioribus foliorum axillis plane sessilia, in parte ramulorum foliis nudatâ pedunculis furcatis s. dichotomis suffulta s. subcymosa. Flores masculi laxe capitati, brevissime pedicellati, pedicello apice articulato, basi bracteolis cincto. Perigonium profunde quadripartitum, extus puberulum, laciniis ovato-oblongis, acutis, concavis, aequalibus. Stamina 4, circum pistillum satis magnum stipitatum turbinatum rudimento stigmatis apiculatum in stipite villosum sterile inserta, duo plerumque breviora minoribus antheris. Antherae subrotundae, didymae. — In montibus Nilagiri Indiae orientalis.

367. Morocarpus longifolius Bl.: ramulis junioribus petiolis nervisque subtus dense villosiusculis; foliis lanceolatis (3—$6\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—1 poll.) acuminatis basi obtusis dentato-serratis, supra rugosis pilosiusculis subtus cinerascentibus denseque pubescentibus; capitulis androgynis in pedunculis furcatis dichotomisve. — *Missiessya velutina* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{me} Sér. I. 195. 10 (ex parte). — *Leucocnide angustata* Miq. in Herb. Jungh. — *Böhmeria angustata* Hasskl. *Cat. Hort. Bog.* 79. 9. — *Urtica angustata* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 500. — *Urtica longifolia* N. L. Burm. *Flor. Ind.* 197. — *Morus parvus montanus, folio oblongo serrato* Kleinhof. — *Piit.* s. *Katou hoan* Sund.; *Orang orang* Mal. — A *M. velutino* pubescentiâ ramulorum densiore, foliis subtus minus incanis ad margines dentato-serratis et capitulis androgynis diversa. — In sylvis montanis Javae ad altitudinem 3—4000 ped.

368. Morocarpus virens Bl.: ramulis junioribus petiolis nervisque subtus dense villosiusculis; foliis lanceolatis (5—8 poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ poll.) acuminatis basi obtusis crenato-serrulatis supra rugosis asperis subtus griseo-virescentibus et pubescentibus; capitulis dioicis in pedunculis dichotomis. — *M. longifolio* valde affinis, sed foliis in paginâ dorsali magis virescentibus, ad margines magis crenato-serrulatis, utroque latere nervis e costâ mediâ pennatis octo ad decem, in *M. longifolio* paucioribus. — In Sumatrâ.

369. Morocarpus dichotomus Bl.: ramulis junioribus petiolis nervisque subtus pube appressâ conspersis; foliis ellipticis v. elliptico-oblongis lanceolatisve ($2\frac{1}{2}$—6 poll., $1\frac{1}{4}$—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis v. cuspidatis basi obtusiusculis v. rotundatis dentato-serratis supra rugosulis glabriusculis subtus incanis; capitulis androgynis in cymis subdichotomis. — *Messiessya velutina* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^me^ Sér. I. 195. 10. (ex parte). — *Leucocnide dichotoma* et *Leucocnide sororia* Miq. in *Pl.* Jungh. Fasc. I. 38. 3 et 4. — *Böhmeria dichotoma* Hasskl. *Cat. Hort. Bog.* 79. 8. — *Urtica dichotoma* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 499. — *Kibuntur* s. *Totouoan* Sund. — A *M. velutino* et *M. longifolio* jam pubescentiâ breviore ramulis appressâ et foliis latioribus longius petiolatis insignis. — Cum Varietate in sylvis altioribus Javae occidentalis.

β *Var. ochracea:* pube ramulorum et foliorum subtus magis ochraceo; foliis vulgo minoribus.

370. Morocarpus affinis Bl.: ramulis junioribus petiolisque dense fuscidulo-tomentosis; foliis ovatis v. ovato-oblongis (4—6 poll., 2—3 poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—2 poll.) subacuminatis basi subcordatis v. rotundatis crenato-serratis supra rugosulis asperulis subtus incano-tomentosis; capitulis in cymis subdichotomis. — *Leucocnide affinis* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 39. 5. — Cum Varietate in sylvis altioribus Javae orientalis.

β *Var. robusta:* magis contracta; foliis (3—5 poll., $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{3}$ poll.) brevius petiolatis magis rugosis et acute serratis.

371. Morocarpus salicifolius Bl.: ramulis junioribus petiolisque canescenti-villosiusculis; foliis lanceolatis (2—5 poll., $\frac{1}{3}$—1 poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis basi obtusis v. subattenuatis acute serrulatis supra rugosulis scabris subtus niveo-tomentosis; capitulis solitariis geminisve sessilibus v. brevissime pedunculatis. — *Missiessya hypoleuca* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^me^ Sér. I. 195. 5. — *Urtica bicolor* Roxb. *Flor. Ind.* III. 589. 15. — *Boehmeria* (Procris) *hypoleuca* Hochst. in A. Rich. *Tent. Flor. Abyss.* II. 264 et in *Herb. Un. itin.* N°. 862. Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 261. N°. 18. — *Boehmeria salicifolia* Don *Prod. Flor. Nepal.* 60. 4. — *Urtica salicifolia* Roxb. *Hort. Beng.* 67. — Capitula in nostris speciminibus cuncta feminea. Perigonium turbinatum, membranaceum, pellucidum, ovario adnatum, ore constricto oblique truncato obsolete dentatum. Ovarium inferne in stipitem basi attenuatae perigonii adnatum angustatum, ovoideum, subobliquum. Stigma sessile, nonnihil laterale, obtusum v. subcapitatum, papillosum. Baccae parvae, turbinatae, stigmate obtuso apiculatae, in carne succulentâ nucleum subrotundo-ovoideum lenticulari-compressum durum laeviusculum includentes. — In Nepaliâ propriâ; in Sirinagur; in umbrosis montium prope Dschenausam Abyssiniae.

GIRARDINIA Gaudich. Flores monoici v. dioici, spicati v. paniculati. Masc. Perigonium quadripartitum; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium bipartitum; laciniâ alterâ multo majore, cucullatâ, indivisâ v. apice trifidâ; alterâ minimâ, angustissimâ. Ovarium liberum, sessile v. brevissime stipitatum, rectiusculum, uniloculare. Ovulum unicum, e fundo suboblique ascendens, orthotropum. Stigma terminale, elongato-subulatum, papilloso-scabridum. Caryopsis recta v. subobliqua, lenticulari-compressa, laeviuscula, subnuda. Semen erectum. Embryon in axe albuminis carnosi inversum, rectum; cotyledonibus orbicularibus, basi retusis, planis; radiculâ brevi, cylindricâ, superâ. — Herbae perennantes v. suffrutices, in Abyssiniâ, insulâ Madagascar nec non in Asiâ tropicâ crescentes, setis urentibus obsitae; foliis alternis, saepe lobatis, mixtinerviis; stipulis axillaribus, connatis v. apice bifidis; inflorescentiâ axillari, spicatâ s. paniculatâ, paniculis femineis setis urentibus horridis.

Obs. Praeter eas, quas hoc loco attuli, ad hocce Genus referendae sunt *G. zeylanica* et *G. erosa* Decaisne, in opere laudato Jacquemont utraque descripta, sed mihi incognita. Forsitan ab hac ultimâ Specie non differat *G. furialis* mihi, quod comparatione speciminum genuinorum dijudicandum. *Urtica heterophylla* Vahl s. *Urtica palmata* Forsk., si ex discriptione judicandum, ab *Ana-schorigenam Horti Malabarici* procul dubio diversa, quam *Girardiniam Vahlii* nominandum censeo.

372. Girardinia palmata Gaudich.: caule erecto ramoso superne setis fuscis horrido et inter setas canescenti-strigoso; foliis lato-cordato-ovatis (3—$7\frac{1}{2}$ poll., 3—10 poll. lat., pet. 2—7 poll.) acuminatis 5—9-lobis (lobis inaequalibus ovatis acuminatis inaequaliter dentato- v. inciso-serratis) utrinque pilosis et praesertim ad nervos subtus et petiolos setulosis; floribus dioicis, masculis in spicis subramosis simplicibusve longiuscule pedunculatis, femineis dense paniculatis. Gaudich. in *Voyag. Uran. bot.* 498. — *G. Leschenaultiana* Decaisn. in Jacquem. *Voyag.* IV. 152. Walp. *Ann. bot.* I. 645. 2. Wight *Icon.* VI. tab. 1976. — *Urtica acerifolia* Zenk. *Pl. ind.* Fasc. I. 2. tab. 3 et 4. — *Urtica palmata* Leschen. in Herb. Mus. Paris. — Herb. Hügel N°. 4165. — In Indiâ orientali.

373. Girardinia heterophylla Decaisn.: caule erecto simplici v. ramoso superne appresse pubescente setisque sparsis varie patentibus horrido; foliis lato-ovatis (3—8 poll., 2—7 poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—4 poll.) acuminatis basi subcordatis v. truncatis integris v. tri-quinquefidis (laciniis ovato-oblongis acuminatis) grosse v. inciso-dentato-serratis supra pilosiusculis subtus hirtulis et in nervis petiolisque setoso-aculeatis; floribus monoicis, spicis masculis pedunculatis

latis furcatis, paniculis femineis glomerato-coarctatis. Decaisne in Jacquem. *Voy.* IV. 151. tab. 153. Walp. *Ann. bot.* I. 645. 1. — *Girardinia armata* Kunth *Ind. sem. hort. Berol.* (1846) 11 et in *Ann. Sc. nat. Sér.* 3. VII. 184. 7. Walp. *Ann. bot.* I. 646. 5. — *Urtica diversifolia* Link *Enum.* II. 385. — *Urtica horrida* (nec Humbdt. et Kunth *Enum.* II. 385. — *Urtica heterophylla* (haud Vahl) Wall. in Don. *Prodr. Nep.* 59. 2. Spr. *Syst. Veg.* III. 843. 111. Roxb. *Flor. Ind.* III. 586. 10 (excl. ut in praeced. Syn. Willd. ex parte). Wight *Icon.* II. tab. 687. — *Ana-schorigenam* Rheed. *Hort. Mal.* II. 77. 41. — In Indiâ orientali.

374. Girardinia furialis Bl.: caule subramoso setis patentibus pallidis horrido et inter setas parce puberulo; foliis reniformi-cordatis (2½—7 poll.. 3—6½ poll. lat., pet. ½—3½ poll.) acuminatis dissectis supra sparse setosis subtus puberulis et praesertim ad nervos et petiolos setis caulinis similibus obsitis; paniculis monoicis densis cylindraceis, masculis et femineis breviter pedunculatis. — *Urtica furialis* Bojer I. 142. — In Madagascar.

375. Girardinia adoënsis Bl.: caule erecto simplici v. subramoso inferne glabrato superne setis albidis basi flavescentibus sensim densius munita et inter setas pubescente; foliis ovatis v. superioribus palmato- tri- v. quinquefidis (4—7 poll.; 4—6½ poll. lat., pet. 1⅓—2½ poll.) grosse crenato- v. inciso-dentatis membranaceis utrinque pubescentibus et ad nervos et petiolos setulosis; paniculis axillaribus brevissime pedunculatis spiciformibus coarctatis petiolo brevioribus setoso-hispidis. Bl. in Herb. V. Cl. Steudel (1852). — *Urtica adoënsis* Hochst. in A. Rich. *Tent. Flor. Abyss.* II. 262 et in *Herb. Un. itin.* N°. 101. Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 259. N°. 11. Walp. *Ann. bot.* III. 412. 12. — Radix fasciculato-ramosissima. Caulis 3—4 ped., simplex aut in ramos paucos alternos breves simplices divisus, erectus, fistulosus, inferne circiter digitum crassus, sursum paulatim ad calami scriptorii crassitiem attenuatus. Petioli setis similibus, quibus caulis, obsessi. Inflorescentia feminea thyrsos densifloros ovoideos v. ovoideo-oblongos exhibens, floribus subsessilibus. Foliola duo lateralia perigonalia cum anteriori in folium lato-ovatum acutum cucullatum medio crassius dorso setulis appressis obsessum margine extenuatum, quod ovarium occultat, unita; foliolum perigonii posterius lineari-subulatum, texturâ multo tenuiore. Ovarium brevissime pedicellatum, primo fere rectum, oblongum. Stigma subulatum, ovario triplo longius, primo rectum et subterminale, papilloso-scabridum, dein magis minusve obliquum et in ovario reclinatum. Caryopsis ovata, lenticulari-compressa, pallida, subrugulosa, minutissime punctato-scabrida. — In ruderibus umbrosis prope Adoam in Abyssiniâ a V. Cl. Schimper reperta et a V. Ill. Steudel benevole mecum communicata.

376. Girardinia condensata Bl.: caule erecto simplici inferne glabrato superne setis albidis patentibus munito; foliis ovatis (1½—3½ poll., 1⅓—2½ poll. lat., pet. ⅔—1 poll.) acuminatis indivisis v. superioribus interdum subtrifidis grosse dentato-serratis utrinque pubescentibus et imprimis subtus ad nervos et petiolos setulosis; paniculis axillaribus breviter pedunculatis spiciformibus coarctatis petiolum adaequantibus v. longioribus. Bl. in Herb. V. Cl. Steudel (1852). — *Urtica condensata* Hochst. in A. Rich. *Tent. Flor. Abyss.* II. 263. et in *Herb. Un. itin.* N°. 1888. Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 260. 14. Walp. *Ann. bot.* III. 412. 15. — Radix fibrosa. Caulis 1½—2 ped., vix calami scriptorii crassitie et vel tenuior, fistulosus, inferne nudus, basin versus teres et glabratus, superne sulcatus, hirtulus et maxime in parte superiore, quam folia floresque glomerati obsident, setis multis fistulosis albidis patentibus armatus. Paniculae spiciformes coarctatae setoso-hispidae in axillis foliorum superiorum 1—1¼ poll., etiam longius pedunculatae, elongato-ovoideae, in posteriorum foliorum axillis glomerulos sensim magis decrescentes ovoideos vel globosos subsessiles exhibentes. Flores feminei subsessiles. Perigonii foliolum posticum minutissimum, lineari-subulatum, lateralibus duobus cum anteriori in folium satis magnum cucullatum, quod ovarium includit, connatis. Ovarium brevissime pedicellatum, oblongum, inconspicue obliquum, in fundo ovulum breviter funiculatum suboblique annexum fovens. Stigma terminale, subulatum, papilloso-scabridum, primo rectum, deinde reclinatum. Caryopsis ovata, lenticulari-compressa, straminea, rugulosa, obsolete punctata. — Locis umbrosis per totam Abyssiniam vulgaris.

β *Var. nana:* vix spithamea; floribus femineis in capitulis brevissime pedunculatis, masculis in spicis brevibus cylindricis. — Herb. Hügel N°. 4712. — In Asiâ.

377. Girardinia bullosa Bl.: caule superne tomentoso et setis albidis reflexis obsito; foliis cordato-ovatis grosse dentato-serratis supra bullato-rugosis subtus subvelutino-puberulis et ad nervos et petiolos setulosis; paniculis axillaribus brevissime pedunculatis coarctatis petiolo longioribus. Bl. in Herb. V. Cl. Steudel (1852). — *Urtica bullosa* Hochst. in A. Rich. *Tent. Flor. Abyss.* II. 262 et in *Herb. Un. itin.* N°. 1409. Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 259. 13. Walp. *Ann. bot.* III. 412. 14. — Quod ex Herbario V. doct. amicissimi Steudel in manibus mihi est specimen valde incompletum, superiorem modo stirpis partem, foliis admodum vitiatis, exhibens. Eodem auctore, caulis praealtus, si ex superiore parte satis crassâ fistulosâ obscure sulcatâ judicandum, tomento fuscescente setisque multis reflexis pallidis obsessus. Petioli 1½—2 poll., imâ incrassati, tomento brevi velutino, atque dorso maxime setis reflexis praediti. Folia partim palmaria et nonnulla certe, ut conjicio, palmatilobata, supra bullato-aspera setisque sparsis varie directis, in dorso circa nervos crebrioribus, obsessa. Paniculae erectae, densae, ovoideo-oblongae, brevissime pedunculatae, fere a basi inde ramosae, hispidae. Flores feminei subsessiles. Perigonii folium posticum parvum, lineari-subulatum; lateralia duo cum anteriori in folium saccato-trifidum, cujus lacinia media extrorsum gibbere crasso praeditum, connata. Ovarium ovoideum, compressum. Stigma longissimum, subulatum, tandem reclinatum. Caryopsis oblique ovoidea, lenticulari-compressa, fusca, tuberculato-aspera. — In praeruptis prope Dschenausa Abyssiniae.

Lugduni-Batavorum, Kal. Decembri 1855.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Urticaceae.**

378. Girardinia hibiscifolia Miq.: caule ascendente simplici superne appresse pubescente setisque raris aculeolato; foliis lato-ovatis (4—10 poll., 3—$9\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—6 poll.) acuminatis basi cordatis v. truncatis indivisis v. plerumque tri-quinquefidis (laciniis ovatis acutis v. acuminatis) dentato-serratis supra pilosiusculis subtus pubescenti-hirtulis et in nervis petiolisque parce aculeolatis; floribus dioicis, masculis in spicis filiformibus simplicibus v. bifidis brevissime pedunculatis, paniculis femineis densis longiuscule pedunculatis. Miq. in *Pl.* Jungh. *Fasc.* I. 31. 1. — *G. vitifolia* et *G. javanica* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{me} Sér. I. 181. 9 et 8. — *Urtica heterophylla* (haud Vahl!) Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 502. *Kareptep* Sund. — Caules plures ex eâdem radice v. caudice subterraneo, ascendentes, pennâ cygneâ saepe crassiores, suffrutescentes, intus fistulosi, inferne cylindracei, glabrati, nudi, superne quinquegoni, sulcati, ut petioli et pedunculi pube brevi pallide ochraceâ v. canescente hirtuli et parce aculeolati. Folia membranacea, subpalmato-tri-v. quinquefida, sat grosse dentato-serrata, dentibus acutis v. passim obtusis, juniora utrinque dense hirsuta. Stipulae fere pollicares, ovato-oblongae, acuminatae, complicatae, dorso inferne bicarinatae et appresse puberes, deciduae. Spicae masculae pedunculo brevi suffultae, nunc petiolos vix adaequantes et saepe inaequali-bifidae, nunc pedales aut longiores, simplices. Paniculae femineae 2—4 poll., crassiores, cylindricae, albido-hispidulae, longe pedunculatae, pedunculis 2—4 poll. — In Javae sylvis montanis ad 3—5000 ped. altitudinem.

MISSIESSYA Gaudich. Flores dioici, dense capitati, bracteolis scariosis stipati. Masc. Perigonium quadri-quinquepartitum; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina 4—5, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium brevissimum, cupuliforme, saepe obliquum, inaequali-quadri-quinque-dentatum. Ovarium liberum, sessile, rectiusculum v. subobliquum, uniloculare. Ovulum unicum, e basi oblique ascendens, orthotropum. Stigma subterminale, sessile, truncatum v. oblique discoideum, dense papillosum v. ciliatum. Caryopsis baccata, recta v. subobliqua, nucleo lenticulari-compresso, putamine laeviusculo. Semen oblique ascendens. Embryon in axe albuminis carnosi transversum, rectiusculum; cotyledonibus plano-convexis, obtusis; radiculâ cylindricâ, superâ. — Arbusculae v. frutices, in Asiâ insulari tropicâ crescentes; foliis alternis, serratis, basi trinerviis, sub apice venosis, subtus saepe albido-tomentosis; stipulis axillaribus, apice bifidis, deciduis; capitulis axillaribus, in pedunculis simplicibus solitariis.

Obs. V. Cl. WEDDELL in *Ann. Sc. nat.* 4ᵉ Sér. I. 194 non assentior, qui *Missiessyam* et *Debregeasiam* GAUDICH. conjungit. Cf. quae p. 155, in observatione *Morocarpo* SIEB. et ZUCC. additâ, eâ de re dixerim. Equidem in *Missiessyâ* perigonium florum femineorum vidi minimum sive mavis rudimentarium, in *Morocarpo* vero (s. Debregeasiâ) ovarium plane includens eique adnatum. Utrumque quidem explorando flores femineos facile est dignoscere, sed rite definire Species longe difficillimum, in quo ad distributionem venularum transversalium inter nervos primarios longitudinales attendere plurimum conducit.

379. Missiessya fagifolia GAUDICH.: ramulis petiolis nervisque subtus tomento tenui fuscescente pilis appressis immixto pubescentibus; foliis ellipticis v. elliptico-oblongis lanceolatisve ($3\frac{1}{2}$—8 poll., $1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $2\frac{1}{2}$—7 lin.) acuminatis basi acutiusculis v. obtusis paulo supra basin ad apicem argute serratis membranaceis v. chartaceis supra scabris subtus incanis, venulis transversalibus inter nervos rectiusculis subreticulatis. GAUDICH. *Voy. Bonite Bot.* tab. 93. 1—11. — *Urtica rhodopleura* Herb. ZIPP. (ex parte). — Folia haud raro in eodem ramo magnitudine valde variabilia. Nec pedunculorum longitudo ad discernendas Species satis certa nota est, cum petiolis vulgo breviores, interdum vero longiores sint. Venulae transversales inter nervos modo satis distincte, modo fere indistincte reticulatae sunt. Quin et serraturarum variant magnitudo et tractus. — In Borneo, Celebes, Moluccis cet.

β *Var. ochracea:* foliis elliptico-oblongis v. oblongo-lanceolatis (4—8 poll., $1\frac{1}{3}$—$2\frac{3}{4}$ poll. lat.) basi obtusis v. acutiusculis appresse serrulatis subtus pallide ochraceis. — In Borneo.

γ *Var. angustata:* foliis oblongo-lanceolatis (2—8 poll., $\frac{3}{4}$—2 poll. lat.) basi suboblique attenuatis serrulatis (vulgo uno latere basin versus altius integerrimis). — *Rusuk* Band. — In Bandâ, Celebes, cet.

δ *Var. retusa:* foliis oblongo-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—5 poll., $1\frac{1}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat.) basi obtusis v. retusis, venulis transversalibus reticulatis. — An potius ob venulas transversales inter nervos primarios longitudinales subtus distinctius reticulatas et basin foliorum obtusiusculam v. retusam Varietas *M. mutabilis* habenda foret? Capitula mascula in specimine nostro longe pedunculata, pedunculis petiolos longitudine duplo superantibus. — In Borneo australi.

ε *Var. tenera:* foliis tenere membranaceis oblongo-lanceolatis (3—7 poll., 1—2 poll. lat.) basi obtusis v. subattenuatis, venulis transversalibus obsolete reticulatis. — *Blakang putie* s. *Kaju Ceram* Indig. — An haec fortasse *M. elongatae* stirps novella sit? At folia argute serrata obstant. — In Bandâ.

380. Missiessya mutabilis Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus tomento tenui fuscescente pilis appressis immixto pubescentibus; foliis ellipticis utrinque subacutis v. saepius oblongis v. oblongo-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—$7\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $2\frac{1}{2}$ lin.—$\frac{2}{3}$ poll.) acuminatis basi obtusis v. acutiusculis medio v. paulo infra medium ad apicem acute et saepe obsolete serrulatis subcoriaceis supra scabris subtus cinereo-albidis, venulis transversalibus inter nervos rectiusculis reticulatis. — *Urtica alba* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 499 (ex parte). — *Kibuntar* Sund.; *Tjurang rambat* Jav. — Praecipue nonnisi foliis angustioribus, magis oblongo-lanceolatis, basi obtusioribus, inferne ad dimidium usque longitudinis integerrimis, superne obsolete serrulatis a *M. fagifoliâ* Gaudich. diversa, cujus fortasse habenda est Varietas. Venulae transversales inter nervos subtus vulgo sunt distinctius quam in illâ reticulatae, quod si magni putas, *Var.* δ sub *M. fagifoliâ* notata majori jure ad *M. mutabilem* revocari possit, etiamsi folia ejus distinctius sint serrulata. — In litore Javae australi, in parvâ insula Nusâ Kambangan, Moluccis cet.

381. Missiessya villosa Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus villosis; foliis oblongo-lanceolatis ($2\frac{3}{4}$—7 poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatissimis basi obtusis v. acutiusculis supra basin ad apicem argute serrulatis subcoriaceis supra asperis subtus albidis, venulis transversalibus inter nervos rectiusculis subreticulatis. — In Borneo, Celebes cet.

382. Missiessya celtidifolia Gaudich.: ramulis apice petiolis nervisque subtus canescenti-sericeis; foliis ovato-oblongis v. oblongo-lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. $2\frac{1}{2}$—3 lin.) acuminatis ad basin integerrimis v. paulo supra basin ad apicem argute serrulatis coriaceis supra scabridis subtus cinereis, venulis transversalibus inter nervos subarcuatis obsolete reticulatis. — Gaudich. *Voy. Bonite Bot.* tab. 93. 12—20. — *M. aspera* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{me} Sér. I. 195. 7 (ex parte). — Herb. Cuming N°. 1350. — In Philippinis.

383. Missiessya aspera Wedd.: ramulis apice petiolis nervisque subtus canescenti-sericeis; foliis oblongo-lanceolatis rectis v. leviter falcatis (2—4 poll., $\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatissimis basi integerrimis medio ad apicem argute serrulatis chartaceis supra scabris subtus cinereis, venulis transversalibus inter nervos rectiusculis obsolete reticulatis; pedunculis femineis petiolo brevioribus. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{me} Sér. I. 195. 7 (ex parte). — Herb. Cuming N°. 1842. — In Philippinis.

β *Var. pallens:* foliis nonnihil minoribus firmioribus apicem versus obsolete serrulatis subtus albido-cinereis. — In Moluccis.

384. Missiessya elongata Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus pilis appressis puberulis; foliis lanceolatis rectiusculis

($3\frac{1}{2}$—$6\frac{1}{2}$ poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatissimis basi obtusis v. acutiusculis inferne integerrimis medio v. supra medium ad apicem obsolete serrulatis membranaceis supra punctato-asperis subtus albidis, venulis transversalibus inter nervos rectiusculis obsolete reticulatis; pedunculis femineis petiolo longioribus. — *Urtica alba* Var. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 499. — Foliis magis elongatis tenuioribus supra crebro punctatis et capitulis femineis longius pedunculatis a superiore diversa. — In Celebes, Bandâ, cet.

385. Missiessya falcata Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus pilis appressis puberulis; foliis lanceolatis subfalcatis (2—$5\frac{1}{2}$ poll., $\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—2 lin.) superioribus acuminatissimis (infimis minoribus acutis v. obtusis) basi obtusis v. acutiusculis inferne integerrimis medio ad apicem obsolete repando-serrulatis chartaceis supra asperulis subtus caesio-albidis, venulis transversalibus inter nervos rectiusculis obsolete reticulatis; pedunculis femineis petiolum adaequantibus. — *Urtica alba* Herb. Rwdt. — In Provinciâ celebicâ Menado.

386. Missiessya bornensis Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus fuscidulo-tomentosulis et hispidulis; foliis ovatis v. elliptico-ovatis ($2\frac{1}{4}$—4 poll., 1—2 poll. lat., pet. 2—3 lin.) basi rotundatis v. obtusis membranaceis v. chartaceis basi ad apicem acute serratis supra hispidulo-asperis subtus canescenti-tomentosis, venulis transversalibus inter nervos distincte reticulatis; pedunculis femineis petiolum adaequantibus v. longioribus. — In Borneo.

387. Missiessya rubiginosa Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus tomento denso pilis albidis appressis immixto rubiginosis; foliis ellipticis oblongisve ($1\frac{1}{2}$—3 poll., $\frac{3}{4}$—1 poll. lat., pet. 2—4 lin.) utrinque acutis subrevolutis supra basin ad apicem obsolete serrulatis coriaceis supra scabris subtus albidis, venulis transversalibus inter nervos subarcuatis obsolete reticulatis. — In Borneo (Korths., Müller).

388. Missiessya alba Wedd.: ramulis petiolis nervisque subtus fusco- v. rufescenti-tomentosis et pilis patentibus pubescentibus; foliis elliptico-oblongis v. oblongo-lanceolatis ($3\frac{1}{2}$—$7\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{2}$—3 poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—2 poll.) acuminatis basi acutiusculis chartaceis v. coriaceis $\frac{1}{3}$ supra basin ad apicem acute serratis supra scabris subtus canescenti-tomentosis, venulis transversalibus inter nervos reticulatis; pedunculis femineis petiolo brevioribus. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4me Sér. I. 195. 2. — *Leucocnide alba* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 37. 1. — *Leucosyke alba* Zöll. et Moritz in *Pl.* Zöll. N°. 3540. — *Urtica alba* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 499 (ex parte). — *Angin* s. *Angien* Jav.; *Kibuntur* Sund. — Etiam in hacce Specie folia tam magnitudine quam texturâ nec non serraturarum magnitudine satis variabilia. — In Javae sylvis elatioribus ad altitudinem 3—5000 pedum supra maris aequor.

389. Missiessya sumatrana Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus rufescenti-tomentosis et pilis albidis villosiusculis; foliis lato-ellipticis v. elliptico-oblongis (6—10 poll., $2\frac{3}{4}$—$4\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1—3 poll.) acuminatis basi obtusis v. acutiusculis coriaceis v. chartaceis supra basin acute dentato-serratis supra asperulis subtus canescenti-tomentosis, venulis transversalibus inter nervos curvatis distincte reticulatis. — *Urtica alba* (haud Bl. nec Rwdt.) Herb. Korths. — A *M. albâ* Wedd. imprimis venulis transversalibus inter nervos sursum in angulum connexis facile distinguenda. — Cum Varietate sequenti in Sumatrâ.

β *Var. sericea:* pubescentiâ ramulorum magis sericeâ et appressâ.

390. Missiessya ochroneura Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus ochraceo- v. fuscescenti-tomentosulis et pube sericeâ appressis; foliis elliptico-oblongis v. oblongo-lanceolatis ($4\frac{1}{2}$—$7\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{3}{4}$—3 poll. lat., pet. 5—10 lin.) utrinque acutis v. apice acuminatis chartaceis supra basin ad apicem obsolete serrulatis supra scabridis subtus canescenti-tomentosis, venulis transversalibus inter nervos ad basin usque distincte reticulatis. — *Urtica alba* (haud Bl.) et *U. ochroneura* Herb. Zipp. — *M. sumatranae* valde affinis, sed foliis brevius petiolatis, ad margines serraturis multo minoribus fere inconspicuis plurimum obtusis rarius acutis, venulis transversalibus quoque inter nervos minus curvatis. — In Moluccis.

391. Missiessya celebica Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus pallide ochraceo-tomentosulis et pube sericeâ appressis; foliis oblongo-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—10 poll., 1—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{3}$ poll.) acuminatissimis basi inaequali-obtusiusculis coriaceis paulo supra basin ad apicem acute serrulatis supra scabriusculis subtus incano-tomentosis, venulis transversalibus inter nervos imâ unitos rectiusculis v. leviter curvatis distincte reticulatis. — *Urtica alba* Herb. Rwdt. (ex parte). — A *M. ochroneurâ* distinguitur foliis longius acuminatis basi obtusis distinctius serrulatis, quorum nervi ad basin brevissime uniti, ut folia sint subtriplinervia. — In Celebes.

392. Missiessya candidissima Bl.: ramulis petiolis nervisque subtus fusco-tomentosulis et pilis albidis hirtulis; foliis subrotundo-ovatis v. lato-ellipticis ($\frac{1}{2}$—1 ped., $4\frac{1}{2}$—$7\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—5 poll.) cuspidatis basi rotundatis v. obtusis chartaceis v. subcoriaceis supra basin acute dentato-serratis supra scabriusculis subtus niveo-tomentosis, venulis transversalibus inter nervos curvatis simplicibus v. inconspicue reticulatis. — *Touchardia candidissima* Bl. *Mus. Bot.* II. fig. XXIV. — *Missiessya javanica* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4$^{\text{me}}$ Sér. I. 195. 6. — *Lecocnide candidissima* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 37. 2. — *Leucosyke javanica* Zöll. et Moritz *Syst. Verz.* 76. N°. 692. — *Boehmeria candidissima* Hasskl. *Cat. Hort. Bog.* 79. 7. et *Pl. Jav. rar.* 203 in Obs. — *Urtica candidissima* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 498. — *Kibuntur* Sund. — In sylvis montanis Javae ad altitudinem 3—4000 ped.

VILLEBRUNEA Gaudich. Flores dioici, dense glomerati v. capitati, capitulis in pedunculis furcatis v. cymosis. Masc. Perigonium tri-quadripartitum; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina 3—4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium ovoideo-ventricosum, ovario adnatum; limbo brevissimo, truncato v. obsolete dentato. Ovarium adhaerens, sessile, rectum, uniloculare. Ovulum unicum, e basi rectum, orthotropum. Stigma terminale, sessile, oblique discoideum, papilloso-ciliatum. Achenium ventricosum s. angulatum, carnosum, rectum, nucleo sublenticulari-compresso. Semen erectum. Embryon in axe albuminis carnosi inversum, rectum; cotyledonibus plano-convexis, obtusis; radiculâ brevi, cylindricâ, superâ. — Frutices in Asiâ tropicâ praesertim insulari et Japoniâ obviae; foliis alternis, integerrimis v. serrulatis, penni- v. mixtinerviis; stipulis axillaribus, bifidis; floribus femineis imâ intumescentiâ annulari carnosâ et bracteolis discretis suffultis.

Obs. Genus *Morocarpo* Sieb. et Zucc. affine, unde florum femineorum perigonio ovoideo-ventricoso, in fructu intumescentiâ carnosâ cupuliformi cincto, et habitu quoque differt, quod praecipue in Speciebus foliis penninerviis obtinet.

* *Folia penninervia.*

393. Villebrunea integrifolia Gaudich.: ramulis petiolis foliisque subtus in nervo medio dense hirtulis; foliis oblongis v. oblongo-lanceolatis ($3\frac{1}{2}$—10 poll., 1—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{4}$ poll.) cuspidatis basi obtusis v. acutiusculis integerrimis; pedunculis subtrichotomis petiolo duplo v. triplo brevioribus. Gaudich. in *Voy. Bonite Bot.* tab. 91. — *Urtica urophylla* Wall. *Cat.* N°. 437. — *Urtica appendiculata* Wall. *Cat.* N°. 4604. — In montanis Sillet Indiae orientalis.

394. Villebrunea rufescens Bl.: ramulis petiolis foliisque subtus in nervo medio subpubescentibus; foliis ellipticis v. elliptico-oblongis (4—8 poll., $1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{4}$ poll.) cuspidatis basi obtusiusculis inferne integerrimis superne obsolete denticulatis; pedunculis furcatis v. dichotomis brevissimis. — Arbor 20—30 ped. Ramuli et petioli in siccis rufescentes, juniores canescenti-hirtuli. Color petiolorum in vivis rubicundus. Folia alternatim minora ac brevius petiolata, inferne ultra medium integerrima, versus apicem minutissime denticulata. Cymae valde contractae. — Cum Varietate in Novâ Guineâ.

β *Var. pubescens:* ramulis petiolis foliisque subtus in nervo medio densius pubescentibus; foliis medio v. infra medium ad apicem obsolete denticulatis.

395. Villebrunea semicrenata Bl.: ramulis petiolis foliisque subtus ad nervum medium sericeo-puberulis; foliis ellipticis (5—10 poll., $2\frac{1}{2}$—4 poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—$2\frac{1}{3}$ poll.) acuminatis basi rotundatis inferne integerrimis superne crenulatis; pedunculis furcatis v. dichotomis brevissimis. — *Urtica semicrenata* Herb. Zipp. — In umbrosis Amboinae.

396. Villebrunea sylvatica Bl.: ramulis petiolis foliisque subtus ad nervum medium pilis teneris appressis obsitis; foliis ellipticis v. elliptico-oblongis lanceolatisve (2—$6\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ poll. lat. pet. $\frac{1}{4}$—2 poll.) acuminatis basi acutis v. obtusis subintegerrimis v. repandis v. plus minus crenato-serrulatis; pedunculis simplicibus furcatis dichotomisve petiolo vulgo brevioribus. — *Oreocnide sylvatica* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 40. 1. — *Böhmeria sylvatica* Hasskl. *Cat. Hort. Bog.* 79. 2. — *Urtica sylvatica* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 506. — *Procris longifolia* (haud Bl.) Herb. Rwdt. (ex parte). — *Nangsie* Sund.; *Meniran* et *Djurang* Jav. — In sylvis montanis Javae, Sumatrae.

β *Var. sumatrana:* ramulis petiolis foliisque subtus ad nervum medium pubigeris; foliis repandis v. repando-crenato-serrulatis. — In Sumatrâ.

γ *Var. serrulata:* ramulis petiolis foliisque subtus ad nervum medium pubigeris; foliis acute serrulatis. — *Nangsie lalakki* Sund. — Ad radicem montis Pulassarie in Provinciâ Bantam Javae occidentalis.

397. Villebrunea rubescens Bl.: ramulis petiolis foliisque subtus ad nervum medium molliuscule puberulis; foliis elliptico-oblongis v. oblongo-lanceolatis (2—8 poll., 1—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis v. cuspidatis basi obtusis v. rotundatis aut subcordatis infra medium ad apicem repandis v. crenulato- v. denticulato-serratis; pedunculis simpliciter furcatis dichotomisve petiolo vulgo brevioribus. — *Oreocnide major* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 41. 3. — *Böhmeria? rubescens* Hasskl. *Cat. Hort. Bog.* 79. 3. Ejusd. *Pl. Jav. rar.* 203 et 207. Obs. 2. — *Urtica rubescens* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 506. — *Urtica scabra* (haud Bl.) Herb. Zöll. N°. 577 et 581. — *Procris longifolia* (haud Bl.) Herb. Rwdt. (ex parte). — *Procris punctata* Herb. Rwdt. — *Nangsie* Sund.; *Djurang* Jav. — Tam folia magnitudine, quam petioli longitudine valde variant. A *V. sylvaticâ* foliis basi plerumque obtusis v. rotundatis v. subcordatis subtus in nervis molliuscule puberulis parum differt. — In Javae sylvis montanis.

398. Villebrunea glomerata Bl.: ramulis petiolis foliisque subtus ad nervum medium molliuscule puberulis; foliis lanceolatis (4—6 poll., $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 4—5 lin.) acuminatissimis basi obtusiusculis subintegerrimis v. superne acute serrulatis; floribus masculis glomerulatis axillaribus. — Affinis *V. pilosulae* (*Oreocnidi pilosulae* Miq.) in quâ pedunculi dicuntur di- trichotomique. — In Javae Provinciâ Bantam.

*** Folia basi trinervia.*

399. Villebrunea frutescens Bl.: foliis ovato-oblongis v. oblongo-lanceolatis (1—5 poll., ½—2 poll. lat., pet. 2 lin. —2¼ poll.) cuspidatis basi rotundatis retusis v. obtusiusculis grosse serratis concoloribus v. subtus niveo-tomentosis; floribus masculis glomeratis axillaribus et lateralibus, femineis subcapitatis. — *Morocarpus edulis* Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Akad. Wiss.* 3te Abth. 218. N°. 765 (planta masc.!) Bl. *Mus. bot.* II. fig. XVI. ii. mas. — *Böhmeria frutescens* Thunb. in *Act. Soc. Linn. Lond.* II. 339. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 343. 10. Pers. *Syn. Pl.* II. 556. 10. — *Urtica frutescens* Thunb. *Flor. Jap.* 70. Lam. *Enc. bot.* IV. 645. 43. Roxb. *Flor. Ind.* III. 589. 14. — *Urtica* Wall. *Cat.* N°. 9091. — *Ko sijô bok* Japonice. — Magnitudine foliorum, quae modo subtus niveo-tomentosa, modo in eodem subinde ramulo utrinque concolora et nullo subtus tomento, et, ut serraturae plerumque satis magnae, modo acuta, modo obtusa, adeo variat, ut facile ea non unius esse Speciei existimes, quamquam nihil certius esse plurimis comparatis speciminibus constat. — In Japoniâ, atque in Napaul Indiae orientalis.

400. Villebrunea rhodopleura Bl.: foliis lanceolatis (1—3¾ poll., ½—1 poll. lat., pet. 2—7 lin.) acuminatissimis basi acutis denticulato-serrulatis subtus niveo-tomentosis; capitulis breviter pedunculatis solitariis v. paucis subracemosis. — *Urtica rhodopleura* Herb. Zipp. (ex parte). — In Novâ Guineâ.

401. Villebrunea murina Bl.: foliis ovatis v. ovato-oblongis (1½—2½ poll., ¾—1¼ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acutis v. acuminatis ad basin integerrimis infra medium ad apicem obtuse serrulatis supra scabridis subtus murinis et molliter tomentosis; capitulis in pedunculo brevi (paucis) subramosis. — In Novâ Guineâ (Zipp.).

PHENAX Wedd. Flores monoici rarius dioici, in axillis foliorum densissime fasciculato-glomerati, masculi et feminei in Speciebus monoicis intermixti, bracteis majusculis involucrati. Masc. Perigonium quadri-quinquefidum v. partitum; laciniis aequalibus, praefloratione induplicato- v. infracto-valvatis. Stamina 4—5, perigonii laciniis opposita, filamenta complanato-subulata, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium ovario adnatum, compressum, ore valde contractum, limbo nullo. Ovarium uniloculare, ovulo solitario, basilari, orthotropo. Stigma terminale, filiforme, saepe longissimum, cum apice ovarii articulatum, unilateraliter stigmatoso-papilligerum. Achenium sublenticulari-compressum, laeviusculum, crustaceum. Semen erectum. Embryon in axe albuminis carnosi inversum, rectum; cotyledonibus subrotundis, plano-convexiusculis; radiculâ brevissimâ, obtusâ, superâ. — Suffrutices in Americâ tropicâ et subtropicâ necnon in insulâ Mauritio vigentes, *Böhmeriae* facie; foliis alternis, varie serratis v. crenatis, rarissime integerrimis, mixtinerviis; stipulis scarioso-persistentibus.

Obs. Si V. Cl. WEDDELL, Generis hujus auctori, credas, flores feminei perigonio carent, sed secundum investigationes meas ovarium perigonio adnato ore valde contracto tectum est, quod propter intimam cohaesionem facile observatorem fugit. Illas hic tantummodo Species commemorabo, quas ipse exploravi.

402. Phenax urticaefolius WEDD.: foliis breviter petiolatis ovatis v. ovato-oblongis ($1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—1 poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi acutis obtusisve grosse serratis membranaceis laevibus v. rugosulis supra sparsim in nervis venulisque subtus densius pilosiusculis; glomerulis androgynis; floribus masculis tetrandris. WEDD. in *Ann. Sc. nat.* 4e Sér. I. 192. 2. — Herb. GALEOTTI N°. 310. — Perigonium masculum obtuse quadrangulare, profunde quadripartitum; laciniis erectis, ovato-lanceolatis, acuminatis, concavis, margine subinvolutis, dorso pilosiusculis, in praefloratione superne haud infractis sed erectis et induplicato-valvatis. Rudimentum pistilli subuliforme, villosum. Stamina 4, vix exserta, in fundo perigonii circum pistillum rudimentarium inserta, interdum sub hoc in stipitem brevem crassum unita; filamentis complanatis, subulatis. Antherae subrotundae, utrinque emarginatae, dorso affixae. Perigonium femineum ovario adnatum, compresso-ellipsoideum, subobliquum, nempe hinc rectius, illinc convexius. Stigma perigonio tri-sextuplo longius, filiforme, vulgo sigmoideum, uno latere papilloso-scabridum, basi constrictum et articulatum. Achenium ovoideum, obsolete marginatum, margine superne scabridum, stigmate caudatum. — Cum Varietate, in quâ perigonia mascula minus acuminata et stigmata florum femineorum altero latere magis papilloso-villosiuscula, in Mexico.

β *Var. elongata:* foliis vulgo minoribus rugosis minus grosse serratis. — *Böhmeria elongata* FISCHER. LINK *Enum. alt.* II. 384. LINNAEA (1830) V. 81. 35.

403. Phenax pentandrus BL.: foliis caulinis longiuscule ramealibus breviter petiolatis ovatis (1—$2\frac{1}{4}$ poll., $\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll., pet. $\frac{1}{4}$—1 poll.) acuminatis basi subrotundatis obtuse crenato-serratis membranaceis laeviusculis supra et in nervis subtus sparsim pilosiusculis; glomerulis androgynis; floribus masculis pentandris. — Bracteae majores, qui flores arcte involucrantur, subrotundae, aliae minores oblongae, omnes scariosae, pallide ferrugineae, ciliatae, dorso superne pilis raris strigosulae. Flores androgyni, subsessiles, masculi majusculi. Perigonium masculum e basi campanulatâ angulatâ quinquefidum; laciniis brevibus, ovatis, acutis, praefloratione valvato-infractis, extus ad infractionis marginem plicâ s. cristulâ transversali erosulo-ciliatâ. Stamina 5, breviter exserta, filamentis complanatis, subulatis. Pistilli rudimentum minutissimum, fusiforme, villosum. Fem. Perigonium, quod facile prorsus abesse existimes, quia ovarium plane vestit eique arcte adnatum est, ellipticum, compressum, ad exortum stigmatis valde contractum, glabriusculum s. margine superne pilis brevibus raris conspersum, limbo nullo distincto. Ovarium perigonio conforme, vertice tantum subattenuatum, quo fit ut in marginibus semipellucidis vestitum perigonio adnato appareat, in basi ovulum erectum fovens. Stigma terminale, filiforme, ovario dimidio v. duplo longius, unilateraliter papilloso-scabridum, imâ articulatum. Achenium ellipticum, lenticulari-compressum, perigonio angustissime marginatum. — A *Ph. urticaefolio* et, ut videtur, a reliquis quoque Speciebus, quas V. Cl. Weddell prodidit, floribus pentandris diversa. — In Brasiliâ.

404. Phenax tomentosus Wedd.: foliis alternatim longiuscule petiolatis ovatis ($\frac{3}{4}$—1$\frac{1}{2}$ poll., $\frac{2}{3}$—1 poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—1$\frac{1}{4}$ poll.) acutis v. obtusis basi rotundatis et brevissime in petiolum constrictis crenato-serrulatis membranaceis rugosis supra sparsim pilosiusculis subtus dense tomentosis; glomerulis androgynis; floribus masculis tetrandris. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^e Sér. I. 192. 4. — Coll. J. Linden N^0. 810. — In Novâ Granadâ.

405. Phenax angustifolius Wedd.: foliis brevissime petiolatis lanceolatis (1$\frac{1}{2}$—4 poll., $\frac{1}{4}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—4 lin.) acuminatissimis basi acutiusculis serrulatis coriaceis rugosulis supra glabris nervis venulisque subtus pilis albidis strigosis; glomerulis dioicis; floribus masculis tetrandris. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^e Sér. I. 193. 12. — *Boehmeria angustifolia* Kunth. in Humb. et Bonpl. *Nov. Gen. et Sp. Americ. aeq.* II. 34. Kunth. *Syn. Pl. Orb. Nov.* I. 371. 1. Spr. *Syst. Veg.* III. 845. 24. — Herb. Pöppig N^o. 1315. — In Peruviâ, Brasiliâ, cet.

Ord. **Halogareae.** Subord. **Gunnereae.**

GUNNERA Linn. (Cf. Character genericus *Mus. bot.* II. 99).

Obs. 1. Character genericus in eo emendandus, quod flores masculi interdum sunt apetali, siquidem *Misandra* Commers., ut jam suspicabatur A. L. de Jussieu V. Ill. in *Gen. Pl.* p. 405, a *Gunnerâ* non separanda est. Quodsi *Misandram* servare velis, haud ullâ re quam floribus dioicis et petalorum in floribus masculis defectu a Genere Linneano distinguas. Petala autem vel in iis *Gunnerae* Speciebus, quibus flores sunt hermaphroditici vel monoici, facile latere possunt, quoniam jam mature, excrescentibus staminibus, a margine calycis sejunguntur et decidunt; unde factum est, ut v. c. V. Cl. Raoul in *Plant. nouv. Zéland.* p. 15. tab. 8. flores masculos in *Gunnerâ monoicâ* tamquam apetalos describat et depingat, calycemque bracteam esse putet, quod parum congruit genuinis speciminibus a me in Herb. Mus. Paris. exploratis, de quibus cf. descriptio mea hujus plantulae in hoc ipso Vol. p. 103. N°. 266. Itaque nec *Gunneram repentem* HOOK. FIL. e Novâ Zelandiâ a *Gunnerâ monoicâ* RAOUL differre puto. Atque similem errorem in fabricâ florum masculorum *Milliganiae* HOOK. *Icon.* tab. 299 suspicari licet, ob habitum hujus plantulae *Gunnerae* illi e Novâ Zelandiâ simillimum, qui non minus cum aliis quibusdam, veluti cum *G. lobatâ* HOOK. FIL. et, de quâ nunc dicemus, *G. integrifoliâ*, intercedit. Quemadmodum ab HOOKER V. Cl. descripta et depicta est *Milligania*, a *Gunnerâ* vix distinguitur floribus masculis monantheris, nudis, unibracteatis, calyce florum femineorum inaequali-tripartito; denique stylis binis subexcentricis, aequalibus, rarius quatuor per paria approximatis, paribus inaequalibus.

Obs. 2. Plane omisi quae de hoc Genere et quibusdam Speciebus exposuit HOOKER FIL. V. Cl. in *Florâ Antarcticâ* II. p. 273—275, ex quibus viri de re botanicâ optime meriti elucet ingenii acumen. Affinitatem *Milliganiae* HOOK. *Icon.* tab. 299 cum plantulâ magellanicâ *Dysomene* FORST. *Comm. Götting.* IX. 45 jam indicavit ENDLICHER V. Ill. *Gen. Pl. Suppl.* II. 94. N°. 6139/1, fide speciminis autographi Herb. JACQ. in Mus. Caes. Vindob., quod in manibus habeo cum titulo: „*Dysemone integrifolia* BANKS et SOLAND.” Inflorescentia mascula hujus speciminis floribus constat, similiter atque in *Milliganiâ*, simpliciter spicatis, quâ re solâ haec plantula satis distinguitur a *Gunnerâ magellanicâ* LAM. s. *Misandrâ* COMMERS., cujus spicae masculae ramosae. Nihilo minus V. Cl. HOOKER FIL. *l. c.* 274 *Dysemonen integrifoliam* BANKS et SOLAND. ut synonymam laudat *Gunnerae magellanicae* LAM., a quâ praeterea foliis multo minoribus differt. Reverâ *G. magellanica* LAM. pro variâ locorum naturâ magnitudine foliorum petiolorumque variat, id quod specimina Herb. JACQ. FIL. in Mus. Caes. Vindob. probant. Unum ex illis, masculum vitiosum e freto magellanico, ab ipso COMMERSON oriundum est, fide tituli autographi A. L. DE JUSSIEU nomine *Misandrae.* Satis convenit cum stirpe Chiliensi a me commemoratâ et cum figurâ laudatâ LAMARCK, sed folia paulo majora et petioli 5 ad 8 poll. et amplius longi. Alteri specimini multo humiliori, indidem ex freto magellanico, cum inflorescentiâ femineâ, COMMERSON suâ ipse, ni fallor, manu adscripsit: „*Misandra. La Boudeuse.* „Sex. toto distincti. Masculi seu stamina apetala in racemum composi„tum disposita, scapo foliis altiori. Femina seu pistilla in amentum „compactum conglobatum digesta, scapo nullo v. brevissimo. Germina „ovata, distyla; capsulae ovatae, uniloculares, bivalves, monospermae, „seminibus subrotundis.” — Haec illa est Varietas s. forma *G. magellanicae* LAM., quam HOOKER V. Cl. in *Icon.* tab. 489 et 490 nomine *Gunnerae* (Misandrae) *Falklandicae* descripsit, sed HOOKER FIL. V. Cl. in *Florâ Antarcticâ* rursus cum *G. magellanicâ* LAM. conjunxit. Folia ejus minora, etiam supra hirsutula, petioli quoque multo breviores magisque ferrugineo-hirsuti, quam stirpis a LAMARCK descriptae, quam modo memoravimus. Attamen primo statim aspectu haec Varietas *Dysemones integrifoliae* Mus. Caes. Vindob. spicis masculis ramosis agnosci potest.

406. Gunnera (Misandra) **integrifolia** BL.: dioica; foliis reniformibus (5—7 lin., 6—9 lin. lat., pet. 5—8 lin.) crenatis plicatis in nervis subtus petiolisque pilosiusculis v. tandem glabriusculis; scapis spiciformibus, femineis subsessilibus ovoideis, masculis longe pedunculatis simplicibus laxifloris. — *Dysemone*

Forst. *Comm. Götting.* IX. 45. — *Dysemone integrifolia* Banks fide speciminis Herb. Jacq. fil. in Mus. Caes. Vindob. — *G.* (Misandrae) *lobatae* Hook. fil. proxima, praesertim inflorescentiâ masculâ, non foliaturâ, quae in illâ quinque- v. septemloba, in nostrâ crenata. Caudex repens, crassitie calami scriptorii, carnosus, angulatus, glaber, stolonifer, foliis confertis squamisque sessilibus rotundatis concavis membranaceis rufescentibus scariosis stolones obsidentibus. Petioli plus minus rufescenti-pilosiusculi, suprâ canaliculati, ad basin dilatati. Folia satis grosse crenata (crenis partim glanduloso-mucronulatis, partim eglandulosis), vulgo ad margines subciliata et in nervis subtus protuberantibus pilosiuscula v. interdum utrinque glabriuscula, membranacea, plicata, palmatinervia. Scapi inter squamas et folia erumpentes, spiciformes, breves, circiter $\frac{2}{3}$ poll. longi, simplices, dioici; masculi graciliores, pedunculo suprapollicari subpubescente suffulti, laxiflori; feminei subsessiles, ovoidei, densiflori. Flores masculi brevissime pedicellati, pedicellis ebracteatis v. nonnullis ad exortum e rhachi ungulatâ cum bracteâ parvâ subulatâ. Calyx brevis, fere ad basin usque in bina segmenta lineari-lanceolata acuta subaequalia erecta supra medium cito sphacelata divisus. Petala in specimine nostro desunt. Stamina duo, erecta, opposita, segmentis calycis alterna iisque multo majora, glabra. Filamenta brevia, lacinias calycis vix adaequantia, teretiuscula. Antherae maximae, erectae, complanato-ellipsoideae, in mucronem brevem obtusum desinentes, basi retusâ affixae. Flores feminei dense conglobati, sessiles, bracteis minutis subulatis intermixti. Calyx ovoideus, adhaerens, ore constrictus, bidentatus, dentibus apice cito emoriente obtusis. Stigmata duo, filiformia, calyce duplo longiora, subaequalia v. interdum inaequalia, divaricata, undique papilligera. Drupae fere magnitudine pisi minuti, ovoideo-globosae, carnosae, glabrae, rubentes, in vertice vulgo stigmatibus persistentibus et rudimentis dentium calycinorum instructae. — Descriptio nititur speciminibus Forster in Mus. Caes. Vindob., quibus Nakaland ut locus natalis ascriptus est.

Ord. **Orchideae.** Subord. **Arethuseae.**

PACHYCHILUS Bl. Perigonii phylla erecto-patentia, libera; lateralia exteriora basi obliqua; interiora angustiora. Labellum basi angustatâ gibbum v. inflatum, pedi gynostemii nonnihil producto continuum, erectum, concavum, apice trilobum, disco cristatum. Gynostemium arcuatum, clavatum, apice auriculato-dilatatum. Anthera terminalis, androclinio semiimmersa, bilocularis, loculis quadrilocellatis. Pollinia 8 ($\begin{smallmatrix}\circ\circ\\\circ\circ\end{smallmatrix}\ \begin{smallmatrix}\circ\circ\\\circ\circ\end{smallmatrix}$), ovata, subaequalia, farinaceo-pulposa, apice materie elasticâ quaternatim cohaerentia. — Herbae in Asiâ tropicâ insulisque vicinis observatae, terrestres, aphyllae; rhizomate tuberoso; scapo vaginis scariosis vestito; floribus laxe racemosis, nutantibus, albidis v. lilacinis, pubescentibus.

Obs. In opere praestantissimo suo, *Gen. et Spec. Orchid.*, V. Cl. Lindley silentio plane omisit Genus meum *Pachychilum*, antea jam in *Bijdr. Flor.*

Ned. Ind. 376 nomine *Pachystoma* descriptum et ab ENDLICHER *Gen. Plant.* 195 dubitanter ad *Bletiam* RUIZ. et PAV. relatum. Prioritatis causa restituendum est eique, praeter duas hic breviter notatas, hae adjungendae Species, nempe: 1. *P. senilis.* 2. *P. Smithianus.* 3. *P. chinensis* et 4. *P. montanus*, quas cunctas in opere laudato tanquam *Apaturiae* Species descripsit LINDLEY V. Cl. — Hocce Genere verosimiliter adhuc Genus *Ipsea* LINDL. *Gen. et Spec. Orch.* p. 124. conjungendum.

407. Pachychilus pubescens BL.: phyllis perigonii interioribus spathulato-linearibus obsolete trinerviis; labelli lobis lateralibus obtusis, intermedio longiore obcordato lineis quinque verrucoso-pubescentibus supra medium subconfluentibus. — *Pachystoma pubescens* BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 376. fig. XXIX. — In graminosis Javae.

408. Pachychilus pantanus BL.: phyllis perigonii interioribus spathulato-linearibus quinquenerviis; labelli lobis lateralibus obtusis, intermedio paulo longiore obcordato lineis quinque verrucosis inaequalibus supra medium evanidis, laterali utrâque dense pubescente, intermediâ ad apicem clavato-incrassatâ. — *Neottia pantanis* Herb. KORTHS. — In Borneo prope Padong Pantan locis apertis graminosis a KORTHS. V. Cl. repertus.

Trib. **Gastrodieae.**

GASTRODIA ROB. BRWN. Perigonium monophyllum, ventricosum, limbi breviter quinquelobi lobis subsecundis. Labellum inclusum, liberum, pedi gynostemii incurvo fundo perigonii connato sine articulatione junctum, gynostemio incumbens. Gynostemium semiteres, antice ad apicem subbidentatum, basin versus incrassato-stigmatosum. Anthera terminalis, brevissime stipitata, bilocularis, decidua; loculis approximatis, longitudinaliter bilocellatis. Pollen e granulis majusculis liberis v. in duobus polliniis bilobis elastice cohaerentibus. — Herbae in Asiâ tropicâ et extra tropicos in Novâ Hollandiâ, Novâ Zelandiâ et Japoniâ super aliarum stirpium radices v. in umbrosis in terrâ putridâ vegetantes; rhizomate tuberoso, subramoso; scapo aphyllo, squamis vaginato; floribus racemosis v. spicatis, bracteatis, sordide purpureis, albicantibus v. ochroleucis.

Obs. Quum Genus *Epiphanen* proponerem, jam intima ejus cum *Gastrodiâ* ROB. BRWN. perspicua mihi erat affinitas, quâcum eam conjunxit ENDLICHER V. Ill., dubitante adhuc LINDLEY V. Cl. in *Gen. et Spec. Orch.* 384. Ac sane si multum tribuas situi labelli, antico in *Epiphane*, in *Gastrodiâ* postico, aut cohaesioni polliniorum e granulis majusculis, quae, fide imaginis F. BAUER in ENDL. *Icon. Gen. Plant.* 5, per telam elasticam quatuor massulis per paria cohaerentibus conjunguntur, in *Epiphane* vero prorsus libera sunt, nullo telae ejusmodi granula pollinifera conjungentis vestigio, utrumque foret Genus retinendum. At in hoc quidem Ordine situm labelli characterem inferiorem et quasi vagum esse existimo, praesertim si non ab ovariorum, sed, ut saepe usu venit, a pedicellorum modo torsione pendet. Majoris forsitan momenti discrimen illud polliniorum videatur, sed ne hoc quidem, nisi alia characterum organorum fructificationis sit diversitas, tanti est, ut eo Genera nitantur, cum praesertim idem illud aut simile polliniorum discrimen in aliis quoque Generibus *Arethusearum*, veluti in *Pogoniâ*, reperiatur. Praeterea *Gastrodiae* ex Novâ Zelandiâ in spiritu vini servatae pollinia, haud aliter atque *Epiphanis javanicae* meae, sine ullâ telâ elasticâ granulis majusculis inconjunctis constant. Antheras quidem si diu ante, quam dehiscant, itaque ex alabastris novissimis explores, minus profecto granulosa illa polliniorum apparet structura, siquidem granula pollinifera reverâ in loculis antherae per telam cellulosam, quâ primo includuntur, massis subbilobis cohaerent, id quod in *Gastrodiae* Specie japonicâ vidi, quamquam et in illâ herba deinde plane evanescere videtur aut absorbetur. Haud aliter in quibusdam Speciebus *Vanillae*, nisi forte in omnibus, antherâ floris aperti continetur pollen subtile pulveraceum, initio modo, diu ante anthesin, duobus massis s. polliniis bilobis cohaerens, unde plane perspicitur talem pollinis conditionem in *Arethuseis* ad dignoscenda Genera minoris esse momenti. Haec sunt, quae faciunt, ut *Epiphanem* MIHI cum *Gastrodiâ* conjungere nullus dubitem. Ceterum *Gastrodiae sesamoidis* ROB. BRWN. nomine complures confundi videntur Species, quapropter illas vivas accuratiori examini submittere suadeo.

Sect. 1. *Verae.* Perigonium tubulosum, antice non multum hians, ut vix conspicuum sit labellum.

409. Gastrodia antennifera BL.: floribus brevissime pedicellatis; bracteis pedicello longioribus acuminatis; perigonii lobis exterioribus inaequalibus, lateralibus dorsali latioribus, acutiusculis; gynostemio abbreviato antice ad apicem appendicibus binis carnosis recurvis tortis. — In Novâ Zelandiâ a V. Cl. HOOKER FIL. lecta, cui scapi apicem, cum floribus nonnullis in spiritu vini servatum, acceptum debeo. Cum *G. sesamoide* ROB. BRWN. commutatam eam esse suspicor, quippe quae, auctore V. Cl. LINDLEY *Gen. et Spec. Orch.* 384., ibidem ab A. CUNNINGHAM reperta foret. Ab hac, quam nonnisi ex imagine F. BAUER in ENDLICHER *Iconographiâ* novi, manifesto diversa est floribus brevissime pedicellatis itaque non racemosis sed spicatis, bracteis magis acuminatis, perigonii lobis inaequalibus, praecipue vero gynostemio magis abbreviato antice ad apicem appendicibus binis parvis tortis instructo.

410. Gastrodia gracilis BL.: floribus longe pedicellatis; bracteis pedicello duplo triplove brevioribus; perigonii lobis exterioribus subaequalibus obtusissimis; gynostemio abbreviato antice ad apicem dentibus binis subulatis arrectis. — In Japoniâ, *G. sesamoidi* ROB. BRWN. affinis, sed bracteis obtusis, floribus longius pedicellatis et gynostemio abbreviato satis diversa.

411. Gastrodia elata BL.: floribus brevissime pedicellatis; bracteis pedicello multo longioribus acuminatissimis; perigonii lobis exterioribus subaequalibus acutiusculis; gynostemio elongato antice ad apicem dentibus binis subulatis patentibus. — *Thien-mấ* (japonice *Ten-ma*) Sinice i. e. Cannabis coelestis s. Cannabis deorum; *Nusubitono-asi* i. e. pes ſuris; e Synonymis japonicis referri etiam merentur *Tau gásiva*, *Oto otosi*, *Kamino-jara* i. e. sagitta deorum. — Planta ob radicem in Materiâ medicâ Sinensium et Japonensium ad herbas montanas officinales refertur. Descriptio ejus a naturae investigatore sinensi Li schî-tschin data huc redit: „ *Thiên-mấ* „ verno tempore stolones profert, initio *Paeoniae officinalis* similes. Caulem „ emittit simplicem, 3—4 pedes recte ascendentem, hastili sagittae simi„ lem, coeruleo-rubrum, intus cavum. In superiore parte caulis evolvun„ tur squamae angustae acutae, quae in racemum terminalem abeunt. „ Procul visa tota planta sagittae pennatae non absimilis. Mense quarto „ floret; fructus ad fabarum magnitudinem perveniunt. Capsulae sexan„ gulares, iisque continetur substantia farinae tritici similis. Si in sole „ siccantur, plane arescunt; si vero, dum intus adhuc recentes sunt, „ decerpuntur et cauli cavo immittuntur, postea in terrâ germinant.” Fructus dicuntur *Huân thû́ng tsè* (Basile N°. 11, 164, 7453, 2059), i. e. semina, quae in tubum caulis redeunt. — In sylvis montanis Sinae et Japoniae.

412. Gastrodia verrucosa Bl.: floribus pedicellatis; bracteis pedicellum adaequantibus; perigonii lobis exterioribus subaequalibus obtusis extus verrucosis; gynostemio elongato antice ad apicem dentibus binis arrectis. — A Speciebus mihi cognitis floribus minoribus diversa. Perigonio suo antice minus profunde partito transitum ex alterâ in alteram Sectionem efficit. — In sylvis insulae Sumatrae.

Sect. 2. *Epiphanes*. Perigonium subfornicatum, antice fere ad basin usque apertum, ut totum conspicuum sit labellum.

413. Gastrodia javanica Endl.: perigonii lobis ovatis acutis inaequalibus, interioribus angustioribus; labelli cristâ nudâ. Endl. *Gen. Plant.* 212. N°. 1544. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 384. 2. — *Epiphanes javanica* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 421. fig. IV. — Stigma, ut verisimile, quale in *Gastrodiâ* Rob. Brwn. et *Epipogio* Gmel., non in apice gynostemii infra antheram, sed ab hac remotum inferne ad faciem anteriorem gibbere indicatum, vulgo pollinis granulis cumulatis occultatum, siquidem me illud in paucis floribus, quos dissecare potui, ibi quaerere memini, quâ a pictore Latour indicatum fuit. Ovarium breviter pedicellatum, turbinatum, sulcatum, haud tortum. — In sylvis uvidis montium Seribu Javae occidentalis.

414. Gastrodia Hasseltii Bl.: perigonii lobis ovatis obtusis inaequalibus, lateralibus exterioribus reliquis majoribus; labelli cristâ rugulosâ. — In interiori provinciâ Bantam, circa Lewebunger, mense Septembri florentem invenit divus van Hasselt florisque ipsius ambitum delineavit, additâ brevi annotatione, ex quâ nihil dubii superest, quin Specie a modo descriptâ differat.

Trib. **Epipogieae.**

STEREOSANDRA Bl. Perigonii erecto-conniventis phylla linearia, subaequalia, dorsale a reliquis nonnihil divergens. Labellum conforme, liberum, erectum, basi biglandulosum. Gynostemium breve, teretiusculum, erectum, ovario oblique insidens. Anthera terminalis, stipitata, arrecta, obtusa, carnosa, basi bilocularis, rostello brevi accumbens ac supra illud alte prominens. Pollinia 2, granulosa, caudiculae communi affixa. — Herba javanica, terrestris, aphylla; rhizomate tuberoso; scapo vaginato, floribus racemosis, albidis, apice violaceis.

Obs. Genus hoc novum inter Orchideas javanicas *Eucosiae* nostrae proxime affine, licet vegetatione *Galerae* similius, quocum et cum *Epipogio* Gmel. parvam quandam Tribum peculiarem, quodammodo mediam inter *Arethuseas* et *Neottieas*, constituere videtur. Ob labellum anguste acuminatum phyllis perigonii conforme et antheram cornosam solidam, tamen et ab Eucosiâ, et ab *Aetheriâ*, *Goodyerâ*, aliisque *Neottiearum* Generibus affinibus distinguitur. Nomen derivatum a *στερεός*, et *ἀνήρ*, ad habitum organi masculi significandum.

415. Stereosandra javanica Bl. — In umbrosis circa Harriang in provinciâ Bantam Javae occidentalis.

DICHOPUS Bl. Perigonii subringentis phylla erecto-patentia; lateralia a postico disjuncta, basi obliquâ inter se et cum gynostemii pede connata, calcar obtusum simulantia; interiora conformia, minora. Labellum sessile, gynostemii pedi elastice affixum, ascendens, ad basin excavatam utrinque laciniâ incurvâ, limbo elongato, superne trifido, lobo medio majore, recurvo. Gynostemium arrectum, semiteres, sub stigmate appendice cuneiformi auctum; androclinio antice obsolete bidentato. Anthera terminalis, subrotunda, bilocularis. Pollinia........ — Herba in Novâ Guineâ epiphyta, caulescens; foliis alternis, sessilibus, ovalibus oblongisve, oblique retusis, carnosis, glabris; pedunculis e squamis oppositifoliis erumpentibus, brevibus, subbifloris, lapsu foliorum racemum terminalem constituentibus.

Obs. Pollinia quum non viderim, utrum ad Subordinem *Malaxidearum*, an *Epidendrearum* hoc Genus referendum sit, certo affirmare non ausim, siquidem harum ad *Eriam*, illarum vero ad *Dendrobia* quaedam caulescentia accedit. Ex omnibus autem Generibus mihi cognitis appendice crassâ cuneiformi in basi stigmatis insignitur, unde nomen, ex *διχὰ*, dupliciter, et *ποῦς*, pes, compositum.

416. Dichopus insignis Bl. — In Novâ Guineâ ab hortulano Zippelius lecta et ex vivo a Latour depicta, cujus imaginem in describendis floribus sum secutus, cum eos in speciminibus vitiosis, quae mihi ad manum essent, explorare nequirem.

Lugduni-Batavorum, Kal. Januarii 1856.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Orchideae.** Subord. **Epidendreae.**

PHAJUS Lour. Perigonii phylla patentia v. conniventia, libera, subaequalia. Labellum ventricosum v. cucullatum, basi gynostemii adnatum et cum eâ in calcar unitum rarissime saccatum, integrum v. trilobum, disco saepius lineatum, lamellatum v. cristatum, limbo erecto v. patente. Gynostemium elongatum, semiteres, subarcuatum, apice dilatatum. Anthera terminalis, carnosula, quadri- v. obsolete octolocularis. Pollinia 8 $\left(\substack{\circ\circ \\ \circ\circ}\ \substack{\circ\circ \\ \circ\circ}\right)$, aequalia v. inaequalia, quaternatim membranae elasticae (s. caudiculae) replicato-bilobae annexa. — Herbae Asiae tropicae, epigaeae v. passim epiphytae, acaules v. caulescentes; caudice ad exortum caulium v. foliorum saepe pseudobulbigero; foliis plicato-nervosis; scapo caudicali v. in caule laterali rarissime terminali; floribus racemosis, speciosis.

Obs. Hoc uno discrimine a *Bletiâ* differt *Phajus*, quod labellum non liberum est, sed basi gynostemii brevissime adnatum et cum illâ in calcar unitum, quod plerumque breve, in nonnullis Speciebus satis elongatum. Anthera in plerisque Speciebus bilocularis, dissepimento in quovis loculo longitudinali incompleto.

1. *Genuini.* Labellum imâ cum basi gynostemii calcaratum. Rostellum abbreviatum. Pollinia ovoidea, compressa.

417. Phajus Tankervillii: acaulis; foliis lanceolatis acutis; scapo caudicali multifloro; perigonii phyllis lanceolatis acutis discoloribus; labello cucullato integro medio bicristato, limbo repando-undulato apice emarginato. — *Phajus grandifolius* (haud Lour.!) Lindl. *Gen.* et *Spec. Orch.* 126. 1 (ut in seqq. excl. citato Lour.). — *Bletia Tankervilliae* Rob. Brwn. in *Hort. Kew.* (ed. 2^{a}) V. 205. 1. Loddig. *Cab. Bot.* N°. 20. *Bot. Magaz.* 1924. Lindl. Bauer *Illustr. Orch. plants* Fasc. I. tab. 1 (anthera et pollinia), tab. 6. (structura stigmatis). *Pachyne spectabilis* Salisb. in *Trans. hort. Soc.* I. 261. — *Limodorum Incarvillei* Pers. *Syn. Pl.* II. 520. 1. — *Limodorum Tankervilliae* Ait. *Hort. Kew.* (ed. 1^{a}) III. 302. tab. 12. Herit. *Sert. Angl.* 28. Lam. *Enc. bot.* III. 516. 4. Sw. *Nov. Act. Ups.* VI. 79. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 122. 1. Redouté *Liliac.* 43. Schneev. *Icon.* 5. *Bot. Repos.* 426. van Geel *Sert. bot.* cum tab. — *Ph. grandifolius* Lour. caulescens est, itaque cum hoc commutari nequit. — E Sinâ diu caldariis nostris importata.

418. Phajus Blumei LINDL.: acaulis; foliis lanceolatis acuminatis; scapo caudicali multifloro; perigonii phyllis lanceolatis acuminatissimis discoloribus; labello ventricoso intus bicristato, limbi semitrilobi lobis rotundatis, intermedio majore ovato undulato apice mucronato v. breviter cuspidato. LINDL. *Gen. et Spec. Orch.* 127. 3. DE VRIESE in *Ill. Orch.* cum tab. (excl. Synon. plur.). — *Limidorum Incarvillei* (haud PERS.) BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 374. — *Angrek* s. *Angrek bener* s. *Angrek betul* Sund. — Animadvertendum in plerisque floribus juxta perfectam unam et vel duas antheras minus magisve difformes et retinaculis destitutas reperiri. — In Javâ non solum ob florum speciem et magnitudinem in hortis cultus, sed etiam in sylvis montanis provinciarum occidentalium, veluti in Salak, Kendang cet. sponte crescens.

419. Phajus callosus LINDL.: acaulis; foliis lato-lanceolatis acuminatis; scapo caudicali laxifloro; perigonii phyllis lineari-oblongis obtusiusculis discoloribus; labello ventricoso axe intus elevato sub apice bicalloso, limbi trilobi crenato-crispatuli lobis lateralibus rotundatis, intermedio majore patente semibilobo cum mucrone. LINDL. *Gen.* et *Spec. Orch.* 128. 8. — *Limodorum callosum* BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 374. fig. LXI. — A *Ph. Wallichii* et *Ph. Blumei* LINDL., quibus vegetatione similis, phyllis perigonii obtusiusculis colore non ut in illis subtus albo sed purpurascente, et conformatione labelli satis diversus. — In sylvis montanis Javae occidentalis.

420. Phajus bicolor LINDL.: acaulis; foliis lanceolatis acuminatis; scapo caudicali multifloro; perigonii phyllis lineari-lanceolatis acuminatis discoloribus; labello cucullato-ventricoso integro in axe ad basin lamellis duabus planis, limbo patente cuspidato undulato. LINDL. *Gen.* et *Spec. Orch.* 128. 6. EJUSD. *Sert. Orch.* tab. 23. — Flores speciosi. Perigonii phylla extus flavovirentia, intus coccinea. Labellum inferne luteum, limbo roseo. — In Zeylaniâ.

421. Phajus grandifolius LOUR.: caulescens; foliis lato-lanceolatis; perigonii phyllis lanceolatis discoloribus; labelli convoluti limbo reflexo undulato. LOUR. *Flor. Cochinch.* (ed. WILLD.) 647. 1. — *Hâc lon* Sinice. — Auctore LOUREIRO in hortis Cochinchinae et Sinae cultus, floris pulcritudine aestimabilis. Haec quamvis ab eo non satis accurate descripta sit Species, tamen eam ab illâ planta, quae nomine *Limodorum Tankervilliae* jam diu Europae importata fuit, differre hinc jam intelligitur, quod haec acaulis, illa vero caulescens sit. Quodsi colore florum utraque conveniat, tamen ne sic quidem una eademque Species existimanda est, siquidem et aliae innotuerunt Species, quae hac in re saltem cum herba Sinensi satis congruunt, veluti *Ph. Wallichii*, *Ph. Blumei* et *Ph. callosus* LINDL. Bracteis quoque persistentibus, quas in charactere naturali tamquam spathas unifloras descripsit LOUREIRO, ab illâ differre videtur. Quae de vegetatione habet, ex LOUREIRO desumemus: „Planta terrestris, caule sesquipedali, simplicissimo, tereti, crasso, „erecto. Folia lato-lanceolata, magna, plicato-sulcata, glabra, erecta, „pauca, amplexicaulia. Scapus nudus, teres, polyflorus, caulem aequans. „Color floris a facie subniger, a tergo albissimus. Odor nullus.”

422. Phajus Rumphii Bl.: caulescens; foliis oblongo-lanceolatis acuminatis; scapo caulino (?) multifloro; perigonii phyllis oblongis obtusis; labello cucullato trilobo, lobis plicatis, intermedio bilobo. — *Angraecum terrestre primum* Rumph. *Herb. Amb.* VI. 112. Tab. LII. fig. 1. A. — *Angrek tanna* s. *Daun corra corra* Malaice; *Ahaan* Amboinensium. — Foliis magnis admodum flexilibus utuntur, ut fructus varii generis, qui ad forum portantur, iis involvant, aut lagenas vini palmarum adstringant; flores ornamento sunt. Hanc Speciem nonnisi e Rumphio cognovi, quae *Ph. calloso* Lindl. proxime affinis videtur. Fide imaginis laudatae, scapus elongatus e caule oritur, at si descriptioni fidem habeas, e lateribus pseudobulborum, neque ei accurate congruit conformatio labelli. — In Amboinâ locis arduis, maxime in vallibus, ubi humus terrae ruinâ delapsa est.

423. Phajus flavus Lindl.: caulescens; bulbis ovoideo-globosis; foliis lanceolatis acuminatis; scapo caudicali multifloro; perigonii phyllis oblongis obtusis; labello cucullato in axe lineis tribus infra limbum subtrilobum usque elevatis, lobis rotundatis, intermedio majore eroso-crispatulo. Lindl. *Gen.* et *Spec. Orch.* 128. 9. — *Limodorum flavum* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 375. — *Angrek* Sund. — Terrestris in sylvis altioribus montium ignivomorum Javae occidentalis, ubi Speciem hanc floribus magnis flavis insignem e. g. in sylvis Gedéh exploravi.

424. Phajus flexuosus Bl.: caulescens; foliis lanceolatis acuminatis; scapo caudicali flexuoso apice paucifloro; perigonii phyllis exterioribus oblongis acutiusculis, interioribus spathulato-obtusis; labello cucullato integro retuso in axe lineis tribus non multum elevatis fere ad limbum retusum crispatulum ascendentibus. — *Ph. flavo* Lindl. perquam affinis, differt tamen scapis in apice paucifloris, phyllis exterioribus perigonii acutiusculis, lineis elevatis ad labelli limbum subintegrum altius ascendentibus, denique gynostemio antice fere imberbi magis arcuato. Utrique hoc quoque commune, quod flores laesione v. siccando in colorem coeruleum indicum transeunt, id quod pluribus aliis Speciebus hujus Generis et *Calanthi* Rob. Brwn. accidere solet.

425. Phajus indigoferus Hasskl.: caulescens; foliis oblongo-lanceolatis acuminatissimis 3—5-nerviis; scapo caulino laxifloro; perigonii phyllis lineari-oblongis obtusiusculis; labello cucullato in axe costis tribus non multum elevatis in limbum subtrilobum usque excurrentibus, lobis rotundatis, intermedio paulo majore emarginato crispatulo mucronulato. Hasskl. *Cat. Bogor.* 42. 4. Ejusd. *Pl. Jav. rar.* 127. 68. — *Limodorum flavum* (haud Bl.) Herb. Rwdt. — Inflorescentiâ caulinâ maxime a *Ph. flavo* et *Ph. flexuoso* diversa, quorum flores, ut hujus, laesione colore indico tinguntur. Caulis erectus, crassus, angulatus, herbaceus, viridis, squamis alternantibus vaginatus. Folia alterna, circiter pedalia, $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll. lata, plicata, glabra, subtus glaucina. Scapus fere ad basin caulis ex axillâ squamae, inferne pariter squamatus, 6—9-florus, bracteatus, bracteis basi vaginantibus, ovato-lanceolatis, convolutis, deciduis. Flores breviter pedicellati, patentes. Perigonium patenti-connivens, extus pallide virens, intus vitellinum, striis sanguineis; phylla externa internis vix longiora et paulo latiora, cuncta obtusiuscula. Labellum gynostemium superne cucullato-amplectens, album, dein vitellinum, intus striis punctisque sanguineis, medio costis tribus paulo prominentibus, aurantiacis, villis albidis cinctis. — In sylvis montium altorum Javae occidentalis.

426. Phajus crispus Bl.: caulescens; foliis elliptico-oblongis acuminatis 6—7 nervis; scapo caulino laxifloro; perigonii phyllis oblongis acutiusculis v. obtusis, interioribus latioribus; labello cucullato in axe tribus lineis elevatis limbum versus in cristam crassam sulcatam confluentibus; lobis rotundatis, intermedio magis producto angustiore emarginato crispato. — *Limodorum crispum* Herb. Rwdt. — Hanc Speciem e specimine imperfecto et imagine minus accuratâ V. Cl. Reinwardt cognovi. *Ph. indigofero* Hasskl. quam intime affinis est, sed foliis brevioribus 7—8 poll. longis, 2½—3 poll. latis, nervis sex septemve percursis et praesertim labello lineis elevatis limbum versus in cristam crassam confluentibus satis distinguitur. Flores magnitudine *Ph. flexuoso* et *Ph. indigofero* similes; perigonii phyllis patenti-conniventibus, pallide flavidis, deinde citrinis, labello praecipue in lobo intermedio crispo vitellino-marginato et in axe lineis ejusdem coloris; calcari obtuso, brevi, conico, obsolete puberulo. Lobi laterales labelli lobo medio magis producto crispato latiores, rotundati, margine erosi. Gynostemium antice in basi nonnihil dilatatâ pubescens. Rostellum sub antherâ antice emarginatâ lamellam brevem rotundatam obsolete retusam exhibens. — In Javae occidentalis sylvis altioribus.

427. Phajus amboinensis Bl.: caulescens; foliis lanceolatis acuminatissimis; scapo caulino multifloro; perigonii phyllis lineari-oblongis obtusis; labello ventricoso in axe cristâ crassâ sulcatâ in limbum trilobum excurrente, lobis rotundatis subaequalibus. — *Bletia amboinensis* Herb. Zipp. — *Angraecum terrestre alterum* Rumph. Herb. *Amb.* VI. 113. tab. L. fig. 3 (quod ad habitum bene, quod ad flores apertos male delin.!). — *Angrek tana* Malaice. — Specimini divi Zippelius ascriptum: „labello sulphureo, aliis partibus albis," quod cum colore florum a Rumphius indicato congruit, quos his verbis describit: „Flos externe quinque alba gerit phylla, et interne amplam „et flavam cassidem, quae alis suis columellam mediam trigonam am„plectitur." — In Amboinâ.

428. Phajus maculatus Lindl.: caulescens; bulbis conicis v. ovoideis angulatis; foliis lanceolatis acuminatis maculatis; scapo caudicali multifloro; perigonii phyllis lineari-oblongis obtusis; labello cucullato in axe tribus lineis parum elevatis limbum trilobum versus evanescentibus, limbi lobis lateralibus minoribus, intermedio majore emarginato plicato-crenato. Lindl. in Wall. *Herb.* N°. 3748. Ejusd. *Gen. et Spec. Orch.* 127. 5. Lodd. *Bot.*

Cab. tab. 1803. *Bot. Mag.* 3960 (excl. verosimiliter Var.). — *Bletia Woodfordii* Hook. *Bot. Mag.* 2719. — *Kin-kei-ran* Japonice. — In Napaliâ et fide speciminum V. Cl. V. Siebold et Bürger etiam in Japoniâ.

429. Phajus minor Bl.: caulescens; bulbis conicis subtetragonis; foliis lanceolatis acuminatis; scapo caudicali paucifloro; perigonii phyllis lineari-oblongis acutiusculis; labello cucullato ecristato, limbi semitrilobi lobis rotundatis, intermedio majore emarginato crenato-plicato. — An *Phajus maculatus* (β) *minor* Hook. *Bot. Mag.* 3960? — Folia non maculata, phylla perigonii acutiuscula et calcar labelli brevius et minus obtusum, ut in *Ph. maculato* Lind., cui maxime affinis. — In Japoniâ.

II. Subgen. *Limatodis.* Labellum imâ cum basi gynostemii calcaratum. Rostellum elongatum, rostratum. Pollinia elongato-ovoidea, compressa.

430. Phajus pauciflorus Bl.: caulescens; foliis elliptico-oblongis lanceolatisve acuminatissimis; racemo caulino paucifloro; perigonii phyllis lanceolatis acuminatis subaequalibus; labello ventricoso integro intus bicalloso, limbo patente crispulo apice retuso cum mucrone. — *Limatodis pauciflora* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 375. fig. LXII. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 253. 1. — Calcar labelli longitudine variabile. Planta sumatrana statura robustior. — In Javâ et Sumatrâ.

431. Phajus gratus Bl.: caulescens; foliis lanceolatis acuminatis; scapo caulino (?) multifloro; perigonii phyllis lanceolatis, interioribus angustioribus; labello cucullato trilobo in axe superne cristato, lobo medio obsolete crispo, lateralibus conniventibus. — *Angraecum terrestre primum altera species* Rumph. *Herb. Amb.* VI. 113. — *Angrek tanna* Mal. — A *Ph. Rumphii* floribus minoribus albidis distinctus magisque *Ph. paucifloro* accedere videtur. — In Amboinâ.

432. Phajus albus Lindl.: caulescens; foliis lanceolatis acuminatis subtus glaucis; racemo terminali paucifloro; perigonii phyllis lanceolatis acuminatis subaequalibus; labello cucullato integro in axe cristis quinque papillosis, limbo patente rotundato erosulo. Lindl. in Wall. *Pl. Asiat. rar.* II. 85. tab. 198. — Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 128. 7. — Herb. Wall. N°. 3749. — Flores albi, speciosi. Labellum disco luteo, venis roseis. — In Napaliâ et montibus Sillet.

III. Subgen. *Gastrorchis.* Labellum ecalcaratum cum basi gynostemii ventricoso-saccatum. Rostellum abbreviatum. Pollinia ovoidea, compressa.

433. Phajus tuberculosus Bl.: perigonii phyllis lanceolatis acutis, lateralibus exterioribus obliquis patenti-reflexis, interioribus angustioribus cum dorsali erecto-conniventibus; labello ventricoso trilobo supra basin intus villoso, lobis crispis, intermedio patente bilobo intus costis tribus callosis superne crassioribus. — *Bletia tuberculosa* Spr. *Syst. Veg.* III. 744. 12. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 123. 11. — *Limodorum tuberculosum* Pet.-Thouars *Hist. Orch. Maurit.* tab. 31. — In Madagascar.

434. Phajus villosus Bl.: perigonii phyllis lanceolatis acutis erecto-patentibus, interioribus angustioribus; labello ventricoso indiviso ecristato in axe villoso, limbo patente acuminato undulato. — *Bletia villosa* A. Rich. *Orch. Maur.* 42. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 123. 12. — *Limodorum villosum* Pet.-Thouars. *Hist. Orch. Maurit.* tab. 32. — In insulâ Mauritius.

ERIA Lindl. Perigonii subringentis phylla conniventia v. semipatentia, inaequalia; lateralia exteriora basi obliquâ pedi gynostemii adnata, calcar mentientia, interiora paulo minora, cum postico erecto-conniventia. Labellum gynostemii pedi elongato affixum, ascendens, concavum, intus callosum v. cristatum, limbo lobato v. integerrimo, erecto v. patente. Gynostemium oblique assurgens, semiteres, basi longe productum. Anthera terminalis, bilocularis, loculis obsolete quadrilocellatis. Pollinia 8 $\left(\begin{smallmatrix}\circ\circ & \circ\circ\\ \circ\circ & \circ\circ\end{smallmatrix}\right)$, incumbentia, compressa, aequalia v. inaequalia, materie elasticâ (s. caudiculâ spuriâ) colligata. — Herbae Indiae orientalis, epiphytae, polymorphae, nunc caulescentes, caulibus simplicibus rarius ramosis foliorum vaginis vestitis, nunc e caudice repente pseudobulbos oligo-v. polyphyllos proferente; foliis in caulescentibus distichis, vulgo coriaceis v. carnosis, apice saepe inaequalibus, — in pseudobulbigeris nervosis et interdum plicatis; inflorescentiâ spicatâ v. racemosâ, pauci-v. multiflorâ; floribus parvis v. interdum speciosis, bracteatis.

Obs. Sicut Genus *Dendrobium* Sw., hoc quoque valde polymorphum, ut, si levior videatur vegetationis character, Genera quoque ante a me proposita *Trichotosia*, *Cylindrolobus* et *Mycaranthes* cum *Eriâ* conjungenda vel Subgenera ejus habenda sint. Huic autem non unam herbam *Dendrobii* nomine descriptam annumerandam esse probabile est, quum Genera illa nonnisi numero polliniorum differant, quae in *Dendrobio* omnino nuda, in *Eriâ* vero materie elasticâ conjuncta sunt, quapropter hoc quoque Genus Subordini *Epidendrearum* accensendum esse censeo.

I. Subgen. *Cylindrolobus.* Labellum gynostemii pedi imâ in cristulam v. tuberculum protuberanti elastice affixum, limbo subfornicato. Gynostemium androclinio obtuse-biauriculato. Pollinia inaequalia. — Herbae caulescentes, glabrae; caulibus in caudice superficiali subfasciculatis, simplicibus; foliis sessilibus, distichis, coriaceis; racemis oppositifoliis lateralibusve, solitariis, paucifloris; capsulis elongatis, siliquaeformibus.

435. Eria compressa Bl.: caulibus superne tereti-compressis; foliis lanceolatis oblique-acuminatis coriaceis nervosis planis;

tuberculo gynostemii ad basin labelli aurantiaco puberulo; labelli disco cristato puberulo. — *Ceratium compressum* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 342. fig. XLVI. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 130. 1. — Locis montanis Javae occidentalis in arboribus.

436. Eria rigida Bl.: caulibus teretibus; foliis lanceolato-linearibus acuminatissimis coriaceis rigidis enerviis basi apiceque conduplicatis; tuberculo gynostemii ad basin labelli dense fimbriato-ciliato; labelli disco cristato-plicato imberbi. — In interiore Borneo, veluti in monte Pamathou a Korthals V. Cl. aliisque locis a divo Müller lecta.

437. Eria elongata Bl.: caulibus teretibus; foliis lanceolato-linearibus acuminatissimis coriaceis enerviis planis; tuberculo gynostemii ad basin labelli dilatato dense glanduloso-fimbriato; labelli disco cristato-plicato imberbi. — In Sumatrâ, Borneo cet.

II. Subgen. *Trichotosia.* Labellum subunguiculatum, limbo erecto v. patente. Gynostemium obtusum. Pollinia aequalia v. inaequalia. — Herbae caulescentes, pilosiusculae; caulibus simplicibus rarius ramosis, plerumque fasciculatis; foliis sessilibus rarissime brevissime petiolatis, distichis, carnosis s. coriaceis, apice saepe inaequalibus; spicis oppositifoliis, solitariis, pauci- v. multifloris, bracteatis.

438. Eria pauciflora Bl.: fusco-subpubescens; foliis carnosis lanceolatis acuminatis; spicis brevibus paucifloris; labello lineari-spathulato intus lineâ longitudinali puberulâ, limbi breviter trilobi lobo medio erecto emarginato undulato. *Trichotosia pauciflora* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 343. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 132. 4. — Locis montanis in interioribus Javae, Sumatrae et Borneo super arbores frequens.

439. Eria latifolia Bl.: caulibus fuscescenti-tomentosulis; foliis crassis carnosis ellipticis obtusiusculis supra glabriusculis subtus tomentosis; spicis densifloris; labello spathulato intus lineis tribus papillosis, limbi obsolete trilobi lobo medio erecto emarginato. — In arboribus insulae Sumatrae, *E. pauciflorae* valde affinis, sed longe robustior, foliis multo latioribus, crassioribus, obtusioribus, spicis elongatioribus plures flores quam in illâ ferentibus.

440. Eria fusca Bl.: caulibus fuscescenti-tomentosis; foliis carnosis lanceolatis acuminatis supra glabriusculis subtus tomentosis; spicis brevibus densifloris; labello spathulato intus lineis tribus, lateralibus subnudis, intermediâ papillosâ apice interruptâ, limbi breviter trilobi lobo medio erecto emarginato undulato. — In sylvis montanis provinciarum occidentalium Javae, inter *E. paucifloram* et *E. latifoliam* quodammodo media, illi quidem foliorum formâ, huic inflorescentiâ et floribus similior.

441. Eria canaliculata Bl : caulibus fusco- v. ferrugineo-hirtulis; foliis carnosis lanceolatis acuminatis supra glabriusculis subtus puberulis; spicis brevibus laxifloris; labello spathulato-obcordato intus lineis tribus confluentibus, lateralibus subnudis canaliculatis, intermediâ papillosâ apice interrupto-incrassatâ, limbi breviter trilobi lobo medio erecto emarginato-bilobo undulato. — In Borneo circa Martapura a Korthals V. Cl. detecta. Ab *E. fuscâ* differt labello multo latiore, cujus discus lineis duabus crassis carnosis canaliculatis marginatus, inter quas in axe limbum versus linea apice calloso-incrassata interrupte dense papillosa excurrit.

442. Eria hirta Bl.: fuscescenti-hirta; foliis sublanceolatis acuminatis; spicis brevibus laxifloris; labello obcordato-spathulato intus lineis tribus distinctis, lateralibus nudis subcanaliculatis, intermediâ papillosâ sub apice appendiculatâ, limbi breviter trilobi lobo medio patente emarginato-bilobo. — In arboribus in sylvis circa Tondano insulae Celebes a divo Forsten lecta. A superiore cum pubescentiâ densiore flavido-fuscescente distinguitur, tum maxime labello longiore minus lato, in quo lineae s. cristulae laterales crassae carnosae nudae multo breviores cum nervo medio excurrente papilloso superne in appendicem parvam protuberante, non ut in illâ discoideo, confluunt.

443. Eria rubiginosa Bl.: caulibus fusco- v. rubiginoso-velutinis; foliis carnosis lanceolatis acuminatis utrinque tomentosulis. — *Trichotosia ferox* (haud Bl.) Herb. Korths. — In sylvis montis Sakumbang insulae Borneo. Primo aspectu satis distinguitur caulium pubescentiâ densâ rubiginosâ velutinâ, quae in adultioribus in colorem magis brunneum v. fuscum transit.

444. Eria ferox Bl.: purpureo- v. rubiginoso-pilosiuscula; foliis coriaceis lanceolatis acuminatis; spicis flexuosis laxifloris; labello spathulato-obcordato intus lineis tribus verruculosis, limbi trilobi lobo medio patente bilobo. — *Trichotosia ferox* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 342. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 132. 3. de Vriese in *Ill. Orch.* cum tab. — Crebra in sylvis densis Javae occidentalis, intra 2000—4000 ped. supra maris aequor.

445. Eria annulata Bl.: caulibus ad insertionem foliorum ferrugineo-pilosiusculis; foliis carnosis lanceolato-linearibus acuminatissimis glabriusculis; spicis brevibus laxifloris; labello oblongo intus lineâ verruculosâ, limbo rotundato patente. — *Trichotosia annulata* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 343. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 132. 2. — In arboribus sylvarum altiorum Javae et Sumatra.

446. Eria microphylla Bl.: pilosiuscula; foliis carnosis ovali- v. spathulato-oblongis obtusis; pedunculis brevibus subunifloris; labelli oblongi limbo obtuso patente. — *Trichotosia microphylla* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 243. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 131. 1. — In sylvis humidis Javae et Sumatrae super arbores.

Species dubia.

447. Eria vestita Bl.: caulibus villis deciduis dense vestitis; foliis coriaceis lanceolatis apice inaequali-obtusis supra parce subtus dense villosis; spicis elongatis flexuosis multifloris. — *Dendrobium vestitum* Wall. *Cat.* N⁰. 2005. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 82. 33. — In Singapore.

MITOPETALUM Bl. Perigonii phylla libera, conniventia v. patentia, subaequalia; lateralia exteriora pedi gynostemii adnata. Labellum pedi gynostemii affixum, in axe lamellatum, indivisum v. lobatum. Gynostemium elongatum, semiteres, superne dilatatum. Anthera terminalis, carnosula, dorso bigibba, bilocularis, loculis obsolete bi- v. quadrilocellatis. Pollinia 8, aequalia v. alterna minora, quaternatim per telam (s. caudiculam) elasticam cohaerentia. — Herbae Indiae orientalis, terrestres v. epiphytae, glabrae; caudice repente; foliis longe petiolatis, solitariis, membranaceis, nervosis, plicatis; scapo e petiolorum basi pseudobulbiferâ v. e caudice orto, racemoso-multifloro.

Obs. Jam in *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 354 Generis hujusce et *Nephelaphylli* (Cytheridis Lindl.) ingentem indicaveram affinitatem. At habitu valde congruit cum *Chrysoglosso* et *Plocoglottide* mihi et cum quibusdam *Eulophiae* Speciebus. Praeter hic relatas, eidem Generi hae sunt annumerandae Species: *M. angustifolium*, *M. latifolium* et *M. bicorne*, quas cunctas V. Cl. Lindley accensuit Generi suo *Aniae*, quod per leges prioritatis servari nequit. His accedit *M. Wightii* (Ania latifolia Wight *Icon.* tab. 914) fide figurae laudatae haud dubie a *M. latifolio* labelli lamellis tribus inferne confluentibus diversum.

448. Mitopetalum speciosum Bl.: folio oblongo-lanceolato 5-7—nervio cum petiolo scapum adaequante v. breviore; labello indiviso acuminato in axe lineâ elevatâ pubescente. Bl. in *Flor. Jav. Praef.* VIII. — *Tainia speciosa* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 354. fig. XLVIII. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 132. 1. — In umbrosis montanis Javae occidentalis.

449. Mitopetalum plicatum Bl.: folio ovato- v. elliptico-oblongo 7-9—nervio cum petiolo scapum adaequante; labello trilobo, lobis lateralibus acutis, intermedio rhombeo-ovato obtusiusculo, in axe lamellis tribus infra apicem confluentibus, lateralibus insigniter plicato-undulatis. — *Octomeria paucifolia* Kuhl et van Hass. *Orch.* ed. Breda. — *Dendrobium paucifolium* Herb. Rwdt. — In sylvis humidis montanis Javae occidentalis.

450. Mitopetalum trinerve Bl.: folio elliptico-oblongo 3-nervio cum petiolo scapo breviore; labello trilobo, lobis lateralibus obtusis, intermedio ovato acuto in axe lamellis tribus superne dilatatis ad apicem confluentibus, lateralibus latioribus. — In sylvis Tandite.

Subord. **Vandeae.**

THELASIS Bl. Perigonii conniventis phylla exteriora basi subconnata, lateralia carinata; interiora minora, libera. Labellum sessile, erectum, liberum, concavum, indivisum. Gynostemium nanum, erectum, semiteres, apice in rostellum emarginatum v. bifidum attenuatum, postice androclinio profunde excavatum. Anthera dorsalis, acuminata, bilocularis, loculis obsolete quadrifoveolatis. Pollinia 8, subglobosa, per caudiculam elongatam retinaculo (s. glandulâ) communi oblongo membranaceo appensa. — Herbae Indiae orientalis, epiphytae, sociales, glabrae; caudice superficiali, radiciformi, repente aut pseudobulbos approximatos mono- v. diphyllos aut subinde cespitem foliorum equitantium proferente; foliis linearibus v. lineari-lanceolatis, apice subobliquis, crassis, uninerviis; floribus in scapo laterali v. alari spicatis, bracteatis, parvis, flavovirentibus v. viridi-albis, compresso-trigonis, carnosulis.

Obs. Nisi naturae vim inferas, Species foliis equitantibus non tanquam Genus proprium secerni possunt, quippe quae florum organisatione cum reliquis plane congruant, quum nullum aliud sit discrimen, nisi quod labellum crassius et gynostemium antice ad basin utrinque paulo dilatatum sit. Quamquam Lindley V. Cl. Genus postea a se propositum *Phreatiam* ad Tribum *Malaxidearum* refert, equidem Generi huic inserere nullus dubito, unde tamen *Dendrolirii* Species meae, quas ille eum *Phreatiâ* conjungit, excludantur oportet. Hae enim Genus *Thelasi* et *Eriae* affine constituunt, cui nomen jam in meis *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 349 inditum, *Rhizophyllum*, servo. Huic autem proxime affinis est *Thelasis*, ungue gynostemii, cujus apex in rostellum attenuatum subbifidum verticaliter porrectus, imâ vix prominente et androclinio profunde dorso excavato diversa.

1. Gynostemium semiteres. Folia pseudobulbis enata. Scapus lateralis.

451. Thelasis obtusa Bl.: pseudobulbis subglobosis monophyllis; floribus laxe spicatis; labello ovato obtuso medio paulum coarctato intus medio carinato. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 385. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 253. 1. — In sylvis montium ignivomorum Javae occidentalis in truncis arborum tam a me quam a div. Kuhl et van Hasselt reperta.

452. Thelasis capitata Bl.: pseudobulbis varie depressis mono-v. diphyllis; floribus in spicam densam ovoideam deinde cylindricam congestis; labello ovato obtuso. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 386. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 253. 3. — *Euphroboscis pygmaea* Griff. in *Calc. Journ.* V. 371. tab. XXVI. — Crebro in vetustis arborum truncis, tam locis montanis quam litoreis, in Javâ, Sumatrâ, cet.; a V. Cl. Griffth etiam in Napaliâ observata. Pro locorum situ magnitudine praesertim foliorum satis varians. Specimina a Korthals V. Cl. in Sumatrâ lecta et nomine *Var. β* inscripta foliis majoribus plerumque obtusioribus spicisque magis robustis quam javanae insigniuntur, nullo alio discriminis charactere perspicuo.

453. Thelasis elongata Bl.: pseudobulbis varie depressis mono- v. diphyllis; floribus in spicam ovoideam deinde elongatam congestis; labello ovato-oblongo obtusiusculo. — In Javâ occidentali in radicibus summorum jugorum ignivomorum truncis arborum adhaerens, tum etiam in sylvis Salak, Megamendung cet.; a div. Kuhl et van Hasselt et a me reperta. A superiore, cui intime affinis, spicis gracilioribus magis elongatis texturâ perigonii minus crassâ, maxime vero labello supra basin magis dilatato in limbum obtusiusculum angustato diversa.

2. Subgen. *Phreatia.* Gynostemium antice ad basin nonnihil dilatatum. Folia inferne equitantia. Scapus alaris.

454. Thelasis carinata Bl.: spicâ elongatâ laxâ multiflorâ; labello ovato acuminato ad basin tumido. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 386. Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 253. 2. — In truncis arborum vetustis in Javâ, Sumatrâ cet. tam locis mediterraneis habitatis, quam in sylvis inferioribus montium altiorum. Longitudine et foliorum et spicarum variat.

455. Thelasis contracta Bl.: spicâ ovoideâ multiflorâ; labello ovato obtuse acuminato intus ad basin tumido. — In maritimis Javae australis a divo van Hasselt et in parvâ insulâ Nusa-Kambangan a me in arboribus reperta. Spicis contractis differt a *T. carinatâ*, quâcum in reliquis vegetatione plane congruit.

456. Thelasis elegans Bl.: spicâ elongatâ laxâ multiflorâ; labello ovato obtuso intus piloso. — *Phreatia elegans* Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 63. 1. — Super arbores in sylvis montanis pagi Peradeniae Zeylaniae.

Subord. **Arethuseae.** Trib. **Epipogieae.**

GALERA Bl. Perigonii conniventis phylla libera, subaequalia. Labellum sessile, breviter calcaratum, indivisum, gynostemium amplectens. Gynostemium brevissimum, subfornicatum, antice bidentatum. Anthera antica, mitraeformis, basi emarginata, carnosa, bilocularis, loculis bilocellatis. Pollinia 2, biloba, lobulata, caudiculâ arcuatâ bifidâ in fissuram ad antherae latus exterius innixa. — Herbae Indiae orientalis, terrestres, aphyllae, glabrae; radice tuberosâ; scapo membranaceo-vaginato, apice nutante, simpliciter racemoso; floribus pedicellatis, bracteatis, nutantibus, alutaceis v. roseis; ovariis infra perigonium coarctatis.

Obs. Habitus hujus Orchideae peculiaris locum ei inter *Arethuseas* juxta *Epipogium* Gmel. assignare videtur, nec vero inter *Neottieas*, quo a V. Cl. Lindley relata est. Equidem *Epipogium*, *Galeram* et *Stereosandram* in propriam Tribum, *Epipogearum* scilicet, optime conjungi posse censeo, quae Ordinem *Arethusearum* atque *Ophrydearum* et *Neottiearum* connectat: siquidem haec Genera vegetatione ad *Ophrydeas* et quasdam *Arethuseas*, haud minus vero polliniis caudiculâ praeditis ad *Neottieas* accedunt.

457. Galera nutans Bl.: labelli limbo ovato acuminato undulato medio in cristam supra obsolete papillosam apicem versus angustatam extuberante; gynostemio antice bidentato. Bl. *Bijdr.*

Flor. Ned. Ind. 415. fig. III. LINDL. *Gen. et Spec. Orch.* 500. 1. — In declivibus uvidis umbrosis circa montem Salak Javae occidentalis.

458. Galera rosea BL.: labelli limbo ovato nudo sub apice tuberculato; gynostemio antice bicirrhoso. — *Ceratopsis rosea* LINDL. *Gen. et Spec. Orch.* 384. 1. — *Limodorum roseum* DON. *Prodr. Flor. Nepal.* 30. — In Nepaliâ superiore.

LECANORCHIS BL. Perigonii phylla erecto-patentia, libera, subaequalia v. interiora latiora, calyculo denticulato cincta. Labellum inferne gynostemium amplectens v. adnatum; limbo erecto, spathulato, concavo, indiviso, disco villoso v. imberbi. Gynostemium erectum, clavatum, apice membranaceo-dilatatum. Anthera terminalis, bilocularis, loculis distinctis. Pollen pulvereum, ecaudiculatum. — Herbae terrestres, aphyllae, in Javâ et Japoniâ observatae; caudice subterraneo, crasso, radiciformi, superne ramoso squamisque vaginato; floribus in scapis racemosis, albidis.

Obs. Inter omnes *Orchideas* asiaticas imprimis insignis calyculo accessorio perigonium cingente, qui uni Generi *Epistephio*, a V. Excell. HUMBOLDT in Novo Orbe reperto, proprius est. Habitu maxime Generibus nostris *Pachychilo* et *Aphyllorchi* satis consimile. — Nomen derivatum a λεκάνη, pelvis, et ὄρχης.

459. Lecanorchis japonica BL.: labello gynostemio inferne longiuscule adnato, limbo intus dense villoso. — In sylvis montanis provinciae japonicae Mino prope urbem Gun sjô s. Ta kasu.

460. Lecanorchis javanica BL.: labello gynostemium inferne amplectente, limbo subimberbi. — In sylvis Megamendung Javae occidentalis.

Subord. **Ophrydeae.**

PERISTYLUS BL. Perigonii ringentis phylla exteriora libera; interiora latiora, ad basin cum labello connata. Labellum calcaratum, concavum; limbo patente, trifido v. tripartito. Gynostemium brevissimum, utrinque staminodio crasso papilligero auriculatum. Anthera erecta, loculis parallelis, valvulis exterioribus basi in appendicem exiguam v. magis elongatam ascendentem rostello accumbentem contractis. Rostellum breve, sub anthera proboscideo-assurgens, bifidum. Polliniorum retinacula (s. glandulae) distincta, rostelli lobis superinstrata, nudà. Stigma bilobum, lobis crassis, porrectis, labello ac staminodiis adnatis. — Herbae Indiae orientalis, terrestres, glabrae; radicibus tuberiferis; caule folioso aut vaginato; floribus spicatis, bracteatis, viridibus; labelli laciniis lateralibus vulgo longioribus et magis patentibus.

Obs. Hoc Genus iis, quibus a LINDLEY V. Cl. *Gen. et Spec. Orch.* p. 297 distinguitur, characteribus: „Omnia *Platantherae;* sed calyx semper cam„panulatus et calcar brevissimum saepius scrotiforme," servari nequit, utpote levioris omnino pretii. Itaque omnes denuo explorandae sunt herbae a V. Cl. LINDLEY aliisque auctoribus ad *Peristylum* relatae, quatenus fabricâ gynostemii conveniant, quum plurimas earum ex hoc Genere rejiciendas esse mihi persuasum sit. — Typum autem Generis exhibent *P. grandis* et *P. gracilis* MIHI, quas igitur, ut meliorem characterem genericum constituerem, denuo quam diligentissime exploravi. *P. gracilis* in florum fabricâ insignitur calcari elongato et limbo labelli tripartito, laciniis ejus lateralibus elongatis, angustis et arcuato-reflexis, tum valvulis antherarum exterioribus imâ in appendicem magis elongatam ascendentem rostello accumbentem protractis, quae in *P. grandi* minutum modo dentem exhibent. At levius illud est discrimen, quod nonnisi magnitudinem earum partium spectat, quam ut non unico Genere conjunctae maneant illae herbae, cui, praeter sequentes, procul dubio omnes quoque Species *Coeloglossi* LINDL. et, ut videtur, etiam *Glossapsis* LINDL. sunt annumerandae.

1. Antherarum valvulis exterioribus basi utrinque denticulum brevem sistentibus.

461. Peristylus grandis BL.: caule folioso; foliis ovali-oblongis v. oblongo-lanceolatis subulato-acuminatissimis; labelli laciniis inaequilongis, lateralibus paulo longioribus patentibus obtusiusculis, calcari brevi inflato obtuso. BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 405. fig. XXX. LINDL. *Gen. et Spec. Orch.* 300. 19. — *Angrek* Indig. — In sylvis montanis humidis Javae occidentalis.

462. Peristylus Horsfieldii BL.: caule folioso; foliis oblongo-lanceolatis acutis v. acuminatis; labelli laciniis aequilongis, lateralibus acuminatis reflexis, calcari brevi globoso-inflato subdidymo. — In sylvis montanis Javae orientalis.

2. Subgen. *Coeloglossum.* Antherarum valvulis exterioribus basi in appendicem ascendentem rostello accumbentem protractis.

463. Peristylus gracilis BL.: caule folioso; foliis lineari-lanceolatis acuminatissimis; labelli laciniis inaequilongis, lateralibus elongatis linearibus arcuato-reflexis, calcari subclavato pendulo elongato. BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 404. LINDL. *Gen. et Spec. Orch.* 300. 18. — In montanis Javae occidentalis.

MITOSTIGMA BL. Perigonii phylla subaequalia, libera, erecto-conniventia. Labellum calcaratum, patens, trilobum, basi subcuneatâ gynostemio nano adnatum. Anthera sessilis, horizontalis, loculis appositis, parallelis, basi non elongatis, rostello tuberculari nudo interjecto. Polliniorum glandulae distinctae, primo sub antherarum valvulis exterioribus majoribus absconditae. Stigma brachiis duobus filiformibus margini baseos labelli adnatis. — Herba japonica, gracilis, glabra; radicibus tuberiferis; scapo supra basin monophyllo; floribus laxe spicatis, parvis, lilacinis.

Obs. Affine *Gymnadeniae* ROB. BRWN. et *Cynorchi* PET.-THOUARS, maxime vero Generi ejus, quod mihi quidem videtur restituendum, *Amphorchi.* Cum hoc antherâ satis congruit, non autem rostello, nec magis stigmate. In *Cynorchi* vero antherarum loculi satis elongati et rostellum valde evolutum, a *Gymnadeniâ* autem differt antherâ non erectâ sed horizontali et stigmate magis evoluto, quod in facie anticâ gynostemii nani brachia duo stigmatica filiformia basi labelli adnata explicat. — Nomen derivatum a μίτος, filum, et στίγμα.

464. Mitostigma gracile Bl. — *Tsubame-ran*, i. e. *Orchis hirundina* Japonensium. — In Japoniâ.

AMPHORCHIS Pet.-Thouars. Perigonii phylla libera, patentia; interiora minora. Labellum calcaratum, patens, integrum, basi subcuneatâ gynostemio nano adnatum. Anthera sessilis, horizontalis, loculis subparallelis, basi paulo productâ rostello lamellato nonnihil prominenti annexis. Polliniorum glandulae nudae, subdentibus lateralibus rostelli absconditae. Stigma subgloboso-didymum. — Herbae mauritianae, humiles, ad florescentiam imprimis ad ovaria pilis glanduliferis obsitae; radicibus tuberiferis; scapo ad basin foliis 1—2 radicalibus, superne squamis alternis vaginato; floribus spicatis, parvis, purpureis.

Obs. A *Gymnademiâ* Rob. Brwn. Genus hoc differt antherâ horizontali, cujus loculi in basi paululum modo productâ rostello brevi lamellato tridentato sunt adnati; eoque ipso accedit ad *Cynorchin* Pet.-Thouars, in quâ loculi antherarum longius producti et rostello lato subfornicato ad basin sejuncti sunt. *Amphorchis inermis* Pet.-Thouars neque huic Generi, nec *Arnottiae* Ach. Rich. accensenda.

465. Amphorchis calcarata Pet.-Thouars: spicâ multiflorâ; labello obcordato emarginato crenulato. — Pet.-Thouars *Hist. Orch. Maurit.* tab. 4. — *Cynorchis squamosa* Lindl. *Gen. et Spec. Orch.* 332. 7. — *Habenaria Amphorchis* Spr. *Syst. Veg.* III. 689. 15. — *Gymnadenia squamata* Ach. Rich. *Orch. Maur.* 24. tab. 6. N°. 2. — *Orchis squamosa* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 601. 63. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 42. 78. Pers. *Syn. Pl.* II. 506. 77. — In insulis Mascarenis.

466. Amphorchis laxiflora Bl.: spicâ pauciflorâ; labello oblongo obtuso. — In insulâ Borboniâ sub N°. 229 mecum benevole ex Herb. Mus. Paris. communicata.

Ord. **Euphorbiaceae.** Subord. **Buxeae.**

SARCOCOCCA Lindl. Flores monoici. Calyx tetraphyllus, foliolis subaequalibus, decussantibus. Corolla nulla. Masc. Stamina 4, sub ovarii rudimento inserta, calycis foliolis opposita; filamentis filiformibus; antheris erectis, introrsis, cordato-oblongis, dorso supra basin affixis. Fem. Ovarium biloculare, loculis biovulatis. Stigmata 2, sessilia, tandem revoluta. Drupa exsucca, stigmatibus persistentibus cornata, bi- v. abortu unilocularis, loculis 1—2-spermis. Semen inversum; testâ chartaceâ, laevi, lucidâ. Embryon intra albumen carnosum inversum; cotyledonibus foliaceis; radiculâ brevi, obtusâ, superâ. — Frutices in Asiâ tropicâ crescentes, sempervirentes; foliis alternis, integerrimis, glabris, mixtinerviis; spicis axillaribus, densifloris; floribus breviter pedicellatis, virescentibus, inferioribus paucis femineis, superioribus masculis.

467. Sarcococca sumatrana Bl.: foliis e basi angustatâ lanceolatis (4—6½ poll., 1—1½ poll. lat., pet. ½—¾ poll.) longe acuminatis; spicis petiolo brevioribus. — Frutex 15 ped., glaber; ramulis elongatis, teretibus, intus medullâ copiosâ, in statu sicco arefactâ, in epidermide longitudine striatis. Folia ad insertionem petioli cum stipulis binis parvis subulatis fugacibus, ad basin saepe inaequali-angustata, apice subulato non raro leviter falcata, subtriplinervia, nervis scilicet duobus primariis baseos margini parallelis et reliquos pinnatim patentes connectentibus, supra nitida, subtus in pallide purpurascentem vergentia; petiolis teretibus, supra canaliculatis. Spicae petiolis dimidio breviores, solitariae, sessiles, simplices, in singulis floribus bracteâ minutâ ovatâ acutâ concavâ pedicellum brevem crassum ad basin semiamplectente. Flores masculi plures numero, cernui, sub calyce bibracteati, bracteis bilateralibus, fere magnitudine foliorum calycinorum iisque appressis, ovatis, obtusis, membranaceis, subcarinatis, ciliatis. Foliola calycina ovalia, navicularia, ad margines magis extenuata et distinctius quam bracteae ciliata, per paria decussata. Corolla et glandulae nullae. Stamina 4, filiformia, complanata, sub ovarii rudimento cyathiformi inserta, glabra. Antherae cordato-oblongae, crassae, apice producto connectivi mucronatae, introrsum biloculares, pubescenti-scabridae, ante anthesin cohaerentes. Flores feminei 1 v. 2 infra masculos, arrecti, longius pedicellati, sub calyce ad pedicellum bracteolis sex approximatis decussatis ovatis acutis carinatis margine ciliolatis sursum imbricatis et accrescentibus persistentibus obsessi. Calycis foliola bracteolis conformia, sed majora, decussata, interiora duo paulo majora. Staminum rudimenta nulla. Pistillum elongato-conicum, glabrum, usque ultra dimidium in duo stigmata ovario continua filiformia semiteretia intus papillosa et sulco exarata primo sibi appressa tandem revoluta fissum. Ovarium biloculare; ovula in apice loculorum 2, collateralia, anatropa. Drupa 5 lin., ellipsoidea, stigmatibus revolutis coronata, exsucca, glabra, 2- v. abortu 1- locularis, loculis 1- rarissime 2-spermis, putamine texturae membranaceae satis crassae. Semina ellipsoidea v. ellipsoidea et simul trigona v. suborbicularia et plano-convexa, prout fructus monospermus est loculive ejus bina vel unum modo semen fovent, inversa, exarillata, in extremitate superiore hilo parvo subrotundo v. transverse ovali exsculpta. Testa texturae tenuis chartaceae, castanea, laevigata, nitida. Spermodermis tenuissima. Embryon fere longitudine albuminis carnosi. Cotyledones magnae, ovatae v. subrotundo-ovatae, ad basin subcordatae et passim obliquae, foliaceae, saepe cum impressione longitudinali. Radicula brevis, cylindrica, obtusa, supera. — In Sumatrâ.

Subord. **Phyllantheae.**

PYCNOSANDRA Bl. Flores dioici, aggregati. Masc. Calyx profunde quadripartitus, lobis praefloratione imbricatis. Corolla nulla. Stamina 10—15, fundo calycis inserta; filamentis brevibus, liberis; antheris bilocularibus, basi affixis, loculis parallelis, latere dehiscentibus. Pistilli rudimentum nullum. Fem. Calyx parvus, quadripartitus, laciniis margine subimbricatis, deciduis. Corolla nulla. Ovarium sessile, 3—4-loculare, loculis 2-ovulatis. Stylus brevis. Stigmata 3—4, maxima, patentissima, bipartita, laciniis filiformibus, arcuato-divergentibus, verrucosis. Drupa carnosa. — Arbores Indiae orientalis; foliis alternis, breviter petiolatis, basi subobliquis, serrulatis, glabriusculis, reticulato-venulosis; stipulis lateralibus, parvis, fugacissimis; floribus axillaribus, aggregatis, sericeo-puberibus; drupis subvelutinis.

468. Pycnosandra serrata Bl.: ramulis junioribus petiolisque ochraceo-velutinis; foliis e basi oblique rotundatâ v. subattenuatâ ovatis v. ovato-oblongis lanceolatisve ($1\frac{1}{4}$—4 poll, $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) obtusiusculis v. obtuse acuminatis obsolete repando-serrulatis; floribus masculis aggregatis axillaribus. — *Cyclostemon serratum* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 599. — Arbor 20—30 ped. altitudine, ramulis teretiusculis, cinereis, altero latere plerumque obscurioribus, punctis raris minutissimis albidis conspersis, junioribus tenuioribus aliquantum striatis, ut petiolis foliorum maxime novellorum pube satis densâ ochraceâ velutinâ obtectis. Folia in ramulis satis approximata, subdisticha, posteriora vulgo minora et obtusiora, apice nervo medio exserto obsolete mucronulata, ad basin obliquam latere superiore plerumque rotundata, altero latere subattenuata, serraturis obsoletis repandis mucronulo appresso sphacelato vix conspicuo praeditis, nitida, glabra, sed in nervo medio utrinque pube brevi appressâ, juniora vero subtus pilis raris appressis obsita, siccata flavo-virentia praecipue in paginâ dorsali, in superiore in fuscum vergentia, venulosa. Flores masculi in axillis conferti, brevissime pedunculati, alabastris vix magnitudine seminis sinapeos, ut pedunculis basi bracteolatis, rufescenti-velutinis. Calyx profunde 4-lobus, patens, lobis biserialibus, subrotundis, concavis, margine ciliatis, exterioribus duobus majoribus. Petala et glandulae nullae. Stamina in fundo calycis conferta, erecta, libera, glabra. Filamenta brevissima, filiformia. Antherae erectae, obtusae, subtetragonae, basi emarginatâ affixae, 2-loculares, loculis rimâ laterali dehiscentibus. Pistilli rudimentum nullum. — In sylvis montanis Javae occidentalis.

469. Pycnosandra timorensis Bl.: ramulis junioribus petiolisque pube parcâ appressis; foliis e basi oblique attenuatâ oblongis v. oblongo-lanceolatis (3—$4\frac{1}{2}$ poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 3—4 lin.) obtuse acuminatis serrulatis; floribus femineis solitariis paucisve axillaribus. — Arbor mediocris. Ramuli teretes, flavescenti-cinerei, glabri, obsolete striati punctisque elevatis conspersi, novelli striato-angulati, sicut petioli et stipulae minutissimae ovatae caducae, pube brevi cinereâ substrigulosi. Folia basi obliquâ magis attenuata quam in Specie superiore, siccata in colorem magis olivaceum non flavescentem abeuntia, serraturis obtusis magis prominentibus, in nervo medio utrinque protuberante pariter parce puberulis et in paginâ dorsali foliorum novellorum pube rarâ appressâ obsitis. Pedunculi feminei solitarii v. gemini, uniflori, petiolos longitudine adaequantes et horum instar strigulosi, subtetragoni. Calyx parvus, 4-partitus, extus parce strigulosus, laciniis ovatis, subaequalibus, membranaceis, ciliolatis, ad margines imâ subimbricatis, deciduis. Staminodiorum vel disci nullum vestigium. Ovarium sessile, elongato-ovoideum, canescenti-sericeum, 3-raro 4-loculare, loculis 2-ovulatis. Ovula angulo centrali superne infra apicem affixa, anatropa. Stylus brevis, crassus, deciduus. Stigmata 3—4, maxima, patentissima, bipartita. Drupa fere pollicaris, ovoidea, obtusa, isabellina, sericeo-subvelutina, nucem ovoideam superne paululum attenuatam et ibi tribus lineis prominentibus ad latera descendentibus insignem subrugosam continens. — In Timor.

Lugduni-Batavorum, Kal. Februarii 1856.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Euphorbiaceae.** Subord. **Crotoneae.**

CALPIGYNE Bl. Flores monoici, spicati. Masc. glomerati. Calyx rotatus, quadrifidus; laciniis alternis brevioribus, praefloratione subvalvatis. Corolla nulla. Stamina 4; filamentis brevibus, lato-subulatis, carnosis, basi connatis; antheris bilocularibus, dorso affixis, loculis basi divergentibus, intus dehiscentibus. Pistilli rudimentum nullum. Fem. solitarii. Calyx turbinatus, ovarium arcte cingens. Corolla nulla. Ovarium sessile, 3-loculare, loculis 1-ovulatis. Stylus brevissimus. Stigmata 3, magna, patentissima, bifida, eroso-lacerata. Fructus........ Frutex 10 ped. altitudinis, furcato-ramosissimus; ramulis novellis petiolis pedunculisque tomento stellari rufescente obtectis; foliis alternis, breviter petiolatis, oblongis, integerrimis v. superne remote serrulatis, penninerviis, inter nervos transverse reticulatis, coriaceis, glabris v. ad costam subtus interdum pulverulento-tomentosis; stipulis lateralibus, angusto-subulatis, obsolete serrulatis; spicis axillaribus et terminalibus, filiformibus.

470. Calpigyne frutescens Bl. — In Celebes, Borneo, cet.

Ord. **Urticaceae.**

LEPTOCNIDE Bl. Flores monoici, in axillis foliorum glomerato-fasciculati, bracteolis scariosis stipati. Masc. Perigonium tri- v. quadripartitum; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina 3—4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium ovario adnatum, compressum, superne constrictum, ore bidentatum. Stigma terminale, crassum, lanceolatum v. fusiforme, recurvatum, supra plumosum, deciduum. Achenium ovatum, striatum, ore bidentatum, nucleo lenticulari-compresso, crustaceo. Semen erectum. Embryon in axe albuminis inversum, rectum; cotyledonibus plano-convexis; radiculâ brevi, superâ. — Suffrutices in Archipelago indico et in insulâ Borbonicâ crescentes; foliis alternis, petiolatis, serratis, mixtinerviis; stipulis liberis, persistentibus, florum glomerulos involucrantibus.

Obs. Perigonio adnato et a *Böhmeriâ* Jacq. et a *Pouzolziâ* Gaudich. diversa, sed ad *Phenacem* Wedd. accedens, unde nostrum tamen Genus limbo perigonii feminei bidentato et stigmate crasso brevi lanceolato v. fusiformi imâ constricto recedit. Nomen a *λεπτός*, tenuis, et *κνίδη*, urtica, derivatum.

471. Leptocnide rubricaulis Bl.: foliis ovato-lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{4}$ poll., $\frac{2}{3}$—1 poll. lat., pet., $2\frac{1}{2}$—7 lin.) cuspidatis serratis membranaceis supra sparsim pilosis subtus pubescentibus; floribus masculis tetrandris; perigonio femineo ovoideo ore minutissime bidentato. — A sequente foliis membranaceis et perigonio femineo ore obsolete bidentato insignis. Herba suffruticosa, ramosa. Ramuli tenues, obtuse quadrangulares, ut petioli et nervi subtus rubentes pilisque sparsis albidis strigosuli. Stipulae sessiles, latissimae, uninerviae, membranaceae, rubentes, margine superne dorsoque in nervo in acumen protracto apice pilis albidis appressis obsitae. Folia supra creberrime punctata, pilis sparsis satis longis albidis erecto-patentibus imâ paulum incrassatis, subtus satis dense pubescentia, praeter basin et cuspidem lineari-subulatam grosse acute serrata. Flores masculi et feminei in iisdem glomerulis, stipulis persistentibus involucrati, cymoso-fasciculati, masculi pedicellis pilis albidis arrectis conspersis in basi bibracteolatis apice articulatis suffulti, feminei plerumque inter binos masculos sessiles. Alabastra mascula depresso-subglobosa, in vertice obtuse apiculata, hirtula. Perigonium femineum ovoideum, compressum, apice in collum brevissimum ore obsolete bidentatum contractum, superne pilis appressis conspersum. Ovarium formâ perigonii eique adnatum, in fundo ovulum erectum sessile fovens. Stigma crassum, subuliforme, curvatum, imâ constrictum, latere superiore dense papilloso-plumosum, deciduum. Achenium ovoideum, lenticulari-compressum, ore contracto perigonii vegetis adnati apiculatum, obsolete striatum, supra medium pilis albidis appressis strigosulum. Putamen compresso-ovoideum, laeviusculum, crustaceum, pallidum. Semen sessile, elongato-ellipsoideum, paulisper compressum, rectum. Embryon inversum, tenui tantummodo strato albuminis vestitum. — In Javâ occidentali prope Tjanjor.

472. Leptocnide borbonica Bl.: foliis lanceolatis v. ovato-lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat, pet. 3—4 lin.) acuminatis serratis coriaceis; floribus masculis tetrandris; perigonio femineo ellipsoideo ore distincte bidentato. — *Pouzolzia? borbonica* Wight *Icon.* VI. *Pouzolz.* 39. tab. 2100. 44. — *Urtica borbonica* Hort. Calcutt. — In Borboniâ, charactere ex descriptione et icone laudatâ.

473. Leptocnide heterophylla Bl.: foliis ovatis ellipticisve ($\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll., 4—10 lin. lat., pet. 1—5 lin.) acutis v. obtusis integerrimis v. obtuse dentato-serratis membranaceis utrinque pilosiusculis; floribus masculis triandris; perigonio femineo ovoideo ore dilatato-bidentato. — In oleraceis Buton.

BÖHMERIA Jacq. Flores monoici v. dioici, fasciculato-glomerati, bracteis scariosis stipati, glomerulis axillaribus v. lateralibus aut in spicis paniculisve digestis. Masc. Perigonium quadri- rarius tri-quinquepartitum; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina tot quot perigonii laciniae, iisdem opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium tubuloso-ventricosum, superne contractum, ore bi-quadri-rarissime sexdentato. Ovarium inclusum, solitarium (rarissime perigonium pistilla gemina obvestiens), liberum, uniloculare. Ovulum unicum, basilare, orthotropum. Stigma terminale, filiforme, saepe elongatum, supra basin uno latere v. undique papillosum. Caryopsis sublenticulari-compressa, rarius membranaceo-marginata, crustacea, perigonio laeviusculo saepissime marginato v. interdum alato, rarissime angulato aut striato vestita. Semen erectum. Embryon in albumine parco inversum v. interdum exalbuminosum, rectum; cotyledonibus plano-convexis; radiculâ brevi, superâ. — Frutices v. suffrutices, rarius herbae, succo aqueo, in regionibus tropicis et subtropicis totius orbis crescentes; foliis alternis v. oppositis, dentatis v. serratis, rarissime integerrimis, mixtinerviis; stipulis caulinaribus, distinctis v. connatis, persistentibus v. deciduis.

Obs. Gaudichaud V. Cl., in *Voy. Freycin. bot.* p. 499 censentis genuinas *Böhmerias* habendas esse Species foliis oppositis easque necessario in complura Genera dividenda, foliis vero alternis *Procri* Commers. annumeranda esse, jam eam ob causam amplecti nequeo sententiam, quod *B. ramiflora* Jacq., quae videlicet typum hujus Generis exhibet, alterna habet folia. Tum demum, si dispositionis florum et characterum, meâ quidem sententiâ, leviorum, veluti consistentiae perigonii fructiferi, utrum ore integrum, an in dentes minus magisve distinctos fissum, vel persistens an deciduum stigma sit, ratio habeatur, facilis factu ejusmodi est divisio, quam ego, cui leviores sane ad discrimen genericum illi videntur characteres, non tentavi. Hoc maxime insigne Genus perigonio femineo tubuloso ovarium liberum cingente et stigmate filiformi; a quo ob perigonium femineum ovario reverâ adnatum stirpes quasdam, tamquam peculiare Genus, nomine *Nothocniden* sejunxi, quod postea, ut jam p. 137 in notâ animadverti, a V. Cl. Weddell in *Ann. Sc. nat.* 4e Sér. I. 196 nomine *Pipturus* descriptum est. Quae autem nova illic proponit Genera, *Cypholophus*, *Margarocarpus* et *Didymogyne*, levioribus mihi characteribus a *Böhmeria* Jacq. differre videntur, quam ut servari possint. Quantum enim ego investigare potui, *Cypholophus* ab illo Genere nonnisi breviori stigmate, *Margarocarpus* stigmate supra apicem ovarii constricto nec articulato, *Didymogyne* eo tantum differt, quod nonnulla e perigoniis unum, alia duo pistilla fovent, fabricâ tamen *Böhmeriae* non absimilia. Itaque haec a *Böhmeriâ* Jacq. non separare, sed tamquam Sectiones vel Subgenera illi accensere satius duxi. Hac opinione adductus Species, quae mihi innotuerunt, in Subgenera conjungere sum conatus, quem tamen laborem magnis adhuc vitiis laborare necesse est, quandoquidem e Speciminibus siccis vix aut ne vix quidem textura perigonii fructiferi accurate definiri potest, stigmatum autem longitudo admodum variat, et character eorum, utrum unilateraliter an undique papillis stigmaticis obsessa sint, levioris momenti videtur. Huc pertinent nonnulla, quae de hoc Genere animadvertenda putamus atque adeo hoc loco referre operae pretium est.

1. Quamquam in quibusdam Generibus hujus Ordinis magni momenti,

quod ad characterem vegetationis, ducenda est foliorum dispositio, nullum fere ejus in *Böhmeriâ* jam idcirco est pretium, quoniam in quibusdam Speciebus hac in re mixta obtinet conditio, quippe quae simul folia alterna et opposita et passim verticillata habent.

2. Idem de stipulis dicendum. Hae reverâ caulinares, laterales aut foliorum axillis imâ ad latera petiolorum ita approximatae, ut vagum inter lateralem et axillarem situm obtineant.

3. Mixtus ille haud raro in inflorescentiâ quoque status invenitur, quum in iisdem subinde Speciebus glomeruli laterales v. axillares et super ramos aphyllos s. apice foliiferos in spicas digesti reperiantur. In plerisque *Böhmeriis* flores, praesertim feminei, sunt dense fasciculato-glomerati; laxe ex exiguo numero congesti raro inveniuntur, neque ullum involucri est vestigium.

4. Ut in aliis *Urticacearum* Generibus, ita in *Böhmeriâ* quoque flores masculi nullos ad genericum discrimen satis idoneos vel perigonii, vel staminum, vel pistilli rudimentarii fabricâ praebent characteres. In multis Speciebus hic quoque laciniae perigonii extus circa medium ad angulum infractionis aut sub apice mucrone sive appendice foliaceâ, quasi transversalem cristulam referente, sunt instructae, cui tamen longe abest ut ullum pretium genericum tribuam.

5. Optimum et vel solum fundamentum definitionis genericae, ut jam alio loco animadverti, praebent flores feminei fabricâ perigonii ac pistilli. Divum GAUDICHAUD, quum primum hunc Ordinem tractaret, *Böhmeriae* JACQ. in plura Genera partiendae fuisse auctorem, neque tamen id perfecisse, supra docui. Alios autem non latuit ea Viri Cl. sententia. Sic anno 1840 in MIQUEL *Comment. phytogr.* Fasc. III. 133. tab. 14 prodiit Genus *Splitgerbera* MIQ., de quo in Adnotatione haec dicuntur: „Genus „hoc *Urticam* et *Parietariam* inter fere medium est. Illi florum masculinorum, huic femineorum structura accedit. Nulli autem generum eorum „in quae *Urticam* AUCTT. divisit Cel. GAUDICHAUD adnumerari potest. „Vario modo etiam ad *Schychowskiam* ENDL. et *Boehmeriam* LINN. accedit, etsi evidentissimis characteribus differat. Ab hoc (cui arctiore connubio alioquin propinquum) enim facile distinguitur femineis floribus „non in axillis confertis, sed *spicatis*, *perigonio cum ovario cohaerente*, „nec libero, stigmate *elongato undique villoso*, nec unilaterali, porro „*filamentis basi dilatatis* aliisque notis. Ad *Parietariam* accedit involucro bractearum, florum fasciculos circumdante et involucellis flores „stipantibus.” De quo Genere et de alio ex Ordine *Araliacearum*, nomine *Dimorphanto* MIQ. in eodem fasciculo descripto, quum meam me rogaret sententiam V. Cl. MIQUEL, non potui non monere illum, mihi quidem utrumque illud Genus, tamquam novum descriptum, retrahendum esse videri, quandoquidem *Dimorphantus* certe a genuinis *Araliis* LINN. non differret, *Splitgerbera* vero levioribus a *Böhmeriâ* JACQ. distingueretur characteribus, cui Generi complures stirpes, quas antea in *Bijdr. Flor. Ned. Ind. Urticas* esse putassem, annumerandae forent, veluti: *U. rugosissima*, *U. pilosiuscula*, *U. moluccana*, *U. caudata*, *U. spicata*, *U. celebica*, *U. conglobata*, *U. sanguinea*, cet. in quibus tamen, non magis quam in *Splitgerberâ*, perigonium florum femineorum cum ovario cohaereat, neque eo sensu, quo in *Parietariâ* LINN., involucrum adsit: denique reliquos omnes characteres differentiales, quos laudaret, inflorescentiam spicatam, stamina dilatata, stigmata undique villosa, quibus insigniatur

Splitgerbera, nullius esse momenti, quum haud minus in compluribus genuinis *Böhmeriis* reperiantur. Tametsi vero *l. c.* Genus suum *Splitgerberam* a reliquis *Urticaceis* diversum esse affirmaverat, in *Plantis Junghuhnianis*, quae anno 1851 in lucem sunt editae, p. 32, cum *Böhmeriâ* illud conjunxit, his quidem characteribus tamquam Sectionem distinctum: „Folia plurimis opposita; thyrsi cymosi v. capituliferi monoici axillares; „perigonium feminei floris ovario subadhaerens. — *Splitgerbera* Miq.," quibus in notâ haec addit: „examinatis numerosis *Boehmeriae* speciebus, „tum inflorescentiae, tum florum praesertim femineorum differentiis, saepe „haud minoris momenti, quoad species asiaticas, perpensis, valor iis ad „genera condenda sufficiens tribuendus equidem videtur; pro tempore „autem Novi Orbis speciebus prototypicis hujus generis mihi fere plane „incognitis, *Boehmeriae* genus intactum servare malui." — Itaque solum discrimen, quo a genuinis *Böhmeriis* Novi Orbis illa Sectio differret, in perigonio feminei floris ovario subadhaerente foret positum, eodem antea in *Comment. phytogr.* Fasc. III. 134 auctore, cum ovario cohaerente nec libero.

6. Commentatio V. Cl. Weddell, quam saepius laudavimus, quamquam singulare ejus acumen et egregiam scientiam, e magnâ materiei copiâ haustam, testatur, hunc tamen cûm detrimento *Böhmeriae* nimis multa Genera constituisse puto, sine ulla disciplinae botanicae utilitate. Eo autem nimis facile adducimur, si tamquam Generum characteribus vel colore, vel pubescentiâ, vel texturâ plus minusve crassâ, vel aliis ejusmodi levioris momenti utimur. Eam ob rem Genera ejus *Margarocarpum* et *Didymogynen*, ut jam dixi, servari non posse censeo. Vix autem *Pouzolzia* Gaudich. proprium Genus esse existimes, cujus non aliud a genuinis *Böhmeriis* est discrimen, quam perigonium florum femineorum nervis copiosioribus post fecundationem vulgo fortius prominentibus partim quoque in alas expansis percursum. In compluribus etiam *Böhmeriis* alata cernitur perigonii fructiferi expansio, illo tamen discrimine, ut in *Böhmeriâ* hoc statu pericarpium ipsum plus minusve, quin plerumque valde afficiatur, id quod in *Pouzolziâ* nunquam accidit, in quâ costae sive alae solo perigonio efformantur. Itaque in *Böhmeriâ* post fecundationem conformatione vix mutatur, quae pendet a formâ pericarpii, quo tamquam urceolo superne plus minusve constricto vestitur; texturâ plerumque est tenerrimâ membranaceâ siccâ, neque ullâ parte cum pericarpio cohaeret; in aliis autem est magis vegeto-herbaceum et, quamquam primo liberum, tum interdum cum pericarpio maturescente cohaesione plus minusve arctâ jungitur, in aliis vero Speciebus in simili statu perigonii vel in fructu liberum est. Texturam magis crassam carnosam perigonii feminei nonnisi in *B. formicariâ* Pöpp. observavi, quam ab hoc Genere separandam esse probabile est, nisi *Neraudiam* Gaudich., cui accedit, denuo cum *Böhmeriâ* conjungere velis.

7. Quandoquidem characteribus, quales sunt stigmatum longitudo et crassities, vel etiam directio, vel utrum uno latere an undique sint papillosa, non satis est pretii, ut Genera iis nitantur, equidem *Chamabaïniam* Wight et *Cypholophum* Wedd. haudquaquam ob stigmata magis crassa brevia fusiformia incurva a *Böhmeriâ* separanda esse puto. In *B. cylindricâ* Sw. e. g. stigmata aeque brevia et curvata, sed minus crassa sunt, quam in illis stirpibus. Attamen ovarium universe magis obliquum atque ovulum idcirco in basi ejus sublateraliter affixum esse reperisse mihi videor, quum in reliquis *Böhmeriis* vulgo magis aequilaterale sit et ovulum e fundo recte ascendens contineat.

1. *Genuinae.* Perigonium fructiferum magis minusve compressum, tenuiter membranaceum, siccum, laeviusculum, interdum marginatum, liberum. Ovarium sessile. Stigma filiforme, saepius elongatum et persistens. — Folia alterna, rarissime opposita, varie dentatata v. serrata. Flores in glomerulos fasciculosve axillares digesti, densi, rarissime pauci.

† *Foliis alternis* (*).

474. Böhmeria ramiflora Jacq.: fruticosa; ramulis petiolisque puberulis; foliis trinerviis dissimilibus inaequilateralibus longiuscule acuminatis dentato- v. crenato-serratis membranaceis supra punctato-scabridis et passim subrugosis subtus dense puberulis, aliis cordato-ovatis v. subcordato-lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—4 lin.), aliis oblongo-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—7 poll. s. longioribus, $\frac{3}{4}$—2 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) basi obtusis v. acutiusculis; glomerulis axillaribus et lateralibus monoicis unisexualibus; floribus masculis triandris; perigonio fructifero paulum compresso apice attenuato bidentato. Jacq. *Stirp. Amer. hist.* 246. tab. 157. Swartz *Prodr.* 34 et *Flor. Ind. occ.* I. 283. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 342. 6. Pers. *Syn. Pl.* II. 556. 6. Spr. *Syst. Veg.* III. 845. 16. — *Procris ramiflora* Lam. *Illustr.* tab. 763. 1. Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 630. 11. — *Caturus ramiflorus* Linn. *Mant.* 127. Lam. *Enc. bot.* I. 655. 2. — *Urtica frutescens foliis rugosis ovatis in acumen productis, ramulis gracilibus* Brown *Jam.* 337. — Herb. Sieb. *Flor. Martin.* N°. 213. — *B. diversifolia* et *B. ulmifolia* Wedd., e brevissimâ tantum descriptione mihi cognitae, an satis ab hac differant, adhuc dubito. — Frutex v. arbuscula, ramis alternis, foliosis, virgatis, vulgo reclinatis. Folia alterna, trinervia, saepe falcata, basi et acumine longo integerrima, ceterum satis grosse dentato-serrata. Stipulae ad basin petioli binae, fere *axillares*, distinctae, 4—5 lin., imâ plus lineam latae, lanceolatae, acuminatissimae, rectae v. leviter falcatae, membranaceae, subcarinatae, margine ciliolatae, dorso in nervo pilis albidis strigosulae, deciduae. Flores in foliorum axillis v. in ramulis foliis destitutis dense conglomerati, bracteolis scariosis ciliolatis stipati, monoici, distincti. Masculi in glomerulis inferioribus, brevissime pedicellati, pedicellis apice articulatis, candidi v. pallide flavescentes. Perigonium tripartitum, in alabastro subglobosum, in vertice obsolete tuberculatum; laciniis erecto-patentibus, ovatis, concavis, ad apicem mucronatis. Stamina 3, perigonio fere duplo longiora, in ejus fundo circa pistilli rudimentum clavatum glabrum inserta. Antherae subrotundae, retusae, basi emarginatae, dorso incumbentes. Feminei superiores, virides, setacei. Perigonium tubulosum, liberum, ovarium arcte cingens, membranaceum, extus parce pubigerum, superne nonnihil attenuatum, ore brevissime bidentatum. Ovarium cylindricum, superne in sigma elongatum capillare rectiusculum summo apice hamulosum totâ longitudine subunilateraliter papilloso-puberulentum atte-

---

(*) Praeter relatas, hae quoque hic locum suum obtinere videntur, nempe: *B. brevirostris* Wedd. l. c. 36. — *B. rhynchophylla* Wedd. l. c. 37. — *B. diversifolia* Wedd. l. c. 38. — *B. ulmifolia* Wedd. l. c. 40. — *B. Pavonii* Wedd. l. c. 42.

nuatum. Caryopsis ovoidea, stigmate caudata, recta v. subobliqua, perigonio membranaceo paululum compresso vix marginato apice attenuato bidentato subpubescente vestita. Putamen sublenticulari-compressum, laeviusculum, crustaceum. Embryon rectum, in albumine carnoso inversum. Cotyledones plano-convexae, crassiusculae, obtusae. Radicula brevis, cylindrica, supera. — In Varietate *β*, in Horto Caes. Schoenburgensi cultâ, ramuli apicibus densius sunt pubescenti-hirtuli, folia minus inaequilateralia et minus falcata, pro ratâ parte latiora, serraturis copiosioribus minoribus, utrinque ac praesertim subtus molliter subvelutino-pubescentia. Stipulae minores, quam in stirpe supra notatâ. Maxime autem eo insignitur, quod glomeruli fere masculis constant floribus, supremis et femineis immixtis, quamquam in quodam apice ramuli glomerulum solis femineis constitutum animadverti. — In Jamaicâ, Martinicâ, cet.

β Var. subvelutina: ramulis petiolisque hirtulis; foliis supra puberulis subtus molliter subvelutinis, minoribus ovatis ($1\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ poll., 1—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—6 lin.) basi rotundatis v. oblique subcordatis, majoribus ovato-oblongis ($2\frac{3}{4}$—$5\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{2}{3}$—3 poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) basi oblique rotundatis v. obtusis.

475. Böhmeria Cummingiana Bl.: fruticosa; ramulis petiolis foliisque utrinque puberulis; foliis trinerviis dissimilibus inaequilateralibus argute serratis membranaceis, aliis ovatis v. cordatis subsessilibus (5—9 lin., 4—6 lin. lat.) acutis, aliis oblongo-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—$6\frac{1}{2}$ poll., 1—2 poll. lat., pet. 3—7 lin.) acuminatissimis basi obtusis; glomerulis axillaribus et lateralibus monoicis androgynis; floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero compresso marginato apice attenuato bidentato. — Herb. Cumming N°. 1561. — In habitu *B. ramiflorae* Jacq. similis. Flores bracteis majusculis cuneatis carinatis extus appresse pubescentibus involucrati, masculi in glomerulis numerosiores, pedicello angulato-compresso pubescente apice articulato suffulti. Perigonium masculum ovoideo-globosum, extus hirtulum, quadripartitum; laciniis ovatis, acutis, concavis, infra apicem mucrone majusculo complanato obtuso auctis. Stamina 4. Pistilli rudimentum clavatum. Flores feminei brevissime pedicellati. Perigonium tubulosum, compressum, superne attenuatum, ore acute bidentatum, membranaceum, ad margines superne ciliatum. Ovarium sessile, liberum, subulatum, compressum, glabrum, superne in stigma attenuatum. Stigma capillare, perigonio duplo longius, dein magis elongatum, rectiusculum, apice incurvum, supra basin totâ longitudine inferne unilateraliter superne undique papilloso-tomentosulum. Perigonium fructiferum elongato-ellipsoideum, lenticulari-compressum, marginatum, ad margines superne ciliatum, apice attenuato-bidentatum. Caryopsis ovoidea, lenticulari-compressa, stigmate caudata, laevigata, crustacea, perigonio inclusa, non adhaerens. — In Philippinis.

476. Böhmeria depauperata Wedd.: suffruticosa; ramulis petiolis foliisque subtus tomentosulis; foliis tri- v. triplinerviis alternatim magnitudine et petiolorum longitudine dissimilibus ellipticis oblongisve (2—$5\frac{1}{2}$ poll., 1—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—2—3 poll.) acuminatis basi acutiusculis v. obtusis supra ad apicem serrato-dentatis membranaceis supra glabris et crebro punctatis; glomerulis axillaribus unisexualibus; perigonio fructifero ellipsoideo compresso canescenti-pubigero ore constricto obsolete bidenticulato. — Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^e Sér. 202. 44. — *B. glomerulifera* Miq. in Zoll. *Syst. Verz.* 101. 13. — Herb. Zoll. N°. 977. — Glomeruli in exemplis nostris cuncti feminei. Perigonium non adhaerens, ovarium arcte cingens, urceolato-ellipticum, ore constrictum et obscure bidenticulatum, membranaceum, extus canescenti-hirtellum. Stigma ovario continuum, filiforme, primo perigonium longitudine vix adaequans, deinde magis accrescens, in fructu perigonio ejus fere duplo longius, curvatum, inferne nonnihil attenuatum, unilateraliter plumosum, persistens. Perigonium fructiferum ellipticum v. subrotundo-ellipticum, in collum breve obsoleto-bidentatum constrictum, compressum, haud marginatum, papilloso-canescens. — In fruticetis et sylvis depressis Javae occidentalis.

477. Böhmeria celtidifolia Kunth: fruticosa; ramulis petiolis foliisque subtus praesertim in nervis hirtulis; foliis trinerviis inaequilateralibus oblongis v. oblongo-lanceolatis (1½—3½ poll., ⅔—1⅓ poll. lat., pet. 1½—2 lin.) acuminatis basi inaequali-rotundatis v. subcordatis argute serratis v. dentato-serratis coriaceis subrugosis supra pilis albis strigosulis; glomerulis axillaribus et lateralibus monoicis unisexualibus; floribus masculis 4—5-andris; perigonio femineo pubescente ore quadrifido. Kunth in Humb. et Bonpl. *Nov. Gen. et Sp. Am. aeq.* II. 34. Kunth *Syn. Pl. Orb. Nov.* I. 371. 2. Spr. *Syst. Veg.* III. 845. 18. — An *B. brevirostris* Wedd. satis ab hac diversa? Folia siccando in colorem obscurum fuscum abeuntia, fragilissima. Glomeruli plures masculi, pauci tantum in superioribus axillis floribus femineis congestis conformati. Perigonium masculum extus superne puberulum, 4—5-partitum; laciniis erecto-patentibus, lanceolatis, acuminatis, concavis, dorso infra apicem obtuso mucronatis. Stamina 4—5, perigonio longiora, divergenti-reflexa, antheris subrotundis, emarginato-bilobis. Pistilli rudimentum clavatum, sulcatum. Perigonium femineum ovoideum, extus pubescens, superne aliquantum contractum, breviter quadrifidum; laciniis erectis, lineari-subulatis, paulum inaequalibus. Stigma filiforme, breviusculum, perigonium longitudine adaequans, rectiusculum v. curvatum, plumosum, deciduum. — In Peruviâ, descriptione meâ e specimine a V. Cl. Pöppig collecto desumtâ.

478. Böhmeria neglecta Bl.: fruticosa; ramulis petiolis foliisque subtus tomentosulis; foliis trinerviis aequilateralibus ellipticis lanceolatisve (2—4½ poll., ⅔—1¾ poll. lat., pet. ⅓—¾ poll.) acuminatis basi obtusis v. subrotundatis serrulatis subcoriaceis rugosis supra glabris in nervis subtus incano-hirtulis; glomerulis axillaribus et lateralibus dioicis; floribus masculis tetrandris, perigonii laciniis sub apice mucronatis. — In Javâ occidentali.

†† *Foliis oppositis* (*).

479. Böhmeria Helferii Bl.: suffruticosa; ramulis petiolis foliisque supra pilis teneris albidis appressis conspersis; foliis trinerviis magnitudine et longitudine petiolorum nonnihil disparibus cordato-ovatis ($2\frac{1}{2}$—3 poll., $1\frac{1}{2}$—2 poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—$1\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis argute dentato-serratis membranaceis subtus praesertim in nervis pilosiusculis; glomerulis axillaribus confluentibus; perigonio femineo glabriusculo laganiformi- compresso apice attenuato obsolete bidentato. — Affinis *B. sidaefoliae* Wedd., sed foliis basi cordatis haud rugosis distincta. Glomeruli in Specimine indagato cuncti feminei. Stigma longitudine perigonii v. paulo longius, unilateraliter villosulum, persistens. — Vidi specimen ex Herb. Caes. Vindob. a Cl. Helfer in Indiâ orientali collectum.

480. Böhmeria pauciflora Bl.: fruticulosa; ramis asperis, junioribus petiolisque pubescentibus; foliis trinerviis ovato-oblongis ($\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. 3—7 lin.) obtuse acuminatis basi rotundatis v. subcuneatis supra basin obtuse crenato-dentatis supra asperis et utrinque praesertim in nervis subtus pubescentibus; floribus axillaribus paucis dioicis; perigonio fructifero ovoideo lenticulari-compresso subquadridentato. — *Urtica pauciflora* Hochst. *Herb. Un. itin.* N°. 682. Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 258. 5. — *Pouzolzia pauciflora* A. Rich. *Tent. Flor. Abyss.* II. 259. — *Didymogyne abyssinica* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{e} Sér. (1854) 207. 26. 1. — Stirpem hanc typum novi Generis censet V. Cl. Weddell, quod *Didymogynen* appellavit, ob bina nonnunquam cuivis perigonio inclusa pistilla, quem equidem nimis vagum existimo characterem, quam quo Genus peculiare nitatur, siquidem plerique flores a me explorati unum tantummodo fovent ovarium. In aliis quibusdam Speciebus etiam flores vidi femineos bina pistilla in eodem perigonio includentes, veluti in *B. amplissimâ* et *B. bifidâ*, quae tamen rara est anomalia. Eodem auctore, habitu quoque per stipulas liberas persistentes insigniretur; hae autem in genuinis etiam *Böhmeriis*, veluti in *B. Drumondianâ* Wedd., observantur. — Ut verisimile, ab *Urticâ inerte* Forsk., quae etiam huic Generi videtur annumeranda, foliis brevius petiolatis floribusque in axillis paucis et dioicis diversa. Stirps suffruticosa, ramosa; ramis oppositis, rarissime ternis v. quaternis, gracilibus, tetragonis, sulcatis, inferne asperis, ad apices sensim magis pilis albidis partim appressis, partim patentibus pubescentibus; inferioribus elongatis, divaricatis v. reclinatis, vulgo ramulosis; superioribus sensim brevioribus, erecto-patentibus, vulgo simplicibus. Petioli graciles, singuli binis stipulis lateralibus subulatis membranaceis nervo extus pubescente carinatis primo appressis deinde patentibus v. reflexis. Folia membranacea, nervoso-venosa, supra punctato-aspera et interdum nonnihil rugosa. Flores feminei in axillis foliorum superiorum sessiles, laxe aggregati, bracteolis scariosis intermixti. Perigonium tubulosum, ovarium solitarium rarius duo libera arcte vaginans, membranaceum, extus pubescens, superne circum basin

---

(*) Praeter relatas, hae quoque hic locum obtinere videntur, nempe: *B. hirta* Wedd. l. c. 43. — *B. parvifolia* Wedd. l. c. 46. — *B. mollis* Wedd. l. c. 47. — *B. sidaefolia* Wedd. l. c. 48.

stigmatis constrictum, ore brevissime quadridentatum. Stigma in quovis ovario terminale, elongatum, subulatum, praesertim ad margines v. unilateraliter tomentosulum, plerumque arcuatum, diu persistens. Caryopsis (rarius binae in eodem perigonio, faciebus contiguae) perigonio membranaceo inclusa, ovoidea, lenticulari-compressa, atro-brunnea, laevigata, nitida. — In umbrosis montis Silke Abyssiniae.

2. *Margarocarpus.* Perigonium fructiferum paulum compressum v. obsolete angulatum, vegeto-membranaceum v. chartaceum, interdum marginatum, rarissime striatum, liberum. Ovarium sessile. Stigma elongato-filiforme, in perigonii apice nonnihil constrictum, vulgo persistens. — Folia alterna, integerrima v. dentato-serrata. Flores in axillis foliorum densiuscule glomerati.

† *Foliis dentato-serratis.*

481. Böhmeria (Margaroc.) **viminea** Bl.: fruticosa; ramulis petiolisque strigosulis; foliis trinerviis lanceolatis v. oblongo-lanceolatis (2—4 poll., ¾—1¼ poll. lat., pet. 3—4 lin.) acuminatis basi obtusis v. acutiusculis argute serratis membranaceis laevibus supra pilis raris obsitis subtus dense pubescentibus; glomerulis monoicis androgynis; perigonio fructifero ovoideo angulato apice attenuato quadridenticulato hispidulo. — *Margarocarpus vimineus* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{e} Sér. I. 203. 1 (excl. Syn. *Pouzolziae ovalis* Miq.!). — *Urtica viminea* Herb. Wall. N°. 4616. — In Indiâ orientali.

482. Böhmeria (Margaroc.) **sanguinea** Hasskl.: fruticosa; ramulis petiolisque strigosulis; foliis trinerviis ovatis v. ovato-oblongis lanceolatisve (2—5 poll., 1—2½ poll. lat., pet. 2—6 lin.) acuminatis basi subrotundatis v. subcordatis v. acutiusculis dentato-serratis subcoriaceis subrugosis supra hispidulo-scaberrimis subtus molliuscule pubescentibus; glomerulis monoicis androgynis; perigonio fructifero ovoideo subangulato apice attenuato quadridentato hispidulo. Hasskl. *Cat. Hort. Bogor.* 79. 5 et *Pl. Jav. rar.* 205 in Obs. — *Margarocarpus vimineus* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{e} Sér. I. 203. 1 (ex parte). — *Böhmeria ovalis* Miq. in Zoll. *Syst. Verz.* 100. 11. — *Pouzolzia ovalis* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. 1. 24. 2. — *Urtica sanguinea* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 500. — *Kapierit* s. *Kapierit lumbut* Sund.; *Sarabang* Jav.; *Oerang-oerangan* Mal. — Foliorum atque serraturarum eorum valde variat magnitudo et textura, quae modo plus minus rugosa, modo planiuscula. Cortex radicum cum aquâ contusus mucilaginosus est et in lotionem capitis ad delendos pediculos adhibetur. Stirpe eâdem uti indigenas in ossium doloribus auctor mihi est Vir Amic. A. Waitz, quânam vero ratione non commemorat. — Cum formis sive Varietatibus sequentibus in sylvis montanis Javae et Sumatrae.

β Var. glabrata: foliis ovato-oblongis v. elliptico-lanceolatis (2½—4 poll., 1—1½ poll. lat., pet. 2—6 lin.) crenato-serratis membranaceis planiusculis supra glabriusculis subtus dense puberulis. — *Urtica sanguinea* Var. *glabrata* Bl. l. c. 501.

γ *Var. montana:* foliis ovato-oblongis (4—7 poll., $1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{3}$ poll.) serratis membranaceis planiusculis supra scabridis subtus dense puberulis. — *Pouzolzia montana* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. 1. 23. 1.

δ *Var. rubra:* ramulis petiolisque hirtulo-tomentosis; foliis ovatis v. elliptico-lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{2}{3}$—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) grosse crenato-serratis subcoriaceis subrugosis supra scabro-puberulis subtus molliter pubescentibus. — *Urtica rubra* Herb. Rwdt.

ε *Var. minor:* ramulis petiolisque hirtulo-tomentosis; foliis ellipticis v. elliptico-lanceolatis (1—$3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 1—3 lin.) argute serratis subcoriaceis subrugosis supra puberulo-scaberrimis subtus molliuscule tomentosis. — *Margarocarpus exasperatus* Wedd. l. c. 204. 2. — *B. microceltis* Miq. in Zoll. *Syst. Verz.* 100. 12.

483. Böhmeria (Margaroc.) **strigosula** Bl.: suffruticosa; ramulis petiolisque strigosulis; foliis trinerviis ovato- v. elliptico-oblongis lanceolatisve (2—4 poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ poll.) acuminatissimis basi rotundatis v. obtusis v. acutiusculis acute v. obtuse crenato-serratis membranaceis rugosulis supra hispidulis subtus pube subtilissimâ strigosulis; glomerulis dioicis (?); perigonio fructifero ellipsoideo lenticulari-compresso striato apice constricto quadridenticulato hispidulo. — In provinciâ sumatranâ Palembang.

484. Böhmeria (Margaroc.) **Waitziana** Bl.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus strigosis; foliis trinerviis lanceolatis v. oblongo-lanceolatis (2—$5\frac{1}{2}$ poll., $\frac{2}{3}$—2 poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{2}{3}$ poll.) acuminatis basi obtusis v. rotundatis argute serratis subcoriaceis rugosulis supra hispidulo-asperulis subtus appresse puberulis; glomerulis monoicis androgynis; perigonio fructifero ovoideo tetragono apice attenuato quadridentato hispidulo. — A *B. vimineâ* foliis firmioribus ac pubescentiâ subtus appressâ diversa. — In Javâ.

485. Böhmeria (Margaroc.) **cinerascens** Bl.: fruticosa; ramulis petiolisque strigosulis v. canescenti-hirtulis; foliis trinerviis dissimilibus acuminatis acute dentato-serrulatis chartaceis supra pube breviter appressâ conspersis subtus dense sericeo-velutinis, aliis oblongo- v. ovato-lanceolatis (3—$5\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll.) basi obtusis v. rotundatis, aliis ovatis v. ovato-oblongis (1—3 poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. $1\frac{1}{2}$—2 lin.) basi rotundatis v. subcordatis; glomerulis nunc unisexualibus nunc androgynis; perigonio fructifero ovoideo paulisper compresso laeviusculo apice attenuato inaequali-quadri-sexdentato hispidulo. — *Urtica cinerascens* (haud Bl.) Herb. Korths. — Cum Varietate in Sumatrâ a V. Cl. Korthals detecta.

β *Var. rigida:* foliis minoribus rigidioribus.

486. Böhmeria (Margaroc.) **conglobata** Bl.: frutescens; ramulis petiolisque tomentosis; foliis trinerviis nonnihil dissimilibus acutis v. subacuminatis dentato- v. crenato-serratis subcoriaceis rugosulis supra hispidulo-scaberrimis subtus canescenti-tomentosis, aliis ovato-oblongis v. ovato-ellipticis ($1\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{4}$ poll., 1—2 poll. lat., pet. 1—$1\frac{1}{2}$ poll.) basi subrotundatis v. acutiusculis, aliis ovatis (1—$1\frac{3}{4}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 2—8 lin.) basi rotundatis; glomerulis monoicis androgynis; perigonio fructifero ovoideo ore quadridentato villosiusculo — *Urtica conglobata* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 500. — In sylvis montanis Javae occidentalis.

487. Böhmeria (Margaroc.) **procridioides** Bl.: suffruticosa; ramulis petiolisque dense pubescentibus; foliis trinerviis ovatis v. ovato-oblongis ($1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ poll.) acutis v. acuminatis basi rotundatis rarissime subcuneatis crenato- v. dentato-serratis membranaceis supra sparsim pilosis subtus imprimis in nervis pubescentibus; glomerulis monoicis androgynis; perigonio fructifero compresso-ovoideo haud marginato apice subattenuato obsolete denticulato puberulo. — *Margarocarpus procridioides* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4e Sér. I. 204. 4. — *Urtica? procridioides* E. Meyer Pl. Drege N°. 4597. — Flores in glomerulis dense fasciculati, pedicellis apice articulatis basi bracteolis scariosis stipatis insidentes, feminei inter plurimos masculos pauci. Perigonia mascula extus pubescentia, tri-quadripartita; laciniis erecto-patentibus, ovato-lanceolatis, membranaceis, mucrone crassiore apiculatis, concavis. Stamina numero laciniarum perigonii, circum pistilli rudimentum crassum turbinato-globosum obsolete tri- tetragonum glabrum inserta; filamenta perigonii laciniis fere dimidio longiora, complanato-filiformia; antherae subrotundae, basi emarginato-bilobae, dorso affixae. Perigonium femineum compresso-ovoideum, superne in collum breve ore denticulatum constrictum, puberulum, liberum, ovarium arcte obtegens, fructiferum conforme, sed magis auctum et firmius, haud marginatum, longitudinaliter striolatum, appresse puberulum. Caryopsis ovoidea, mucrone diaphano apiculata, lenticulari-compressa, praeter basin pallidam nigra, laevigata, nitens, crustacea. — In Abyssiniâ, in Promontorio Bonae Spei, auctore V. Cl. Weddell etiam in Americâ tropicali.

488. Böhmeria (Margaroc.) **heterophylla** Bl.: frutescens; ramulis petiolisque villosis; foliis trinerviis dissimilibus inaequilateralibus dentato- v. crenato-serratis membranaceis rugosis supra piloso-asperis subtus tomentosis, aliis elliptico-oblongis v. ovato-lanceolatis (3—5 poll., $1\frac{1}{4}$—2 poll. lat., pet. 3—5 lin.) acuminatis basi rotundatis, aliis alternis multo minoribus subsessilibus ovatis ($\frac{1}{2}$—1 poll., $\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat.) acutis basi oblique cordatis; glomerulis unisexualibus. — *Margarocarpus heterophyllus* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^e Sér. I. 204. 3. — Herb. Cumming N°. 731. — Stirpis hujus non alia mihi cognita sunt Specimina, quam floribus masculis. Propter magnas bracteas, quibus involucrantur, facile eam Generi *Phenaci* annumeres, quae tamen in nonnullis quoque *Böhmeriis* reperiuntur. Hae lato-ovatae v. subrotundae, acutiusculae, carinatae, scariosae, pallide ferrugineae, dorso in nervo carinali pilosae, ad margines superne ciliatae. Flores masculi inter bracteas solitarii, pedicello brevi apice articulato pubescente suffulti. Perigonium quadripartitum, extus pilosum; laciniis erecto-patentibus, lanceolatis, subulato-acuminatis, inferne ad recipienda stamina excavatis, superne planis, dorso supra basin intus excavatam singulis appendice elongatâ rectâ lineari acuminatâ membranaceâ pilosâ praeditis, in praefloratione erectis, valvatis. Stamina 4, inclusa, laciniis perigonii opposita; filamenta brevia, complanata, ante anthesin apice inflexa; antherae subrotundo-ovales, utrinque emarginatae, dorso medio affixae. Pistilli rudimentum ellipsoideum, glabrum, circa basin pilis brevibus cinctum. — In Philippinis.

489. Böhmeria (Margaroc.) **excelsa** Bl.: fruticosa; ramulis petiolisque sericeo-velutinis; foliis trinerviis ellipticis v. ovato-oblongis lanceolatisve ($1\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{4}$ poll, $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{3}{4}$ poll.) acutis v. acuminatis basi obtusis v. rotundatis crenato-serratis coriaceis supra punctato-asperulis subtus canescenti-tomentosis nervisque hirtulis; glomerulis axillaribus et lateralibus unisexualibus; perigonio fructifero tetragono submarginato apice attenuato quadridentato hirtulo. Bl. in Herb. Steudel (1852). — *Procris excelsa* Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 261. 19. Walp. *Ann. bot.* III. 414. 1. — *Urtica excelsa Bertero* Herb. N°. 1521. — *Splitgerbera denudata* Gay *Flor. Chil.* V. 362. — Rami teretes, glabriusculi, rugosi, fusci, juniores subfastigiati, canescenti-sericei. Stipulae laterales, appressae, 2—3 lin., sessiles, lineari-subulatae, acuminatissimae, basi paulum obliquae, subcarinatae, membranaceae, extus sericeae, intus glabrae, fugacissimae. Etiam in paginâ foliorum superiore dense papilloso-punctatâ pili albi rari appressi cernuntur; pagina aversa inter tres nervos et venas laxe reticulata. Glomeruli lapsu foliorum vulgo laterales, ut verisimile, dioici, quippe qui in specimine a V. Cl. Steudel mecum communicato nonnisi floribus femineis inter bracteas minutas ovatas v. ovato-oblongas membranaceas extus pubescentes dense fasciculatis constant. Hi pedicello brevissimo pubescente sub perigonio articulato suffulti. Perigonium lageniforme, nervis quatuor in dentes breves subulatos oris excurrentibus, ovarium et basin stigmatis nonnihil attenuatam arcte cingens, membranaceum, extus praesertim sursum et in dentibus paulo crassioribus erecto-patentibus pubescens. Stigma terminale, filiforme, elongatum, rectum v. saepe curvatum, supra basin tubo perigonii inclusam undique villosulum. Caryopsis stigmate persistente caudata, ovoidea, lenticulari-compressa, nitida, alba, perigonio ovoideo inferne compresso-tetragono submarginato superne attenuato et quadridentato membranaceo canescenti-hirtulo obvestita. — In umbrosis insulae Juan Fernandez.

490. Böhmeria (Margaroc.) **australis** Endl.: fruticosa; ramulis petiolisque canescenti-hirtulis; foliis trinerviis cordatis v. cordato-oblongis ($2\frac{1}{2}$—6 poll., $1\frac{1}{2}$—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—3 poll.) acutis v. acuminatis argute dentato-serratis chartaceis supra pilis albidis puberulis subtus canescenti-tomentosis nervisque hirtulis; glomerulis monoicis androgynis; perigonio fructifero compresso membranaceo-marginato apice attenuato bi- v. obsolete quadridentato pilosiusculo. Endl. *Prodr. Flor. Norfolk.* 38. 82. Ejusd. *Illustr.* tab. 86. — Descriptioni praeclarae V. Ill. Endlicher *l. c.* haec modo addantur: flores androgyni in glomerulis dense fasciculati, pedicellati, pedicellis pilis raris patentibus puberulis, bracteolis scariosis oblongis obtusis v. lanceolatis subcarinatis paulum ciliatis sessilibus stipatis, sub perigonio articulatis. Perigonium femineum ventricoso-tubulosum, inferne obsolete tri- v. tetragono-compressum, superne attenuatum, ore brevissime bi- v. inconspicue quadridenticulatum, nempe denticulis faciebus obversis minutissimis v. obliteratis, marginalibus distinctioribus. Stigma elongatum, ad basin perigonio inclusam magis attenuatam glabrum, ceterum undique dense papilloso-villosiusculum. Caryopsis ovoidea, lenticulari-compressa, laevis, pallide straminea, crustacea, fragilis, perigonio membranaceo-marginato pilosulo obtecta, stigmate persistente terminata. — In insulâ Norfolk; vidi specimina genuina in Herb. Caes. Vindobonensi.

† † *Foliis integerrimis* (*).

491. Böhmeria (Margaroc.) **discolor** Pöpp.: frutescens; ramulis petiolis foliisque subtus canescenti-tomentosis; foliis trinerviis lanceolatis ($1\frac{3}{4}$—$4\frac{3}{4}$ poll., $\frac{2}{3}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 2—6 lin.) acuminatis basi obtusis v. retusis integerrimis chartaceis supra appresse pubescentibus v. tandem asperulis; glomerulis axillaribus unisexualibus; perigonio fructifero ovoideo apice longiuscule attenuato dense hirtulo ore 2—4-fido. — *B. discolor* Herb. Pöpp. N°. 1284. — *Margarocarpus Poeppigianus* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4e Sér. I. 204. 7. — Flores tam masculi quam feminei hirtuli. Stigma imprimis in fructu longissimum, recurvum, intra perigonii apicem constrictum. Perigonium fructiferum haud angulatum nec marginatum, oris laciniis subulatis, erectis v. erecto-patentibus, passim inaequalibus. Caryopsis elongato-ovoidea, paulum compressa, crustacea, laevigata, nitida, albida. — In Peruviâ.

492. Böhmeria (Margaroc.) **guatemalana** Bl.: fruticosa; ramulis petiolisque puberulis; foliis trinerviis lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—$5\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—$2\frac{1}{2}$ poll.) acuminatissimis basi obtusis v. acutis integerrimis membranaceis supra imprimis ad marginem puberulis v. tandem glabriusculis subtus cano-tomentosulis; glomerulis axillaribus et lateralibus monoicis androgynis; perigonio fructifero ovoideo constricto-attenuato strigoso ore quadri-

---

(*) Praeter relatas, hae quoque hic locum suum obtinere videntur, nempe: *B. obliqua* Pöpp. (Margarocarpus obliquus Wedd. l. c. 5.) — *B. ovata* (Margarocarpus ovatus Wedd. l. c. 6.) — *B. laevis* (Margarocarpus laevis Wedd. l. c. 8.) — *B. aspera* (Margarocarpus asper Wedd. l. c. 9.) — *B. Boliviana* (Margarocarpus Bolivianus Wedd. l. c. 10).

dentato. — Herb. FRIEDRICHSTHAL N°. 1272. — An satis a *B. laevi* (Margarocarpi laevi WEDD. l. c. 204. 8.) distincta? — Rami virgati, foliosi s. foliorum cicatricibus tuberculati, inferne glabrati, cortice rufescente vestiti, ad apices uti petioli ac nervi subtus subpubescentes. Perigonium fructiferum obsolete striatum, non marginatum. Stigma filiforme, pubescens, ante fructus maturitatem deciduum. — Vidi specimina in Herb. Caes. Vindobonensi.

3. *Chamabainia.* Perigonium fructiferum varie compressum, membranaceum v. vegeto-herbaceum, interdum marginatum, liberum. Ovarium sessile, subobliquum. Stigma fusiforme, breve, incurvum, saepe crassiusculum et persistens. — Folia opposita, vulgo disparia, varie dentata v. serrata. Flores in foliorum axillis dense glomerati.

493. Böhmeria squamigera WEDD.: suffruticosa; ramulis petiolisque pubescentibus; foliis aequalibus trinerviis ovatis (½—1 poll., 5—8 lin. lat., pet. 1½—2 lin.) acutis basi rotundatis rarissime acutiusculis serratis membranaceis utrinque pilosiusculis; glomerulis axillaribus monoicis androgynis v. unisexualibus stipulis persistentibus involucratis; perigonio fructifero ovoideo-compresso apiculato superne hirtulo. WEDD. in *Ann. Sc. nat.* 4ᵉ Sér. I. 203. 49. — *Chamabainia cuspidata* WIGHT *Icon.* VI. tab. 1981. WEDD. in *Ann. Sc. nat.* 4ᵉ Sér. I. 207. 1. — *Urtica squamigera* WALL. *Cat.* N°. 4592. — Caulis diffusus, prostratus, radicans. Ramuli ascendentes, graciles, tetragoni, ut petioli et folia pilis patentibus albidis pubescentes. Stipulae caulinares, sublaterales, in basi cujusvis petioli geminatae, ovatae, inaequilaterales, uninerviae, nervo excurrente extus pubescente cuspidatae, scariosae, patentes v. reflexae, persistentes. Folia breviter petiolata, grosse serrata. Flores in axillis foliorum fasciculato-glomerati, bracteolati, stipulis persistentibus cincti, monoici, androgyni v. in axillis supremis masculos, in inferioribus femineos glomerulos exhibentes. Masculi praecociores, longius pedicellati, pedicello sub perigonio articulato. Perigonium ante anthesin globoso-tetragonum superne hirsutulum et in vertice apiculatum, deinde quadripartitum, laciniis acuminatis, concavis, sub apice inflexo mucrone appendiculatis. Stamina 4, circa pistilli rudimentum clavatum glabrum inserta, perigonio longiora. Flores feminei subsessiles, parvuli. Perigonium ventricoso-tubulosum, liberum, compressum, ovarium arcte cingens, ore constricto obsolete quadridentatum, membranaceum, inferne glabrum, superne hirsutulum. Stigma terminale, breve, crassiusculum, fusiforme, incurvum, supra dense papilloso-villosum. Perigonium fructiferum compresso-ovoideum, satis apiculatum, superne hirtulum. — Circa fluvios in sylvis montanis Indiae orientalis.

494. Böhmeria latifolia BL.: arborescens; ramulis petiolis nervisque subtus appresse pubescentibus; foliis paulum disparibus trinerviis subrotundo-ovatis acuminatis dentato-crenatis rugosulis supra laeviusculis subtus sericeis, altero saepe longius petiolato (6—8 poll., 4—6 poll. lat., pet. 1¾—3¾ poll.) basi subinaequali-rotundato v. truncato, altero ($4\frac{1}{2}$—6 poll., 3—5 poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—3 poll.) ad basin saepe subcordato; glomerulis monoicis androgynis saepe confluentibus; floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero compresso marginato superne ciliato obsolete bidentato. — In Novâ Guineâ a divo Zippelio reperta.

495. Böhmeria moluccana Wedd.: arborescens; ramulis pube appressâ obsitis; foliis disparibus inaequilateralibus trinerviis ovato-oblongis acuminatis argute dentato-serrulatis rugosis supra hispidulis subtus petiolisque molliter pubescentibus, altero longius petiolato ($5\frac{1}{2}$—7 poll., $2\frac{1}{4}$—3 poll. lat., pet. 2—$2\frac{1}{2}$ poll.) basi subrotundato, altero (3—4 poll., $1\frac{1}{2}$—2 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll.) basi subcordato; glomerulis monoicis unisexualibus confluentibus; floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero lenticulari-compresso superne angustissime marginato quadridentato. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{e} Sér. I. 201. 23. — *Urtica moluccana* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 491. — *Urtica arborea* Herb. Rwdt. — Accedit ad *B. macrocephalam* (s. Cypholophum macrocephalum Wedd.). — In sylvis Moluccarum.

496. Böhmeria sericea Bl.: arborescens; ramulis petiolis nervisque subtus pube appressâ strigosulis; foliis disparibus trinerviis ovatis v. ovato-oblongis acuminatis basi suboblique-rotundatis inaequaliter dentato-serrulatis rugosis supra asperis subtus sericeis, altero longius petiolato magis oblongo (5—$7\frac{1}{2}$ poll., 2—4 poll. lat., pet. 1—$3\frac{1}{2}$ poll.), altero ovato (3—5 poll., $1\frac{1}{2}$—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—1 poll.); glomerulis monoicis androgynis modo discretis, interdum confluentibus; floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero lenticulari-compresso superne marginato obsolete quadridentato. — *Kelomputi weren* Indig. — In sylvis Tondano insulae Celebes.

497. Böhmeria crenata Bl.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus pube canescente appressis; foliis paulum disparibus trinerviis inaequilateralibus ovato-oblongis acuminatis basi suboblique-rotundatis dentato-crenatis subrugosis supra asperis subtus sericeis, altero longius petiolato (5—$9\frac{1}{2}$ poll., 2—$4\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$2\frac{3}{4}$ poll.), altero ($3\frac{1}{4}$—9 poll., $1\frac{1}{2}$—4 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{3}$ poll.) ad basin saepius rotundato rarius subcordato; glomerulis monoicis androgynis modo discretis v. saepius confluentibus; floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero lenticulari-compresso superne hirtulo obsolete quadridentato. — *Urtica crenata* Herb. Zipp. — Foliis tenuioribus, minus rugosis ac magnitudine minus inaequalibus a praecedente distincta. — In Javâ et in Moluccis.

Lugduni-Batavorum, Kal. Martii 1856.

MUSEUM BOTANICUM
LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Urticaceae.** — **Böhmeria.**

3. *Chamabainia.*

§ Perigonium fructiferum subbaccatum.

498. Böhmeria vestita Bl.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus dense strigosis; foliis valde disparibus trinerviis elliptico-oblongis serrulatis supra glabris, altero longius petiolato (3½—6 poll., 1½—2½ poll. lat., pet. ⅔—1 poll.) acuminato, altero brevissime petiolato (⅔—1⅓ poll., 4—7 lin. lat., pet. 1—2½ lin.) acuto v. obtuso; glomerulis dioicis saepe confluentibus; perigonio fructifero subbaccato lato marginato ore bidentato. — In Novâ Guineâ (Zipp.).

499. Böhmeria prostrata Bl.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus hirtis; foliis valde disparibus trinerviis basi obtusis argute dentato-serratis rugosis supra hispidulo-asperis subtus pubescentibus, majoribus ellipticis v. oblongo-ellipticis (2¾—6 poll., 1⅓—3 poll. lat., pet. ¼—½ poll.) acutis v. acuminatis, minoribus sessilibus ovatis (½—1¼ poll., 5—10 lin. lat.) acutis v. obtusis. — Caulis prostratus, ramis subflexuosis, saepe radicantibus, dense ochraceo-hirtis. Folia subtus e fusco-rubentia. Stipulae axillares, profunde bipartitae, semipollicares, lineari-subulatae, acuminatissimae, scariosae, dorso villosae. — In Novâ Guineâ ad rupes (Zipp.).

500. Böhmeria lutescens Bl.: fruticosa; ramulis petiolisque pilis raris appressis conspersis; foliis aequalibus v. paululum disparibus trinerviis oblongo-lanceolatis (2—4½ poll., ½—1½ poll. lat., pet. ¼—¾ poll.) acutis v. acuminatis basi acutis v. obtusis acute serratis subrugosis supra glabris in nervis subtus appresse pubescentibus; glomerulis dioicis discretis v. confluentibus, floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero lenticulari-compresso ore obsolete bidentato. — *Cypholophus rufescens* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^me^ Sér. I. 198. 2. — *Dendrocnide? coerulea* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 31. 3 (excl. Syn. *Urticae caeruleae* Bl.). — *Urtica lutescens* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 494. — *Popohan* Sund.; *Kradang* s. *Wateran* Jav. — In sylvis Javae ad altitudinem 3—5000 ped.

501. Böhmeria coerulea Bl.: fruticosa; ramulis junioribus petiolisque subtomentosis; foliis disparibus trinerviis oblongo-lanceolatis crenulatis v. denticulatis acutis v. acuminatis supra glabris in nervis subtus parce tomentosis, altero plerumque longius petiolato (2—$3\frac{3}{4}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 poll.) basi vulgo attenuato, altero ($1\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 3—7 lin.) basi plerumque obtuso; glomerulis monoicis unisexualibus saepe confluentibus; perigonio fructifero subbaccato cuneato varie compresso apiculato. — *Urtica caerulea* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 495. — In Moluccis.

502. Böhmeria melanocarpa Bl.: fruticosa; ramulis junioribus petiolisque pilis raris appressis conspersis; foliis paululum disparibus (petiolis saepe inaequilongis) tri- v. subtriplinerviis lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—5 poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 3—10 lin.) acuminatis basi acutis. v. obtusis obtuse serratis utrinque glabris v. in nervis subtus parce appresse puberulis; glomerulis dioicis subconfluentibus; perigonio fructifero subbaccato cuneato varie compresso apiculato. — *Urtica melanocarpa* Herb. Zipp. — Folia subtus rubescentia. Baccae nigricantes. — In Novâ Guineâ.

4. *Tilocnide.* Perigonium fructiferum lenticulari-compressum, membranaceum, laeviusculum, liberum. Ovarium pedicellatum. Stigma filiforme, sat elongatum, persistens. — Folia alterna, serrato-dentata. Florum glomeruli laxe paniculati v. in spicis densis congesti.

503. Böhmeria compacta Bl.: suffruticosa; ramulis petiolisque canescenti-hirtulis; foliis trinerviis ovatis (2—5 poll., 2—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $1\frac{1}{4}$—3 poll.) acuminatissimis basi rotundatis v. truncatis rarissime acutiusculis grosse dentato-serratis membranaceis supra asperis subtus incano-tomentosis; glomerulis femineis in axillis sessilibus aut in spicis brevissimis conglomeratis; perigonio fructifero turbinato lenticulari-compresso inferne anguste marginato puberulo ore quadridentato. — Flores feminei dense fasciculato-glomerati, brevissime pedicellati, pedicellis bracteolis minutissimis subulatis ferrugineis circumvallatis. Perigonium ventricoso-tubulosum, basi compressum, membranaceum, pilis raris obsitum, ore paululum contracto quadridentatum, dentibus ovatis, acutis, saepe inaequalibus. Ovarium cylindraceum, liberum. Stigma apici ovarii continuum, filiforme, rectum v. apice saepe incurvum, ad basin glabrum, infra medium ad apicem unilateraliter villosulo-papillosum. Caryopsis ovoidea, sublenticulari-compressa, laevis, perigonio obovoideo v. turbinato membranaceo anguste marginato puberulo inclusa. — In Javâ occidentali.

504. Böhmeria nivea Gaudich.: suffruticosa; ramulis petiolisque dense canescenti-pubescentibus; foliis trinerviis subrotundo-ovatis (2—7 poll., $1\frac{3}{4}$—6 poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—6 poll.) acuminatis basi rotundatis v. plerumque in petiolum productis dentatis membranaceis supra scabris subtus niveo-tomentosis; spicis ramosis v. paniculatis interrupte glomeratis monoicis unisexualibus; perigonio fructifero ellipsoideo lenticulari-compresso hirtulo ore birarius tridentato. Gaudich. in *Voy.* Freycin. *bot.* 499. 2 (excl. ut in seq. Syn. *Herb. Amb.*). Miq. in *Pl. Jungh.* 1. 33. 4 (ex parte). — *Urtica nivea* Linn. *Spec. Plant.* 1398. 17. Ejusd. *Hort. Cliff.* 441. van Royen *Lugd. Bat.* 210. 5. Mill. *Dict.* N°. 9. N. Burm. *Flor. Ind.* 297. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 237. 17. Jacq. *Hort.* tab. 166. Lam. *Enc. bot.* IV. 643. 36. Lour. *Flor. Coch.* 683. 4. Thunb. *Flor. Jap.* 71. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 366. 65. Pers. *Syn. Pl.* II. 555. 70. Spr. *Syst. Veg.* III. 843. 99. Blanco *Flor. Filipp.* 697. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Ak. Wiss.* IV. 3^{te} Abth. 214. N°. 759. — *Urtica racemifera maxima sinarum, foliis subtus argentea lanugine villosis* Pluk. *Amalth.* 212. — *Tsjò*, vulgo *Sjiro oo κατ᾽ ὄνομα*, Cannabis alba, aliis *Karaunsi*, *Karao* et *Mäo* Kaempf. *Amoen. ex.* 891. — *Kara musi* s. *Siroso* Jap.; *Sidjiafi* s. *Sidziafi* incol. Mariann. — Fibras eximiae virtutis et texturis tenuissimis aptissimas e libro hujus stirpis colligi et a remotissimâ inde memoriâ praesertim in Sinâ et Japoniâ huic usui inservisse res vulgo nota est. Quid quod fibrae illae tenuiores et magis sericeae sunt quam *B. tenacissimae*, sed minus validae et tenaces. — In Sinâ, Japoniâ, insulis Philippinis, Mariannis, cet.

β *Var. reticulata:* ramulis petiolisque strigoso-hirtulis; foliis ovatis v. ovato-oblongis ($2\frac{3}{4}$—$5\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—3 poll.) subtus albido-tomentosis et inter nervos distinctius reticulatis. — In Japoniâ.

505. Böhmeria tenacissima Gaudich.: suffruticosa; ramulis petiolisque pubescentibus; foliis trinerviis subrotundo-ovatis ($2\frac{1}{2}$—8 poll., 2—7 poll. lat., pet. 1—5 poll.) acuminatis basi subcordatis et plerumque in petiolum productis grosse dentatis membranaceis pilosiusculis concoloribus v. imprimis junioribus subtus albicanti-tomentosis; spicis laxe paniculatis interrupte glomeratis monoicis unisexualibus; perigonio fructifero ellipsoideo lenticulari-compresso puberulo ore bidentato. Gaudich. in *Voy.* Freycin. *bot.* 500. — *B. utilis* Bl. in *Ind. By.* I. 483. — *B. candicans* Hasskl. *Cat. Bog.* 79. 13. et *Pl. Jav. rar.* 203. Obs. — *B. nivea* Miq. in *Pl. Jungh.* 1. 33. 4 (ex parte). — *Urtica candicans* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 503. — *Urtica tenacissima* Roxb. *Flor. Ind.* III. 590. 19. Wight *Icon.* II. tab. 688. — *Ramium majus* Rumph. *Herb. Amb.* V. 214. tab. 79. — *Rame* s. *Rami* s. *Ramai* s. *Gunni* Mal.; *Kiparoy* s. *Kapieriet* s. *Haramay lalakkie* Sund.; *Klooi* in Sumatrâ; *Inan* Amb.; *Gambé* Celeb. — E magno speciminum numero, quae mihi ad manum sunt, reverâ sequi videtur, hanc Speciem vix servari posse et culturâ, ut videtur, e *B. niveâ* ortam esse, licet haec stirps foliis subtus niveo-tomentosis quam maxime insigniatur. Notatu omnino dignissimae sunt ob fibras, quas habent, plurimae ex Urticaceis Indiae orientalis, sed nulla magis hac stirpe, cujus fibrae tenacitate optimam cannabim superant et vel ad eas telas, quae ex lino tantum conficiuntur, sunt aptissimae. Eo magis est mirandum, tam exiguum adhuc ejus usum neque ullam ejus rationem habitam fuisse, priusquam nuper admodum hujus materiae fibrosae specimina peritis ejus rei ostendissem ac principes reipublicae nostrae monuissem, quantas haud ullo dubio utilitates conserendâ eâ stirpe cum coloniae, tum ipsa patria nostra assequi possent. Hoc facile intelliget quicunque paratas inde funes, retia piscatoria, carbasa, mappas, aliasque telas tenuiores aliis ex cannabi aut lino confectis tenacitate longe praestare cogitaverit et simul magnam copiam materiae fibrosae, quam stirps ea continet, animadverterit, quae tanta est, ut secundâ rerum conditione multoties major sit, quam cannabis vulgaris. Itaque ejus cultura magistratuum curâ et excitatione profecto est dignissima, cum praesertim colonis europaeis, qui agriculturae in regionibus tropicis operam dare volent, novum prosperitatis fontem aperire possit; quae ut feliciter succedat, coelum maxime, quale sub tropicis esse solet, humidum, solum humo congestum, et umbra requiruntur, quapropter in Archipelago indico plantationes arborum Coffeae exhaustas apprime ei idoneas esse existimo. — In Javâ, Sumatrâ, Borneo, cet.

5. *Duretia.* Perigonium fructiferum magis minusve compressum v. interdum simul cum pericarpio marginatum v. alato-explanatum, membranaceum, vegetum, liberum v. magis minusve pericarpio accretum. Ovarium sessile v. breviter pedicellatum. Stigma filiforme, saepe elongatum et persistens. — Folia plurimis opposita aut subopposita, rarissime alterna aut subverticillata, varie serrata, dentata v. crenata. Flores in glomerulos spicatos v. paniculatos digesti et interdum simul in foliorum axillis glomerati.

† *Foliis alternis.*

506. Böhmeria rugulosa Wedd.: fruticosa; ramulis petiolisque pube brevissimâ appressâ conspersis; foliis trinerviis elliptico-v. oblongo-lanceolatis ($3\frac{1}{2}$—$7\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{4}$—$2\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ poll.) acuminatis basi obtusis v. rotundatis v. acutiusculis crenato-serratis supra glabris et passim rugosulis subtus incano-sericeis; spicis axillaribus solitariis geminisve folium adaequantibus v. brevioribus; floribus interrupte glomeratis dioicis; perigonio fructifero bialato longe ciliato ore bidentato. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4ᵉ Sér. I. 200. 15. — *Urtica rugulosa* Herb. Wall. N°. 4597. — In sylvis Himelayanis.

† † *Foliis oppositis v. suboppositis, rarissime subverticillatis* (*).

507. Böhmeria cylindrica Sw.: herbacea; ramulis petiolisque puberulis; foliis trinerviis ovatis v. ovato-oblongis ($1\frac{1}{2}$—5 poll., $\frac{3}{4}$—2 poll. lat., pet. 2 lin.—$1\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi ro-

---

(*) Praeter relatas, hae quoque hic locum oblinere videntur, nempe: *B. elliptica* Wedd. l. c. 17. — *B. stipularis* Wedd. l. c. 18. — *B. tomentosa* Wedd. l. c. 19. — *B. scabrella* Gaudich. — *B. Hamiltoniana* Wedd. l. c. 9. — *B. rotundifolia* Don. — *B. platyphylla* Don. — *B. virgata* Guillem. — *B. taitensis* Wedd. l. c. 21. — *B. microcarpa* Wedd. l. c. 24. — *B. arguta* Miq. — *B. phyllostachya* Miq. — *B. dasypoda* Miq. — *B. Zollingeriana* Wedd. l. c. 34 (B. diversiflora Miq.).

tundatis v. subcordatis dentato-serratis membranaceis supra rugosulis v. planiusculis pilisque sparsis brevibus scabridis (dein glabriusculis) subtus imprimis in nervis venisque puberulis; glomerulis unisexualibus s. androgynis axillaribus v. lateralibus aut in spicis simplicibus interruptis v. cylindricis apice interdum comosis digestis; perigonio fructifero ovoideo lenticulari-compresso superne puberulo ore obsolete quadridentato. Sw. *Flor. Ind. occ.* I. 282 in Obs. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 340. 3. Pers. *Syn. Pl.* II. 556. 3. Spr. *Syst. Veg.* III. 844. 11. — *Böhmeria littoralis* Sw. *l. c.* 281. Willd. *l. c.* 2. Pers. *l. c.* 2. Spr. *l. c.* 9. — *Procris littoralis* Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 628. 3 (excl. A.). — *Urtica cylindrica* Linn. *Spec. Pl.* 1396. 9. Mill. *Dict.* N^r. 6. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 232. 9. Lam. *Enc. bot.* IV. 639. 12. Michx. *Amer.* II. 179. — *Urtica foliis oppositis oblongis serratis nervosis petiolatis* Gronov. *Virg.* 145. — *Urtica racemosa humilior iners* Sloan. *Jam.* 38. *Hist.* I. 124. tab. 82. fig. 2. — *Urtica major iners viginiana malabathri folio trinervis* Pluken. *Mant.* 189. — *Urtica pumila* (haud Linn.) Pl. Schweinitz in Herb. Caes. Vindob. — Ut *Urtica dioica* nostra, ita et haec pro variâ locorum naturà foliorum magnitudine, texturà, pubescentià petiolorumque longitudine satis variabilis, quod specimina ex Herb. van Royen, Person, complura quoque ex Herb. Caes. Vindob. a Schweinitz, Rafinesque, Asa Gray aliisque collecta confirmant. Folia plerumque opposita, posteriorum nonnulla et quae in ramulis floralibus germinant ex parte alterna. Glomeruli axillares v. in ramulis teneris, foliis aut omnino aut paene denudatis, erecto-patentibus per spicas interruptas collocati, feminei fere floribus masculis praecocibus immixti, quibus lapsis glomeruli progrediente florum femineorum grossificatione haud raro in spicam cylindraceam nudam v. comosam confluunt. Flores masculi pedicellati; alabastra eorum globoso-tetragona, puberula, in vertice sub quatuor laciniarum apicibus valvato-inflexis totidem cristulis paulum prominentibus obtusis transversalibus membranaceis instructa. Perigonium profunde quadripartitum; laciniis ovatis, acutis, patentibus, saccato-concavis, membranaceis, intus glabris, extus puberulis et infra apicem brevissime appendiculatis. Stamina 4, exserta, glabra; filamentis subulato-filiformibus, tandem reflexis; antheris subrotundo-didymis. Pistilli rudimentum satis evolutum, ellipsoideum, obtusum, glabrum. Flores feminei in glomerulis dense fasciculati, brevissime pedicellati, bibracteolati. Perigonium tubuloso-ventricosum, compressum, ovarium arcte cingens, membranaceum, glabriusculum v. superne piliolis raris brevissimis tenerrimis, superne ad exortum stigmatis contractum, ore brevissime quadridentatum. Stigma apici ovarii continuum, perigonio circiter dimidio brevius, filiforme, superne incurvum, subunilateraliter papilloso-pubescens, persistens. Perigonium fructiferum compresso-ovoideum, membranaceum, superne nonnihil puberulum, caryopsi lenticulari-compressae marginatae agglutinatum. Putamen subspongiosum, rhaphidiis sparsis striolatum. Nucleus elongato-ovoideus, paululum modo compressus, testâ membranaceâ inclusus. Embryon in albumine inversum, rectum. Cotyledones subrotundae, planae, crassiusculae. Radicula conica, supera. — Inde ex Canadâ per Americam foederatam latissime dispersa, etiam Jamaicam incolens, maxime circa fluvios.

β *Var. hispidula:* foliis rugosulis supra hispidulis in nervis subtus pilis albidis strigosis. — *Urtica capitata* (haud LINN.) Pl. SCHWEINITZ in Mus. bot. Caes. Vindob. — In Americâ septentrionali.

γ *Var. pubigera:* foliis rugosulis supra hispidulis subtus densius puberulis.

δ *Var. tenerrima:* foliis planis ex parte longissime petiolatis tenere membranaceis glabriusculis. — Haec quamquam Varietas primo aspectu foliis longius petiolatis texturâ tenerrimâ insignitur, separare eam tamquam Speciem peculiarem non audeo. In floribus nullum aliud discrimen praeter stigmata paulo longiora, ut perigonium florum femineorum longitudine paene adaequent, et basi crassiora. — Circa Ohio a DREGE reperta, fide speciminum in Herb. Caes. Vindobonensi.

508. Böhmeria Drumondiana WEDD.: ramulis petiolisque puberulo-asperulis; foliis oppositis trinerviis ovato-oblongis (2½—4 poll., 1—1⅓ poll. lat., pet. 4—8 lin.) acuminatis basi rotundatis v. subcordatis dentato-serratis supra hirtulo-asperis subtus molliter pubescenti-tomentosis; spicis brevibus erectis comosis. WEDD. in *Ann. Sc. nat.* 4ᵉ Sér. I. 201. 30. — DRUMOND. *Pl. exs.* N°. 267. — Haec an potius *B. cylindricae* Sw. sit Varietas, adhuc vehementer dubito. At stigmata in hac multo elongatiora quam in *B. cylindricâ* et foliis subtus molliter pubescentibus diversa. Stirps, ut videtur, suffruticosa, ramis s. ramulis elongatis, subtetragonis, fuscis, inanibus, ut petioli tenues teretiusculi pilis brevissimis densis canescentibus asperis. Folia opposita, paribus inferioribus fere duos pollices inter se distantibus, superioribus sensim magis approximatis, praeter nervos laterales supra medium ad marginem evanescentes tribus quatuorve utroque latere venis erecto-patentibus leviter curvatis per venulas transversales anastomosantibus, superne lurida, opaca, pilis brevibus ad basin incrassatis pallidis hirta et punctato-aspera, denique glabrata, subtus pallidiora et praesertim in nervis venisque prominentibus pubescenti-tomentosa, ad margines aequali-dentato-serrata. Stipulae caulinares, juxta quemvis petiolum binae, liberae, angusto-lineares, acuminatae, membranaceae, intus glabrae, extus nervo hirtulo protuberante, patentes, satis diu persistentes. Spicae axillares, solitariae, erectae, ½—1-pollicares, simplices, cylindricae, bracteatae, hirtulae, androgynae, comosae. Bracteae in floribus glomeratis solitariae, sessiles, e basi latâ ovatâ subulatae, concavae, membranaceae, extus praesertim in nervo medio hirtulae, intus glabrae, primo imbricatae, deinde patulae, persistentes. Quovis glomerulo subgloboso continentur terni quaternive flores masculi majores, quos flores feminei complures, per fasciculos brevissimos pedunculatos digesti, cingunt. Masculi brevissime pedicellati. Perigonium aequaliter quadripartitum, membranaceum, extus hirtum, intus glabrum; laciniis oblongo-lanceolatis, inferne cucullatis, apice in cuspidem brevem incurvam contractis. Stamina 4, in fundo perigonii, ejusdem laciniis opposita. Filamenta in floribus, quos nondum apertos indagavi, brevissima v. subnulla. Antherae subrotundae, utrinque retusae. Pistilli rudimentum satis magnum, sessile, turbinato-globosum, in vertice obsolete apiculatum, carnosum, glabrum. Feminei bracteolis parvis lanceolatis acutis concavis scariosis margine dorsoque hirtulis cincti, parvuli, sessiles. Perigonium tubulosum, paulum compressum, ore modice tantum contracto dentibus quatuor erectis acutis praeditum, membranaceum, glabriusculum, basi styli continuâ ovarium arcte cingens. Ovarium sessile, oblongum. Stigma terminale, e basi filiformi subulatum, perigonio duplo longius, modo rectiusculum, modo varie curvatum v. infractum, basi glabrum, infra medium ad apicem usque unilateraliter villosulo-stigmatosum. — In Texas. Descriptio fide speciminis ex Herbario Caes. Vindobonensi.

509. Böhmeria caudata Sw.: fruticosa; ramulis petiolisque tomentoso-hirtulis; foliis trinerviis ovatis oblongisve (auctore V. Cl. Swartz palmaria et ultra, in specimine nostro $2\frac{1}{2}$—5 poll., $1\frac{1}{4}$—2 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi rotundatis v. obtusis supra basin ad apicem crenato-serratis supra subrugosis et hispidulo-asperis subtus praesertim in nervis tomentosis; spicis axillaribus solitariis simplicibus longissimis pendulis; floribus interrupte glomeratis dioicis; perigonio fructifero bialato ore obsolete quadridentato. Sw. *Prodr.* 34. et *Flor. Ind. occ.* I. 279. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 340. 1. Spr. *Syst. Veg.* III. 844. 1. — *Procris caudata* Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 629. 10. — *Böhmeria ampullacea* Kunth *Nov. Gen. et Sp.* II. 35. Ejusd. *Syn. Pl. Orb. nov.* I. 372. 5. — *Urtica fruticosa, foliis amplissimis ovatis serratis, spicis longissimis tenuibus ex alis propendentibus* Brown *Jamaic.* 337. N°. 11. — Specimen, quod vidi, brasiliense ex Herb. V. Cl. Steudel, cui Endlicher V. Ill. illud donaverat, a stirpe, quam Swartz descripsit, nonnisi foliis angustioribus paulum differre videtur. Alterum e foliis oppositis nervoso-venosis saepe altero minus breviusque petiolatum. Quod si Swartz V. Cl. in *Flor. Ind. occ.* I. 280 flores femineos appellat „germina nuda, absque calyce et corollâ, inter sqamas, valde „compressa, obovata, marginata," eo in errorem est inductus, quod non agnovit perigonium tenuissimum in ore constricto dentibus quatuor brevissimis papilloso-scabris (ex quibus duo vix conspicui) instructum pube rarâ scabridâ obsitum, quo ovarium obovato-compressum membranaceo-marginatum arcte cingitur. Margines membranacei ad verticem ovarii in stigma filiforme sunt attenuati, quod superne vulgo curvatum et ultra dimidium longitudinis superne in latere incurvo papilloso-stigmatosum. Caryopsis obovata v. subrhombea, stigmate persistente rostrata, compressa, ut in *Ulmo* alâ membranaceâ cincta et perigonio accrescente tenuissimo arcte vestita. Nucleus ellipsoideus, in vertice apiculatus. Embryon in albumine parco carnoso inversum, clavatum; cotyledonibus brevibus, crassis, rotundatis, plano-convexis. — In Jamaicâ, Brasiliâ, cet.

β *Var. petiolaris:* foliis ($3\frac{1}{2}$—6 poll., $1\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 1—2 poll.) rigidioribus supra magis rugosulis subtus molliter pubescentibus. — *Böhmeria petiolaris* Kunth *Nov. Gen. et Sp.* II. 36. Ejusd. *Syn. Pl. Orb. nov.* I. 372. 6. Schlecht. et Cham. in *Linnaeâ* V. (1830) 81. 34. — *Böhmeria scabrella* Hort. — Vidi specimina ♂ ex Herb. Caes. Vindob. a Schiede et Deppe in Mexico collecta.

510. Böhmeria heteroidea Bl.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus parce pilosiusculis; foliis trinerviis ovatis ($2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{4}$—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{3}{4}$ poll.) acuminatissimis basi rotundatis crenato-serratis membranaceis supra glabriusculis; floribus in axillis et spicis paniculatis terminalibus longissimis glomeratis, glomerulis spicarum interruptis; perigonio fructifero bialato ore bidentato. — Caryopsis non ut in *B. caudatâ* alata, sed margine incrassato cincta et perigonio membranaceo-alato obsolete pubigero ore constricto vestita. — In Indiâ orientali fide speciminis Mus. bot. Caes. Vindob. a V. Cl. Helfer collectum.

511. Böhmeria cuspidata Bl.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus pube parcâ brevissimâ strigosulis; foliis trinerviis ovatis ellipticisve ($1\frac{1}{2}$—$2\frac{3}{4}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll.) cuspidatis dentato-serratis membranaceis supra pilis brevibus albis hispidulis subtus puberulis; spicis femineis solitariis simplicibus filiformibus interrupte glomeratis folia longitudine adaequantibus; perigonio fructifero ovoideo lenticulari-compresso superne parce pubigero ore quadridentato. — In Nepaliâ.

512. Böhmeria mauritiana Wedd.: arborescens; ramulis junioribus petiolisque sericeo-puberulis; foliis tri- v. subquinquenerviis ovatis v. ovato-ellipticis (2—$4\frac{1}{2}$ poll., $1\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi rotundatis v. obtusis v. subcordatis serratis aut dentato-serratis membranaceis supra et in nervis subtus pilis raris brevissimis conspersis dein glabratis; spicis axillaribus solitariis (rarissime lateralibus et in ramulo abbreviato subfasciculatis) simplicibus foliis plerumque longioribus; floribus interrupte glomeratis monoicis; perigonio fructifero ovoideo hirtulo ore subquadridentato. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4° Sér. I. 200. 16. — *Urtica caudata* Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 640. 16. Spr. *Syst. Veg.* III. 837. 12. Herb. Sieb. *Maurit.* II. N°. 134. — Foliorum oppositorum alterum vulgo longius petiolatum. Spicae filiformes, longitudine variae, folia nunc adaequantes, nunc magis elongatae, glomerulis femineis numerosioribus infra masculos, nonnunquam cunctis unisexualibus. — Cum formis s. Varietatibus sequentibus in insulis Mascarenis.

β Var. luxurians: foliis majoribus longiusque petiolatis ($4\frac{1}{2}$—7 poll., $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{2}$ poll.) grosse serratis glabriusculis. — Vidi specimen ex Herb. Mus. Paris. sub N°. 696 ex insulâ Borboniâ.

γ Var. molliuscula: foliis subtus molliter subvelutinis. — Herb. Sieb. *Maurit.* II. N°. 375. — Vidi etiam specimen ex Herb. Mus. Paris. sub N°. 689 ex insulâ Borboniâ.

513. Böhmeria massuriensis Bl.: suffruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus pilis brevibus strigosulis; foliis trinerviis ovatis v. ovato-oblongis ($3\frac{1}{2}$—$6\frac{1}{2}$ poll., 2—4 poll. lat., pet.

$\frac{2}{3}$—$2\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis basi subcordatis argute dentato-serratis subcoriaceis rugosis utrinque hispidulo-scabris; spicis solitariis foliis vulgo longioribus monoicis simplicibus v. masculis interdum paniculatis interrupte glomeratis, glomerulis femineis densifloris; perigonio fructifero ellipsoideo lenticulari-compresso obsolete scabrido ore bidentato. — Pl. exs. HÜGEL N°. 49. in Herb. Caes. Vindob. — An a *B. platyphyllâ* DON a Cl. V. WEDDELL l. c. 13 per errorem inter *Böhmerias* alternifolias enumeratâ ac mihi ex brevi diagnosi tantummodo notâ satis distincta? — In Himelayâ, Massuri, cet.

514. Böhmeria Wightiana BL.: suffruticosa et tota pilosa; foliis trinerviis ovato-oblongis (4—5 poll., 2—$2\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 1—3 poll.) acuminatis basi subcordatis argute dentato-serratis; spicis solitariis simplicibus longissimis interrupte glomeratis; glomerulis laxifloris; floribus masculis in glomerulis 6—8, femineis 10—12 pluribusve; perigonio fructifero ellipsoideo lenticulari-compresso pubescente ore quadridentato. — *Splitgerbera macrostachya* WIGHT *Icon.* VI. tab. 1977. — Diagnosis ex descriptione et icone citatis. Affinis *B. massuriensi*, in quâ flores feminei in glomerulis multo crebriores, perigonio ore bidentato. — In districto Coimbatore, Nailgherries, Courtallum, cet. Indiae orientalis.

515. Böhmeria macrophylla DON: fruticosa; ramulis petiolisque strigosulis; foliis trinerviis (altero brevius petiolato) lanceolatis (5—12 poll., 1—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—1 poll.) acuminatis basi acutis serrulatis membranaceis rugosis supra glabris subtus pubescentibus; spicis solitariis monoicis, femineis ex axillis superioribus simplicibus elongatis, masculis ramosis multo brevioribus; floribus interrupte glomeratis; perigonio fructifero elliptico compresso superne pubescente ore bi- v. obsolete quadridentato. DON *Prodr. Flor. Nepal.* 60. 5 (excl. Syn. WALL.). SPR. *Syst. Veg.* III. 844. 3. — *Böhmeria penduliflora* WEDD. in *Ann. Sc. nat.* 4e Sér. I. 199. 1. — *Urtica penduliflora* WALL. *Cat.* N°. 4595. — In Nepaliâ.

516. Böhmeria celebica BL.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus strigosulis; foliis trinerviis ovato- v. elliptico-oblongis (3—7 poll., $1\frac{1}{4}$—$2\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2 poll.) acuminatis basi rotundatis v. acutiusculis inaequaliter dentato-serratis chartaceis subrugosis supra strigoso-asperis subtus hirtulis; spicis ramosis interrupte glomeratis monoicis unisexualibus folio brevioribus; perigonio fructifero turbinato-ellipsoideo lenticulari-compresso marginato puberulo ore bidentato. — *Urtica celebica* BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 492. — In Celebes.

517. Böhmeria spiciflora BL.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus appresse puberulis; foliis trinerviis magnitudine et petiolorum longitudine saepe inaequalibus ovatis v. ovato-oblongis ($3\frac{1}{2}$—5 poll., $2\frac{1}{4}$—$3\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—2 poll.) acuminatis suboblique-rotundatis v. subcordatis dentato-serratis chartaceis supra pilis raris conspersis mox glabratis; spicis femineis solitariis subramosis folia longitudine superantibus interrupte glomeratis; perigonio fructifero ellipsoideo compresso anguste-marginato puberulo ore subbidentato. — *Caturus spiciflorus* (haud Linn.) Herb. Jacq. fil. — In Indiâ orientali fide speciminis in Mus. bot. Caes. Vindobonensi.

518. Böhmeria elongata Bl.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus pube subtilissimâ subvelutinis; foliis trinerviis ovatis v. ovato-ellipticis (4—7 poll., $2\frac{1}{4}$—4 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi rotundatis v. subcordatis dentato-serratis membranaceis supra pilis raris obsitis dein glabriusculis; spicis simplicibus solitariis v. fasciculatis foliis aequilongis v. saepe longissimis; floribus in glomerulis subconfluentibus androgynis; perigonio fructifero ovoideo lenticulari-compresso dense puberulo ore quadridentato. — *Böhmeria cylindrica* (haud Sw.) in Herb. Caes. Vindob. (ex parte) — In horto Caes. Schoenburgensi culta et forsan ex Americâ introducta.

519 Böhmeria Hügeliana Bl.: suffruticosa; ramulis petiolis foliisque subtus pilis brevibus substrigosis; foliis trinerviis subrotundo-ovatis v. ovato-ellipticis ($3\frac{1}{2}$—7 poll., 2—5 poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$2\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis basi rotundatis obtusis v. subcordatis argute dentato-serrulatis membranaceis supra pilosiusculis; spicis solitariis longitudine foliorum v. longioribus monoicis interrupte glomeratis, femineis simplicibus v. subramosis, masculis paniculatis; perigonio fructifero ovoideo lenticulari-compresso hirtulo ore bidentato. — Herb. Hügel N°. 1935 in Mus. bot. Caes. Vindob. — In Indiâ orientali.

520. Böhmeria interrupta Gaudich.: fruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus pilis brevibus appressis obsitis; foliis trinerviis (paribus magnitudine et longitudine petiolorum inaequalibus) ovato-ellipticis ($2\frac{1}{2}$—6 poll., $1\frac{1}{3}$—3 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—4 poll.) acuminatis basi rotundatis obtusis v. saepe retusis obtuse crenato-serratis membranaceis supra praeter nervos puberulos glabris; spicis paniculatis foliis longioribus monoicis, interrupte glomeratis; perigonio fructifero ellipsoideo subtetragono pubescente ore quadridentato. Gaudich. in sched. *Freycin. Voy. bot.* 500 (excl. Syn. *Urticae interruptae* Linn.). Guillem. *Zephyrit. Taitens.* 30. 164 et in *Ann. Sc. nat.* 2^{e} Sér. VII. (excl. Syn. Linn. et Willd.). — *Ohèa mea ava*, *Ava roa* s. *Vairoa* indigenarum. — Est in manibus specimen authenticum Gaudichaud et Guillemin ex Herb. Caes. Vindobonensi plane diversum ab *Urticâ interruptâ* Linn. „foliis „alternis ovato-cordatis serratis petiolo subbrevioribus, spicis solitariis inter-

„ruptis.” — An forte *B. taitensis* WEDD. in *Ann. Sc. nat.* 4e Série I. 200. 21 cum hac conjungenda? In nostrâ vero stirpe paniculae laxae reverâ sunt monoicae, in ramis lateralibus spicaeformibus masculae, in apice rhachios elongato filiformi glomerulis femineis obsessae. — In Tahiti.

521. Böhmeria amplissima BL.: arborescens; ramulis petiolisque canescenti-tomentosis; foliis trinerviis e basi cordatâ subrotundo-ovatis (7 poll. —1 ped., 6—9 poll. lat., pet. 1—3 poll.) acutis crenato-serratis coriaceis supra pube exilissimâ appressâ conspersis subtus tomentosis; stipulis interpetiolaribus lanceolatis acuminatis bicarinatis dorso canescenti-tomentosis; spicis e basi ramoso-paniculatis foliis brevioribus monoicis, glomerulis approximatis unisexualibus; perigonio fructifero ellipsoideo compresso marginato puberulo ore quadridentato. — An satis a *B. stipulari* WEDD. distincta? quae dioica dicitur et ex diagnosi etiam foliis serratis supra sparsim hispidulis subtus pubescentibus diversa. — In insulâ Borboniâ sub No. 690 ex Herb. Mus. Parisiensis benevole mecum communicata.

522. Böhmeria sumatrana MIQ.: suffruticosa; ramulis petiolis foliisque subtus pilis raris strigosulis; foliis (oppositis et verticillato-ternis) trinerviis subrotundo-ovatis (3—4$\frac{1}{2}$ poll., 2—3$\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 1—4$\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi rotundatis v. paulisper in petiolum productis grosse dentato-serratis membranaceis supra hispidulo-scabridis; spicis solitariis sessilibus simplicibus v. saepe ramosis unisexualibus v. androgynis conferte glomeratis folio multo brevioribus; perigonio fructifero ellipsoideo subangulato hirtulo ore quadridentato. MIQ. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 32. 2. — In Sumatrâ.

523. Böhmeria caudigera WEDD.: fruticosa; ramulis novellis petiolisque sericeo-velutinis; foliis tri- v. subquinquenerviis ovato-subrotundis (3—4$\frac{1}{2}$ poll., 2$\frac{1}{3}$—3$\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{2}{3}$—1 poll.) abrupte cuspidatis basi subcordatis v. rotundatis grosse serratis membranaceis supra pube brevissimâ strigosulis subtus molliter tomentosis; spicis simplicibus solitariis v. fasciculatis unisexualibus foliis aequilongis brevioribusve; floribus interrupte glomeratis monoicis. WEDD. *Ann. Sc. nat.* 4e Sér. I. 199. 8. — *Urtica caudigera* WALL. *Cat.* No. 4585. — STRACH. et WINTERB. *Herb. Himal.* No. 4. — In Nepaliâ.

524. Böhmeria Jacquiniana BL.: arborea; ramulis petiolisque puberulis; foliis (magnitudine et petiolorum longitudine inaequalibus) ovatis v. ellipticis (1$\frac{3}{4}$—3$\frac{1}{4}$ poll., $\frac{3}{4}$— fere 2 poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll.) cuspidatis basi obtusis v. rotundatis v. retusis grosse dentato-serratis membranaceis supra glabriusculis subtus imprimis in margine nervisque appresse puberulis; spicis femineis solitariis simplicibus v. basi parce ramosis longissimis interrupte glomeratis; perigonio fructifero (semiadhaerente) ellipsoideo-compresso puberulo ore bidentato. — *Urtica interrupta* (haud LINN.) Herb. JACQUIN FIL. — *B. spicatae* THUNB. accedens, foliis autem basi obtusioribus et spicis longissimis distincta. — Diagnosis fide speciminis Mus. bot. Caes. Vindobonensis, sine loci natalis indicatione.

525. Böhmeria Sieboldiana BL.: herbacea v. suffruticosa; ramulis petiolisque pube brevissimâ scabridis; foliis (magnitudine et petiolorum longitudine inaequalibus) trinerviis ellipticis v. ovato-lanceolatis (3—7 poll., $1\frac{1}{2}$—$3\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ poll.) cuspidatis basi obtusis v. rotundatis grosse argute serratis membranaceis glabriusculis v. ad marginem et nervos utrinque puberulo-scabridis; spicis dioicis (?) solitariis, masculis simplicibus v. paniculatis interrupte glomeratis folio brevioribus. — *Böhmeria spicata* (haud THUNB.) Herb. SIEB. et BÜRGER. — Caulis 3 pedalis, atqûe rami obtuse quadrangulares, cortice in siccis rufescente vestiti, intus medullares. Folia opposita v. ramorum passim subalterna. Spicae masculae graciles, pubescentiâ densiore quam petioli obsitae, glomerulis paucifloris, bracteâ ovatâ acuminatâ subcarinatâ dorso scabridâ stipatis. Alabastra ovoidea, tetragona, apiculata, extus setulis albidis hispidula. Perigonium quadripartitum; laciniis naviculari-lanceolatis, acuminatis. Stamina 4, filamentis in alabastro perigonio brevioribus, antheris subrotundis, ante anthesin inflexis. Pistilli rudimentum sat evolutum, turbinatum, obtusum, paulum compressum, glabrum. — In Japoniâ.

526. Böhmeria spicata THUNB.: suffruticosa; ramulis petiolisque pube rarâ scabridis; foliis trinerviis subrhombeo-ovatis (1—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) in cuspidem linearem productis basi integrâ subcuneatis rarissime truncatis grosse serratis (serraturis subfalcatis acutiusculis v. obtusis) glabriusculis v. supra et ad nervos subtus pube rarâ appressâ obsitis; spicis axillaribus solitariis rarissime geminis simplicibus elongatis interrupte glomeratis; perigonio fructifero (adhaerente) obvoideo- v. turbinato compresso submarginato puberulo ore obsolete bidentato. THUNB. in *Linn. Trans.* II. 330. WILLD. *Spec. Pl.* IV. 1. 341. 4 (ex parte). SPR. *Syst. Veg.* III. 844. 7. SIEB. et ZUCC. in *Münch. Abh. II. Cl. Ak. Wiss.* IV. 3te Abth. 216. N°. 763. — *Urtica spicata* THUNB. *Flor. Jap.* 69. POIR. in LAM. *Enc. bot.* IV. 641. 25 (ex parte). BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 492. — *Ira gusa* s. *Aka so* Japonice; *Tchou ma* Sinice. — Suffrutex magnitudine praesertim foliorum et petiolorum admodum variabilis. E foliis oppositis unum alternatim multo brevius petiolatum et vulgo quoque minus, omnia glabriuscula, quippe pubescentiâ inprimis in foliis adultioribus supra paene evanidâ. A *B. longispicâ* STEUD. (s. B. macrophylla SIEB. et ZUCC.) foliis minoribus basi magis cuneatis tenuioribus subtus fere glabriusculis et spicis graciliobus differt. — Cum Varietatibus in Japoniâ.

β *Var. akari:* foliis vulgo majoribus magisque rugosis. — *Akari* s. *Iwajajama* Japonice.

γ *Var. tenera:* foliis majoribus et plerumque tenuioribus.

527. Böhmeria longispica Steud.: suffruticosa; ramulis petiolisque tomentosis; foliis trinerviis orbiculari-ovatis (3—7 poll., 3—9 poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$4\frac{1}{2}$ poll.) saepe in cuspidem linearem productis rarissime palmati-fissis basi integrà rotundatis v. interdum subcordatis v. cuneato-obtusis inaequaliter grosse et profundo dentato-serratis (serraturis rectis v. subfalcatis acutis v. acuminatis interdum uni- v. parce dentatis) rugulosis supra pubescenti-scabris subtus holosericeis; spicis masculis paniculatis, femineis simplicibus rarissime basi ramulosis elongatis interrupte glomeratis; perigonio fructifero ellipsoideo lenticulari-compresso villosiusculo ore bidentato. Steud. in *Florâ Regensb.* (1850) 260. 17. — *B. grandifolia* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{e} Sér. I. 199. 6. — *B. macrophylla* Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Ak. Wiss.* IV. 3te Abth. 215. N°. 762 (excl. Syn. *Urticae spicatae* Bl. *Bijdr.*). — *Urtica macrophylla* Thunb. *Flor. Jap.* 69. Poir. in Lam. *Enc. bot.* IV. 642. 26. Willd. *Spec. Pl.* IV. 1. 350. 9. Spr. *Syst. Veg.* III. 840. 62. — *Urtica japonica* Linn. fil. *Suppl.* 418. — *Urtica elongata* Gmel. *Syst. Nat.* II. 269. — *Acalypha japonica* Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 291. tab. LXXII. fig. 2. — *Tchou ma* Sinice; *Yabou mawo* s. *Ourasiro so* Japonice. — Nomen huic stirpi japonicae a von Siebold et Zuccarini V. V. Cl. inditum mutandum, utpote alii Speciei ex Nepaliâ jam ante a Don V. Cl. impositum. Ceterum Varietates modo sequentes esse equidem non dubito, culturae maxime tribuendas, quum praesertim folia magnitudine perinde ac serraturae admodum varient. — In Japoniâ et Sinâ.

β *Var. appendiculata:* foliis basi rotundatis v. interdum cuneato-obtusis apice vulgo in cuspidem longam linearem basi subbidentatam terminatis superne grosse inciso-dentato-serratis, acutis v. acuminatis ad marginem deorsum spectantem interdum unidentatis.

γ *Var. heterodonta:* foliis ut in *Var.* β, sed serraturis vulgo obtusis.

528. Böhmeria holosericea Bl.: frutescens; ramulis petiolisque tomentellis; foliis trinerviis subrotundo-ovatis ($3\frac{1}{2}$—$5\frac{1}{2}$ poll., 3—5 poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$2\frac{1}{4}$ poll.) acutis v. breviter cuspidatis basi rotundatis v. subcordatis grosse crenato-serratis pergamenis supra dense appresse pubescentibus subtus velutino-tomentosis; spicis solitariis subsessilibus folio brevioribus, femineis simplicibus cylindraceis, masculis paniculatis v. subramosis; perigonio fructifero elongato-ellipsoideo v. subturbinato membranaceo-marginato hirtulo ore bidentato. — Affinis *B. uranthae*, sed foliis magis grosse crenato-serratis, subtus magis velutino-tomentosis et imprimis perigonio fructifero membranaceo marginato diversa; a *B. longispicâ* foliorum dentibus obtusioribus et perigonio fructifero marginato etiam distinguitur. — In Japoniâ.

529. Böhmeria urantha Miq.: fruticosa; ramulis petiolisque dense tomentosis; foliis trinerviis subrotundo-ovatis (3—8 poll., 2—5 poll. lat., pet. ½—2½ poll.) acuminatis basi rotundatis dentato-serratis chartaceis utrinque imprimis subtus molliuscule pubescentibus; spicis femineis solitariis simplicibus subsessilibus cylindraceis folio brevioribus; perigonio fructifero (adhaerente) ellipsoideo aut elongato-ovoideo lenticulari-compresso hirtulo ore bidentato. Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 33. 3 (excl. Syn. Roxb. et Wight!). — *Urtica uragera* Steud. *Nomencl. bot.* (ed. 2^a) II. 736. — *Urtica caudata* N. Burm. *Flor. Ind.* 198. Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 492. — *Urtica mollis* Herb. Rwdt. — *Badori* Sund. — Maxime affinis *B. scabrellae* Gaudich. (s. Urticae scabrellae Roxb.), sed foliis latioribus densius molliter pubescentibus ac serraturis crebrioribus magisque exsertis distincta videtur. — In sylvis montanis Javae occidentalis.

530. Böhmeria bifida Bl.: suffruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus hirtulis; foliis tri- v. quinquenerviis ellipticis obovatis v. obvato-oblongis (2½—5¾ poll., 1½—4 poll. lat., pet. ½—1½ poll.) acuminatis v. saepe bi-rarissime inaequali-tri-quinquefidis crenato-serratis pergamenis rugosis supra pilis raris scabridis subtus praesertim in reticulatione dense hirtulo-puberulis; spicis solitariis sessilibus simplicibus monoicis folium adaequantibus brevioribusve unisexualibus v. androgynis conferte glomeratis; perigonio fructifero ellipsoideo v. rhomboideo-compresso marginato pubescente ore bidentato. *B. bifida* Bl. (in Plant. distrib. 1850). — *B. biloba* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^e Sér. I. 199. 3. — *Urtica biloba* Sieb. *Kruidk. Naamlijst* (1844) 38. N°. 356. — *Splitgerbera japonica* Miq. *Comment. bot.* 139. tab. 14. Sieb. et Zucc. in *Münchn. Abh. II. Cl. Ak. Wiss.* IV. 3^{te} Abth. 213. N°. 757. — *Urtica bifida* Sieb. in *Hort. Bog.* et Hasskl. *Cat. Bog.* 79. — *Rai sai tasau* s. *Raseita sau* Japonice. — Folia vulgo opposita, rarius terna aut alterna. Perigonium femineum omnino liberum, fructiferum caryopsin membranaceo-marginatam v. subbialatam arcte obvestiens. Inter flores femineos complures a me investigatos inveni unicum perigonio pistilla dua includentem, ovariis inter se connatis, stigmatibus autem distinctis. — In Japoniâ.

531. Böhmeria rugosissima Miq.: fruticosa; ramulis petiolis foliisque subtus pubescentibus; foliis (oppositis rarissime verticillato-ternis) tri- v. subquinquenerviis magnitudine et petiolorum longitudine saepe inaequalibus subrotundo- v. elliptico-ovatis (3½—9 poll., 2—6¾ poll. lat., pet. 1—5 poll.) acuminatis basi aequali- aut oblique-subcordatis serratis v. dentato-serratis membranaceis v. sat firmis supra bullato-rugosis et hispidulis; spicis fasciculato-ramosis interrupte glomeratis unisexualibus; perigonio fructifero ovoideo lenticulari-compresso hirtulo ore bidentato. Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 32. 1. — *Urtica rugosissima* Rwdt. in Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 490. — *Urtica crassifolia* et *U. rugosissima* Herb. Rwdt. — *Procris macrophylla* Herb. Rwdt. — Proxime accedit ad *B. pilosiusculam* Hasskl., quacum stirpem flores masculos proferentem commutasse videtur Hasskarl. Nunquam enim in compluribus *B. pilosiusculae* speciminibus spicas ramosas s. paniculatas vidi; ille autem in *Plant. Jav. rar.* 207 in *Obs.* haec habet: „spicae „folio breviores aut longiores; glomeruli bracteâ lanceolatâ, acuminatâ „suffulti; spicae nunc flores pistilligeros, nunc ad apicem et staminiferos „gerentes et tunc simplices, nunc solummodo flores staminiferos profe- „rentes et tunc paniculatae." Scilicet ab hac distinguitur *B. rugosissima* spicis fasciculato-ramosis, tam masculis quam femineis, et perigonio fructifero ovoideo. Pro loci naturâ Species haec admodum variat foliorum magnitudine, quae modo texturâ satis crassâ, rugosissima, subtus praesertim in nervis, sicuti in petiolis et ramulis, satis dense pilosa, modo texturâ membranosâ, minus rugosa, subtus pube parcâ et in nervis, sicuti in petiolis et ramulis, pilis appressis substrigosa. — Frequens in provinciis Javae occidentalibus, in sylvis montanis, ubi coffea colitur; a V. Cl. Korthals etiam in Sumatrâ reperta.

532. Böhmeria pilosiuscula Hasskl.: fruticosa; ramulis petiolisque hirtulo-tomentosis; foliis (oppositis et passim alternis) trinerviis magnitudine et petiolorum longitudine saepe inaequalibus subrotundo-ovatis v. ovato-ellipticis (2—5$\frac{3}{4}$ poll., 1$\frac{1}{4}$—4 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—3$\frac{1}{4}$ poll.) acuminatis basi rotundatis v. aequali- aut oblique-subcordatis dentato-serratis membranaceis v. chartaceis saepe rugosis supra hispidulis subtus pubescentibus; glomerulis lateralibus v. saepe in spicas simplices (apice interdum foliosas) unisexuales v. androgynas congestis; perigonio fructifero turbinato pubescente apice constricto bi-rarissime tridentato. Hasskl. *Cat. Bog.* 79. 1 et *Pl. Jav. rar.* 207. 1. — *Böhmeria* (Splitg.) *clidemoides* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 34. 6. — *Urtica pilosiuscula* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 491. — *Urtica rugosa* Herb. Rwdt. — *Sarrut* Mal.; *Guntalian* s. *Gontelien* Sund. — Cum Varietatibus in Javae et Sumatrae sylvis montanis.

β *Var. procera:* foliis vulgo majoribus ad basin rotundatis v. subcordatis v. interdum acutiusculis.

γ *Var. humilis:* foliis minoribus ad basin rotundatis. v. subcordatis subtus dense pubescentibus. — *Boehmeria* (Splitg.) *humilis* Miq. l. c. 33. 5.

533. Böhmeria hispidula Bl.: suffruticosa; ramulis petiolisque hirtulis; foliis trinerviis subrotundo-ovatis (5—6 poll., 3$\frac{1}{2}$—4 poll. lat., pet. altero 2—2$\frac{1}{2}$ poll., altero 3—3$\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi rotundatis grosse dentatis membranaceis supra pilis sparsis hispidulis subtus dense pubescentibus; spicis femineis solitariis pedunculatis simplicibus cylindraceis folio brevioribus; perigonio fructifero elongato-turbinato compresso membranaceo-marginato hispidulo ore bidentato. — Species foliis dentatis supra pilis raris hispidulis et texturâ tenuiore a *B. holosericeâ* diversa. Affinis etiam *B. pilosiusculae*, sed perigonio fructifero haud depresso et simul pericarpio membranaceo-marginato satis distincta. — In provinciâ Palembang insulae Sumatrae.

534. Böhmeria canescens Wedd.: suffruticosa: ramulis petiolisque pube densâ brevissimâ nonnunquam pilis patentibus immixtâ canescenti-strigosulis; foliis trinerviis (paribus magnitudine et longitudine petiolorum dissimilibus) subrotundo-ovatis v. ellipticis lanceolatisve (1½—4½ poll., 1—4 poll. lat., pet. 1—2½ poll.) acuminatis basi rotundatis obtusis v. retusis rarissime acutiusculis argute serratis membranaceis interdum rugosis supra pilosiusculis subtus incano-pubescentibus; spicis axillaribus solitariis folia adaequantibus, femineis filiformibus simplicibus v. basi ramosis, masculis subpaniculatis; floribus in glomerulis subconfluentibus; perigonio fructifero ovoideo lenticulari-compresso superne hispidulo ore subbidentato. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4ᵉ Sér. I. 200. 11. — *Urtica macrostachya* Var. *canescens* Wall. *Cat.* N°. 4582 (ex parte). — An satis a *B. rotundifoliâ* Don *Prodr. Flor. Nep.* 60. 6. distincta? spicis tamen femineis in speciminibus nostris non verticillatis. Variat foliis nunc planis nunc magis minusve rugosis, ut etiam pubescentiâ subtus nunc densiore et submolli, nunc rariore et magis scabridâ. — In montanis Sillet Indiae orientalis.

535. Böhmeria macrostachya Wedd.: suffruticosa; ramulis petiolis nervisque subtus pilis raris brevibus scabridis; foliis trinerviis subrotundo-ovatis (2½—8 poll., 2—6 poll. lat., pet. 1½—5 poll.) acutis v. breviter acuminatis basi cordatis v. retusis dentato- v. crenato-serratis membranaceis interdum subrugosis utrinque hispidulo-scabridis; spicis solitariis monoicis, femineis simplicibus longissimis, masculis brevioribus paniculatis; floribus interrupte glomeratis, glomerulis fructiferis confluentibus; perigonio fructifero elongato-ellipsoideo lenticulari-compresso puberulo ore bidentato. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4ᵉ Sér. I. 199. 4. — *Urtica macrostachya* Wall. *Cat.* N°. 4582. B. — Affinis videtur *B. platyphyllae* Don *Prodr. Flor. Nep.* 60. 7. — In Indiâ orientali (Wall.); in Zeylaniâ (Macrae).

536. Böhmeria peruviana Bl.: frutescens; ramulis petiolis foliisque subtus tomentosis; foliis trinerviis subrotundo-ovatis v. ovato-ellipticis (3—5 poll.. 1⅔—3¾ poll. lat., pet. ½—1¼ poll.) acuminatis basi rotundatis v. subcordatis dentato-serratis membranaceis rugosulis supra hispidulis; glomerulis axillaribus v. in spicis cylindricis simplicibus folio brevioribus congestis; perigonio fructifero (agglutinato) ovoideo lenticulari-compresso hirtulo ore quadridentato. — In Peruviâ fide speciminis Herb. Caes. Vindobonensis.

Lugduni-Batavorum, Kal. Aprilis 1856.

TOM. II. Nr. 15.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Urticaceae.** — **Böhmeria.**

6. *Urocnide.* Perigonium fructiferum lenticulari-compressum, vegetum, pericarpio accretum. Ovarium sessile. Stigma filiforme, in perigonii apice constrictum, deciduum. — Folia alterna, integerrima. Flores in glomerulos spicatos digesti et feminei simul in foliorum superiorum axillis laxe glomerati.

537. Böhmeria acalyphoides Bl.: suffruticosa; ramulis petiolis foliisque supra parce subtus imprimis in nervis dense pubescentibus; foliis trinerviis oblongo-lanceolatis (3—5 poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{3}{4}$—$1\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis integerrimis membranaceis rugosulis; spicis terminalibus simplicibus longissimis· floribus interrupte glomeratis androgynis; perigonio fructifero ovoideo sublenticulari-compresso strigoso ore constricto bidentato. — In Caracas a V. Cl. Bredemeyer collecta fide speciminum in Herb. Caes. Vindobonensi.

7. *Sarcocnide.* Perigonium femineum angulatum, crassum, carnosum, liberum. Stigma elongato-filiforme, inferne constrictum et cum apice ovarii articulatum. — Folia alterna, subintegerrima. Flores in glomerulos spicatos digesti.

538. Böhmeria formicaria Poepp.: fruticosa; ramulis petiolisque pilis teneris albidis appressis conspersis; foliis trinerviis ovatis v. ovato-ellipticis (2—$4\frac{1}{2}$ poll., 1—$2\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ pet.) acutis v. acuminatis basi subcordatis integerrimis v. apicem versus repandis supra glabris subtus in nervis pubescentibus; spicis interrupte glomeratis, axillaribus simplicibus, terminalibus ramosis laxis; perigonio femineo quadrangulari appresse puberulo ore obsolete quadridentato. Pöppig *Pl. exs.* N°. 2287. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{e} Sér. I. 201. 31. — Ramuli vulgo retroflexi. Petioli interdum tumidiusculi. Folia pergamena, basi saepe suboblique cordata, supra creberrime punctata. Spicae verosimiliter dioecae, in speciminibus nostris femineae, filiformes, laxae, simplices s. terminales foliorum lapsu ramosae, interrupte glomeratae, rhachi sicut ramulis pube parcâ appressâ conspersis. Flores feminei in genere majusculi, sessiles, bracteolis perexiguis triangulari-ovatis scariosis ciliatis cincti. Perigonium tubulosum, conicum, quadrangulare, angulis ad os in totidem dentes minutos prominulis, crassum, carnosum, extus pilis appressis obsitum, intus glabrum, ovarium laxe vaginans. Ovarium sessile, liberum, fusiforme, laevigatum, glaberrimum, ovulum erectum fusiforme fovens. Stigma terminale, filiforme, basi valde constrictâ cum apice attenuato ovarii articulatum, primo curvatum, dein magis elongatum et varie flexuosum, inferne ad unum latus superne undique papilloso-tomentosum, deciduum. — In Peruviâ.

Species omissae.

539. Böhmeria ulmifolia Wedd.: suffrutescens; ramulis petiolisque hirtulis; foliis trinerviis dissimilibus inaequilateralibus (chartaceis v. membranaceis) argute serratis supra hispidis et passim subrugosis subtus subvelutino-pubescentibus, majoribus breviter petiolatis elliptico-lanceolatis (2½—3½ poll., 1—1⅓ poll. lat., pet. 2—3 lin.) longiuscule acuminatis basi acutis v. obtusiusculis, alternis multo minoribus sessilibus subrotundo-ovatis (4—5 lin., 3—4 lin. lat.) acutiusculis basi subcordatis; glomerulis axillaribus et lateralibus subunisexualibus (inferioribus masculis v. androgynis, superioribus femineis); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero ovoideo apice attenuato tri- v. quadridentato. Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{e} Sér. 202. 40. — Herb. Galeotti N°. 311. — *B. diversifolia* et *B. ulmifolia* Wedd. an satis a *B. ramiflorâ* differrent, dubitare me adhuc in *p.* hujus voluminis 198 memoravi. Specimine autem Herbarii V. Cl. Galeotti persuasum mihi est Speciem hanc quum foliis magis insigniter dissimilibus, scilicet alternatim minutissimis, sessilibus, rotundato-ovatis, tum quoque floribus masculis tetrandris a *B. ramiflorâ* Jacq. satis differre. — A V. Cl. Galeotti in Mexico prope Gilotepec et Mirador reperta.

540. Böhmeria strigosa Bl.: fruticosa; ramulis petiolisque canescenti-strigosis; foliis trinerviis dissimilibus aequilateralibus (coriaceis) argute serratis supra hispidulo-strigosis et subrugosis subtus tomentosis, majoribus ovatis v. ovato-lanceolatis (1½—2¼ poll., ⅔—1 poll. lat., pet. 2 lin.) acuminatis basi rotundatis, alternis multo minoribus ovalibus (½ poll., 4 lin. lat., pet. vix 1 lin.) acutiusculis basi obtusis; glomerulis axillaribus unisexualibus; perigonio femineo subpubescente ore quadridentato. — An satis diversa a *B. diversifoliâ* Wedd., cujus affinitatem cum *B. ramiflorâ* Jacq. *p.* 198 hujus voluminis notavi? Perigonium fructiferum in illâ, auctore V. Cl. Weddell, apice longiuscule attenuatum, quod, si e floribus femineis existimes, in nostrâ stirpe secus est. Ovarium non sessile, sed longiuscule pedicellatum, perigonio clavato-tubuloso ore quadridentato circum basin stigmatis constricto membranaceo subpubescente arcte cinctum. Stigma filiforme, perigonium longitudine adaequans v. paulum superans, rectiusculum v. leviter curvatum, inferne glabrum, superne unilateraliter tomentosulum. — Herb. J. Linden N°. 479. — In Novâ Granadâ.

541. Böhmeria Lindeniana Bl.: fruticosa; ramulis petiolisque strigosulis; foliis (alternis) trinerviis conformibus aequilateralibus (coriaceis) ellipticis v. elliptico-lanceolatis (2—3¾ poll., ¾—1⅔ poll. lat., pet. ¼—½ poll.) acuminatis basi obtusis v. rotundatis argute serratis supra hispidulo-strigosis et subrugosis subtus velutino-tomentosis; glomerulis axillaribus lateralibusve unisexualibus; perigonio femineo subpubescente apice longiuscule attenuato quadridentato. — Herb. J. Linden N°. 164. — Ovarium ut in praecedente pedicellatum, perigonio apice longiuscule attenuato ore obsolete quadridentato inclusum. Stigma filiforme, rectiusculum, perigonium vix longitudine adaequans, unilateraliter tomentosulum. — In Novâ Granadâ.

542. Böhmeria monticola Bl.: fruticosa; ramulis petiolis foliisque subtus tomentosis; foliis trinerviis alternatim magnitudine et petiolorum longitudine dissimilibus ovatis v. ovato-ellipticis ($2\frac{3}{4}$—6 poll., $1\frac{1}{4}$—4 poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—5 poll.) acuminatis basi rotundatis infra medium ad apicem crenato-serratis membranaceis supra glabriusculis; glomerulis axillaribus et lateralibus androgynis; floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero ellipsoideo-compresso pubescente superne attenuato quadridentato. — *Urtica montana* et *Urtica Myrapi* Herb. Korths. — Species post *B. depauperatam* Wedd. inserenda. — In sylvis Myrapi insulae Sumatrae a V. Cl. Korthals reperta.

543. Böhmeria (Margaroc.) **Boiviniana** Bl.: suffrutescens inferne radicans; ramulis petiolisque puberulo-scabridis; foliis trinerviis lanceolatis v. oblongo-lanceolatis ($1\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{3}$ poll., 5—10 lin. lat., pet. 2—5 lin.) acuminatis basi obtusiusculis v. rotundatis integerrimis membranaceis concoloribus subciliatis supra pilis raris in nervis subtus pilis crebrioribus pubescentibus; glomerulis axillaribus monoicis; floribus masculis triandris; perigonio fructifero ovoideo lenticulari-compresso obsolete marginato apice breviter attenuato bi-quadridentato. — *Böhmeria Boliviana* Bl. *Mus. Bot.* II. 196 in Annot. — *Margarocarpus Boivinianus* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4e Sér. 204. 10. — Species in viciniâ *B.* (Margaroc.) *discoloris* Pöpp. locanda. Errore factum est, ut haec stirps *p.* 196 hujus voluminis infra in notâ nomine *B. Bolivianae* indicaretur — In insulâ Comor.

PHENAX Wedd. (Conf. Charact. generic. *Mus. bot.* II. 168)

544. Phenax Galeottianus Bl.: foliis brevissime petiolatis lanceolatis ($1\frac{1}{4}$—$3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—4 lin.) acuminatis basi acutis tri- v. saepius triplinerviis a medio ad apicem serratis membranaceis interdum rugosulis supra glabris subtus in nervis pilis teneris appressis obsitis; glomerulis monoicis; floribus masculis triandris. — Herb. Galeotti N°. 345. — Frutex ramosissimus, *Ph. angustifolio* Wedd. proxime affinis, cui tamen folia trinervia, firmiora, serraturis multo minoribus nervisque e basi ortis, non ut in hac saepe ad basin unitis. Glomeruli solis fere femineis constant floribus, paucis intermixtis masculis triandris. — In Mexico in jugo montium Oaxaca, altitudine 3500 ped., locis humidis.

STACHYOCNIDE Bl. Flores monoici, masculi in spicis interrupte glomeratis digesti, feminei in foliorum axillis subgeminati. Masc. Perigonium quadripartitum; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita;

filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium ovario adnatum, ore bi-quadridentatum. Ovulum unicum, e basi erectum, orthotropum. Stigma terminale, filiforme, superne undique papilloso-pubigerum, persistens. Achenium ovoideum, perigonio accrescente bi-quadrialatum, crustaceum. Semen erectum. Embryon in axe albuminis inversum, rectum; cotyledonibus plano-convexiusculis; radiculâ cylindricâ, superâ. — Frutex v. arbuscula, in insulis Philippinis reperta; foliis alternis, ovato-oblongis ellipticisve, acuminatis, integerrimis, mixtinerviis, supra eximie puberulis, subtus canescenti-tomentosis; stipulis subulatis, liberis, persistentibus; spicis terminalibus, simplicibus, elongatis; floribus masculis interrupte glomerato-fasciculatis, femineis in foliorum superiorum axillis sessilibus.

Obs. Genus affine *Pouzolziae* Gaudich. et *Böhmeriae* Jacq., a quibus perigonio ovario adnato distinguitur et hac in re potius cum *Leptocnide* mihi congruit, quamquam ab hac et habitu, et acheniâ alatâ recedit. Nomen ob inflorescentiam spicatam a στϰχὺς, spica, et ϰνιδὴ, urtica.

545. Stachyocnide luzonica Bl. — Herb. Cumming N°. 1492. — In Philippinis.

POUZOLZIA Gaudich. Flores monoici v. rarius dioici, in axillis foliorum fasciculato-glomerati, rarissime in cymis laxis dispositi, bracteolati. Masc. Perigonium quadri- v. quinque- rarissime tri- v. sexpartitum; laciniis aequalibus (extus interdum cristulâ transversali auctis), praefloratione valvatis. Stamina tot quot perigonii laciniae, iisdem opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium tubulosum, nonnihil compressum, apice constrictum, ore bidentatum. Ovarium inclusum, liberum, uniloculare. Ovulum unicum, basilare, orthotropum. Stigma terminale, filiforme, elongatum, unilateraliter papillosum, deciduum. Caryopsis lenticulari-compressa, crustacea, laevigata, perigonio costato v. nervoso-striato v. marginato aut bi-tri-quadrialato vestita. Embryon in albumine parco inversum, rectum; cotyledonibus plano-convexiusculis; radiculâ cylindricâ, superâ. — Herbae perennes, rarius suffrutices, Asiam tropicam praecipue insularem incolentes; foliis alternis v. oppositis v. verticillato-ternis, sessilibus petiolatisve, integerrimis, nervosis aut mixtinerviis; stipulis lateralibus v. interpetiolaribus, liberis v. connatis, saepe persistentibus; floribus masculis et femineis ut plurimum in iisdem glomerulis intermixtis.

Obs. Gaudichaud V. Cl., auctor hujus Generis, flores ait esse involucratos; at involucri, quale in *Parietariâ* Linn. et cognatis Generibus obvium, nullum est vestigium, in illis certe Speciebus, quae a VV. Cl. Bennett, Wight aliisque auctoribus huc referuntur. Jam idcirco Species genuinae a Gaudichaud indicatae, nempe *Parietaria* *laevigata* Poir. et *Parietaria canescens*, quarum haec quidem, quantum ego scio, nusquam hoc nomine est descripta, dignae sunt, quae diligentius explorentur, an in iis flores sint involucrati. Species dubiae ab illo relatae sunt *Urtica alienata* Linn. (H. Juss.); *Parietaria indica* ? (Id.); *Parietaria Sonnerati* Poir.; (*U. ulmifolia*, Vahl); *P. verbascifolia* Poir. (H. Mus.); *P. indica*, Linn. (Achyranthes aspera Rumph. *Amb.* 10. tab. 12, fig. 2), quae partim (*) ad *Pouzolzias* a laudatis auctoribus accuratius descriptas pertinent et reverâ involucro carent, neque ullum ejus in *Parietariâ laevigatâ* Poir., mecum ex Herbario Parisiensi communicatâ, reperire potui vestigium. Hac autem, ut jam *p.* 197 memoravi, a *Böhmeriâ* Jacq. vix sejungendae sunt, quamquam universe habitu gaudent peculiari, ut aliquo certe jure tamquam Genus proprium separentur. Solum autem discrimen characteris fructificationis, quo *Pouzolzia* a *Böhmeriâ* distinguitur, est perigonium femineum tubulosum nervis longitudinalibus copiosioribus apice convergentibus percursum, sub fructificationem plus minusve costatum, vel expansione nervorum nonnullorum marginibus sive alis membranaceis duabus ad quatuor praeditum, quamquam pericarpium ipsum expansionis ejus nervorum plane expers est. Sed ejusmōdi appendices s. alae membranosae perigonii fructiferi licet alicujus sint momenti ad dignoscendas Species, tamen ut Species perigonio fructifero alato ab illis, in quibus modo striatum vel costatum est, tamquam proprium Genus separentur, levior sane hic character est, cum praesertim in compluribus Speciebus utraque simul reperiatur conditio, nempe perigonia fructifera alia striata aut costata, alia marginata aut alata, id quod in Speciebus definiendis imprimis est considerandum. Investigationibus V. Cl. Wight huic Generi nuper magnus Specierum accessit numerus, quarum multae, ob similem habitum aegre dignoscuntur itaque facile inter se commutari possunt, cujus rei adeo in egregiâ hujus Generis monographiâ, quam praeclarus ille botanicus edidit, hic illic sunt vestigia. Neque mea illis erroribus carebit disputatio, qui nonnisi comparatione speciminum authenticorum vitari possunt; quo magis eam mihi doleo occasionem defuisse.

Sect. 1. Folia mixtinervia.

† *Folia alterna. Flores masculi pentandri v. nonnulli interdum tetrandri.*

546. Pouzolzia laevigata Gaudich.: fruticosa; ramis teretibus glabris; foliis trinerviis alternis approximatis petiolatis ovato-lanceolatis v. ovato-oblongis ($2\frac{1}{2}$—4 poll., 1—$1\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—1 poll.) acuminatis basi obtusis v. acutiusculis utrinque glabris; glomerulis unisexualibus (masculis densifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero lato-bialato ecostato. Gaudich. in Freycin. *Voy. bot.* 503. Decaisne in *Nouv. Ann. Mus. nat.* III. 492. — *Parietaria laevigata* Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 17. Pers. *Syn.* II. 556. 16. — *Procris integrifolia* (haud Don) Spr. *Syst. Veg.* III. 847. 17 (ex parte). — Habemus ex Herb. Mus. Paris. specimina nominibus *Parietariae laevigatae* et *Parietariae*

(*) Nempe excludantur *Parietaria Sonnerati* et *P. verbascifolia* Poir., atque ut verisimile, *Urtica ulmifolia* Vahl.

indicae (haud Linn.) Poir. Rami crassi, fistulosi, petiolorum pulvinis cicatrisati, ut petioli et folia glaberrimi, sed in ramulis novellis, in petiolis iis insertis et in paginâ foliorum aversâ praecipue in nervis pubes appressa vix conspicua sub lente cernitur. Glomeruli axillares v. foliorum lapsu laterales, in speciminibus, quae exploravi, omnes masculi, nullo vestigio involucri. Unum perigonium fructiferum, speciminibus abrupte additum, subreniforme, bialatum, superne sinu laevi excisum, inter alas secundum longitudinem modo obsolete nervosum, nervis superne conniventibus. — In insulâ Mauritius aliisque vicinis, unde etiam specimina a Decaisne V. Cl. inter stirpes Timorenses descripta oriunda sunt.

547. Pouzolzia mollis Bl.: fruticosa; ramis teretibus dense pubescentibus; foliis trinerviis alternis approximatis petiolatis ovato-lanceolatis (2—$3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi obtusis utrinque molliter pubescentibus; glomerulis......; floribus masculis pentandris rarius tetrandris; perigonio fructifero lato-bialato ecostato. — Universe nonnisi densâ foliorum, praecipue in paginâ aversâ, pubescentiâ a Specie superiore differt, cujus fortasse habenda est Varietas. Perigonia fructifera basi oblique cordata, nempe lateris alterius alâ basi magis productâ, superne minus lata, retusa, quâ alae singulae extus in denticulum reduncum excurrunt. Utraque Species vegetatione plurimum congruit *P. vesicariae*, *P. tuberosae* et *P. bicuspidatae* Wight, a quibus tamen perigoniis fructiferis lato-alatis satis distinguuntur. — In insulâ Mauritius.

548. Pouzolzia propinqua Bl.: ramis angulato-striatis puberulis; foliis tri- v. subtriplinerviis alternis petiolatis ellipticis ($\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ poll.) utrinque acutis v. interdum basi obtusiusculis supra appresse puberulis subtus dense velutino-pubescentibus; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero costato superne subancipiti-bidentato. — Affinis *P. bicuspidatae* Wight, cujus tamen folia longe acuminata, supra glabra, perigonium autem fructiferum non costatum apiceque latius bicuspidatum. Formâ foliorum magis congruit cum *P. ellipticâ* Wight. — In Zeylaniâ.

549. Pouzolzia elliptica Wight: caule erecto ramoso tereti pubescente; foliis tri- v. subquintuplinerviis alternis petiolatis ellipticis v. oblongo-ellipticis ($1\frac{1}{3}$—$3\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. 3—7 lin.) utrinque acutis supra pubescenti-hispidulis subtus dense appresse pubescentibus; glomerulis androgynis (multifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero nervoso-striato v. obsolete costato ore bidentato. Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 32. *tab.* 2098. 32. — In Malabariâ.

550. Pouzolzia confinis Bl.: laxe ramosa; ramis elongatis angulatis pubescentibus; foliis trinerviis alternis breviter petiolatis lanceolatis ($\frac{3}{4}$—2 poll., $\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—6 lin.; ramulorum multo minoribus subsessilibus ovatis v. ovalibus obtusis) obtuse acuminatis basi acutiusculis supra puberulis subtus dense appresse pubescentibus; glomerulis androgynis (densifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero costato et interdum anguste bi- v. trimarginato superne subancipiti-attenuato subbidentato. — *Urtica alienata* (ex parte) *Herb.* JACQ. FIL. — Habitu et foliorum formâ in ramulis tenuioribus ex axillis foliorum ortis plane abnormali *P. glomeratae* DECAISNE valde congrua, cujus tamen flores masculi tetrandri, qui in hac constanter pentandri sunt. Etiam *P. scabridae* WIGHT affinis, unde, fide diagnosios a WIGHT V. Cl. in *Monogr. Pouz.* 38 proditae, ramis angulatis non teretibus foliisque apice magis obtusiusculis recedit. Perigonia fructifera sublenticulari-compressa, superne in apicem subbidentatum anguste marginatum attenuata, decemcostata, duabus tribusve costis interdum marginum v. cristularum angustarum membranacearum specie prominentibus. — In Indiâ orientali.

551. Pouzolzia Rothiana BL.: ramis elongatis angulatis strigosulis; foliis trinerviis alternis brevissime petiolatis v. subsessilibus difformibus, inferioribus subrotundis ovalibusve (4—7 lin., 3—4 lin. lat., pet. ½—1½ lin.) rotundatis, superioribus ovato-lanceolatis (3—7 lin., 1½—3 lin. lat., subsessilibus) acutis v. obtusiusculis basi obtusis supra imprimis ad margines pilosiusculis subtus appresse pubescentibus; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero obsolete costato v. interdum subangulato ore truncato. — *Urtica alienata* et *Boehmeria hirta* (haud WILLD.) Herb. ROTH. — *P. minori* WIGHT proxime affinis esse videtur, cujus tamen flores masculi tetrandri, perigonia fructifera saepe alata et in rostrum bidentatum constricta; in hac autem, quos exploravi, omnes flores masculi pentandri, perigonia vero fructifera obsolete decemcostata sejunctione duorum dentium orificii in apice brevi plerumque truncata. — In Indiâ orientali.

552. Pouzolzia procumbens WIGHT: procumbens, diffusa, ramosissima; ramis subtetragonis superne dense pubescentibus; foliis trinerviis alternis approximatis brevissime petiolatis v. subsessilibus ovatis ovalibusve (3—7 lin. 2½—4 lin. lat., pet. ½—2 lin.) acutis v. saepe obtusiusculis v. utrinque obtusis supra parce subtus dense appresse pubescentibus; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis pentandris et interdum tetrandris; perigonio fructifero costato et passim bi-tri-v. quadrimarginato ore subbidentato. WIGHT *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 35. *tab.* 2099. 35. — *Urtica alienata* (ex parte) *Herb.* JACQ. FIL. in *Mus. Caes. Vindobonensi.* — Diagnosis hujus Speciei, ut a WIGHT V. Cl. edita est, secum ipsa pugnare videtur, quod silentio omittere non licet. In Clavi Specierum, quae Monographiae hujus Generis praemissa est, hoc modo definitur: „Folia plurima, alternata, ovata, obtusa, pilosa, angusta: fructus profunde sulcatus;” in Monographiâ vero sub N°. 35 de foliis haec dicuntur: „folia opposita, breviter petiolata, ovalia, utrinque obtusa, infra pubescentia,” quod non congruit cum figurâ, in quâ ovata, acuta. Praeterea flores masculi dicuntur esse pentandri, qui fide figurae ejus sint tetrandri. Secundum meas explorationes pentandri esse solent, raris quibusdam tetrandris nonnunquam intermixtis. Perigonia fructifera decemcostata, in apicem obtusum subbidentatum non ancipiti-compressum attenuata, interdum expansione costarum nonnullarum inferne angulata s. marginata. Haec autem Species etsi primo statim aspectu foliis suis minutis, approximatis, plerumque obtusiusculis a *P. glomeratâ*, *P. confini*, aliis, dignosci potest, facillima tamen est commutatio, si modo ramuli earum herbarum explorantur. In his enim folia a caulinaribus et primariorum ramorum foliis et magnitudine et formâ ita differunt, atque in eâ re *P. procumbenti* tam similia sunt, ut haec quodammodo alii Speciei, ex. gr. *P. glomeratae*, stirps insita (inoculata) videatur, quippe foliorum formâ duarum Specierum characterem referens. Hac re autem accurata Specierum in Herbariis difficillima fit definitio, eo magis cum et perigonia fructifera in eâdem Specie formâ differre soleant, ut adeo in iisdem ramis, quin saepe in iisdem glomerulis reperiantur, quorum nervi tantummodo costas plus minusve prominentes exhibeant, quum alii eorum nervorum angulorum s. marginum angustorum specie emineant, alii vel manifestas alas efforment. — In Indiâ orientali.

553. Pouzolzia auriculata Wight: caule erecto ramoso tereti glabro; ramis teretiusculis superne strigosulis; foliis triplinerviis v. subquintuplinerviis alternis petiolatis lanceolatis v. ovato-lanceolatis ($2—3\frac{1}{2}$ poll., $\frac{2}{3}—1\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}—\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis (acumine saepe obtusiusculo) basi acutis v. acutiusculis supra scabriusculis subtus appresse pubescentibus: glomerulis androgynis (saepius multifloris); floribus masculis pentandris et passim tetrandris; perigonio fructifero costato auriculato-quadrialato (alis rotundatis conchaeformi-conniventibus) apiculo ancipiti bifido rostrato. Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 36. *tab.* 2099. 37. — *Parietaria indica* Herb. Pontenschlag in *Mus. bot. Caes. Vindobon.* — In figurâ laudatâ V.-Cl. Wight folia magis subulato-acuminata, nervi laterales magis ex imâ basi orti, quod tamen levioris momenti discrimen esse puto, quam ut planta nostra ab eâ separetur, quum conformatione perigonii fructiferi utraque congruat. — In Indiâ orientali.

†† *Folia alterna. Flores masculi tetrandri.*

554. Pouzolzia glomerata Decaisne: caule ascendente laxe ramoso; ramis elongatis angulatis strigosulis; foliis trinerviis alternis breviter petiolatis ovatis v. ovato-lanceolatis ($\frac{1}{2}—1\frac{1}{3}$ poll., 3—7 lin. lat., pet. 1—2 lin.; ramulorum minoribus ovalibus obovatisve saepe obtusis) acutis v. subacuminatis basi rotundatis v. acutiusculis supra parce subtus dense appresse pubescentibus; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero costato v. interdum subangulato aut superne anguste marginato ore bidentato. Decaisne in *Nouv. Ann. Mus. d'hist. nat.* III. 492 in Obs. — *Pouzolzia indica* (haud Gaudich.) Wight *Icon.* VI. tab. 1979. fig. 1 et *Gen. Pouz.* 42. tab. 2100. fig. 40. — *Urtica glomerata* Klein Willd. *Sp. Pl.* IV. 1. 361. 49. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 226. 84. Pers. *Syn. Pl.* II.

554. 52. SPR. *Syst. Veg.* III. 841. 74. Herb. WALL. N°. 4619 (ex parte). — Herb. HÜGEL in *Mus. Caes. Vindob.* N°. 2618. — Herb. CUMMING N°. 590. — *Saijor babie* Mal.; *Kemangil ulang* in Bandâ. — Non confundenda cum *P. glomeratâ* HASSKL. *Cat. Bog.* 80. 1., quae *P. indica* GAUDICH. Perigonii fructiferi paululum compressi costae sive nervi modo satis fortiter prominent, modo tantum obsoleti sunt, interdum superne margines duos angustos, inferne utrinque angulos duos paulo magis prominentes efformantes. — Per Asiam tropicam latissime dispersa, etiam in Sumatrâ, Javâ, Borneo, Moluccis, Philippinis, cet.

555. Pouzolzia indica GAUDICH.: caule e basi ramoso; ramis angulatis strigosulo-scabridis; foliis trinerviis alternis breviter petiolatis lanceolatis (1—3 poll., $\frac{1}{4}$—1 poll. lat., pet. 2—4 lin.; inferioribus minoribus ovatis v. ovato-lanceolatis obtusis v. obtusiusculis) acutis v. saepius longe acuminatis basi acutis v. obtusis supra glabris margine et in nervis subtus petiolisque strigosulo-scabridis; glomerulis androgynis (vulgo densifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero profunde sulcato-costato superne ancipiti-compresso bidentato. GAUDICH. in FREYCIN. *Voy. bot.* 503 (ex parte). BENNETT in HORSF. *Pl. Jav. rar.* 68. 6. — *Pouzolzia glomerata* (haud DECAISNE) HASSKL. *Cat. Bog.* 80. 1. MIQ. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 24. 3. — *Urtica glomerata* (haud KLEIN) BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 502. Herb. WALL. N°. 4619 (ex parte). — *Atriplex* Herb. VAN ROYEN. — *Parietaria indica* LINN. *Mant.* 128. N. BURM. *Flor. Ind.* 221 (excl. *Var.* β). HOUTT. *Nat. Hist.* II. 11. 399. 1. WILLD. *Sp. Pl.* IV. 2. 952. 1. PERS. *Syn. Pl.* II. 555. 1. SPR. *Syst. Veg.* III. 914. 2. — *Herba memoriae* RUMPH. *Herb. Amb.* VI. tab. 12. fig. 2. — *Djukut lelta hajam* Sund.; *Djukut lida ayam* aliis *Orang-haring* Mal. — Olim a me cum *Urticâ glomeratâ* KLEIN commutata, ad quam accedit quidem, sed tamen foliis universe magis lanceolatis, pubescentiâ tenerrimâ rarâ appressâ vix conspicuâ in nervis tantum paginae posterioris obviâ, denique perigoniis fructiferis superne magis ancipiti-compressis distinguitur. Ceterum in Herbariis complures nomine *Parietariae indicae* ab hac plane diversae militant Species, quae ob defectuositatem difficillime determinari possunt. Diligentius inquirendum, an *P. angustifolia* WIGHT *Icon.* VI. *tab.* 2100 *fig.* 39 et *P. suffruticosa* WIGHT (Urtica suffruticosa ROXB. et WIGHT *Icon.* II. *tab.* 694) satis differant a *P. indicâ* GAUDICH., ad quam profecto accedunt. Figura laudata *Herb. Amb.* satis bene congruit cum speciminibus junioribus herbae nostrae, nec minus *P. bornensi* MIHI similis est, minime vero RUMPHII nostri descriptio, in quâ legimus: „ad articulos bina adstant folia sibi opposita, ac quatuor simul crucem formant seu cruciata sunt." Hic igitur profecto commutantur herbae heterogeneae, id quod jam diversa foliorum indicat dispositio, quae ex descriptione opposita, secundum figuram alterna sunt, neque aliud ad rem explicandam habet MS. *Herb. Amb.*, nisi quod figurae primariae adscriptum est nomen laudatum: „*Herba memoriae.* Daun ingat." — In humidis et graminosis Indiae orientalis, frequens quoque in alluvialibus Javae, Sumatrae, Borneo, Moluccarum, cet.

556. Pouzolzia bornensis Bl.: caule laxe ramoso; ramis elongatis angulatis strigosulis; foliis tri- v. subtriplinerviis alternis breviter petiolatis lanceolatis ($\frac{3}{4}$—1 poll., $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 1—1$\frac{1}{2}$ lin.) acuminatis basi obtusis v. acutiusculis supra pilis raris obsitis in nervis subtus puberulis; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero costato superne ancipiti-compresso bidentato. — Haec quoque stirps *Herbae memoriae* Rumph. *Herb. Amb.* VI. *tab.* 12 *fig.* 2, ad *Pouzolziam indicam* (s. *Parietariam indicam* Linn.) mihi laudatae, simillima est. Ab hac imprimis foliis supra pilis sparsis obsessis, circa nervos subtus magis pubescentibus, vulgo subtriplinerviis differt atque perigonia fructifera minus profunde costata sunt. — In monte Pamathon Borneo australis a V. Cl. Korthals reperta.

557. Pouzolzia parva Bl.: caule repente simplici v. simpliciter ramoso; ramis adscendentibus angulatis strigosulis; foliis trinerviis alternis breviter petiolatis ovatis v. ellipticis lanceolatisve ($\frac{3}{4}$—1$\frac{1}{2}$ poll., 5—9 lin. lat., pet. 1—2$\frac{1}{2}$ lin.; infimis mioribus, ovalibus) utrinque acutis v. apice obtusiusculis v. subacuminatis ciliatis supra et in nervis subtus pilosiusculis; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero costato apice attenuato v. subancipiti-bidentato. — *Urtica parva* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 502. — *P. glomeratae* maxime affinis, sed caule repente, in paucos modo ramos ascendentes plerumque simplices diviso et formâ foliorum magis ellipticâ ab eâ differens. — In Javâ occidentali, in radicibus montis Menara inter fragosa; etiam in provinciâ Krawang.

††† *Folia superiora alterna, inferiora opposita. Flores masculi tetrandri rarissime triandri.*

558. Pouzolzia pilosa Wight: diffusa, procumbens; ramis angulatis pubescentibus; foliis trinerviis brevissime petiolatis, inferioribus oppositis ovatis (1—1$\frac{1}{2}$ poll., $\frac{2}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acutis, superioribus alternis ovato-lanceolatis ($\frac{2}{3}$—1 poll., 5—7 lin. lat., pet. 1—2 lin.) subacuminatis utrinque imprimis subtus appresse pilosis; glomerulis androgynis (multifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero costato v. saepius quadrialato (alis rotundatis conchaeformi-conniventibus) et apiculo ancipiti bidentato terminato. Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 47. *tab.* 2101. 46. — Hujus Speciei *P. pyramidatam* Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 50. *tab.* 2101. 48 nonnisi Varietatem foliis angustioribus esse videtur probabile. Alae in lateribus perigonii fructiferi per paria conniventes, conchaeformes. — In orâ Malabariae et verisimiliter etiam in Zeylaniâ.

559. Pouzolzia ceramica Bl.: caule erecto a basi subfastigiato-ramoso; ramis elongatis angulatis strigosulis; foliis trinerviis oppositis v. alternis breviter petiolatis ovato- v. elliptico-lanceolatis ($\frac{3}{4}$—1$\frac{1}{2}$ poll., 5—8 lin. lat., pet. 1—2 lin.; ramulorum minoribus conformibus subsessilibus) utrinque acutis v. apice breviter acuminatis supra parce subtus dense appresse pubescentibus et in nervis hirtulis; glomerulis androgynis (vulgo paucifloris); floribus masculis triandris; perigonio fructifero costato ore obsolete bidentato. — Omnium, quas novi, Specierum hujus Generis maxime variabilis dispositione foliorum, quae modo fere omnia opposita, modo pleraque alterna; qua re imprimis a *P. glomeratâ* Decaisne, cui proxime accedit, distinguitur. — In Ceramiâ magnâ Moluccanâ a divo Forster reperta.

560. Pouzolzia parietarioides Decaisne: caule ascendente simplici v. laxe ramoso inferne tereti glabriusculo superne ramisque angulatis pubescentibus; foliis trinerviis plurimis alternis (infimis oppositis) breviter petiolatis ovato-lanceolatis ovalibusve (¾—1½ poll., 5—8 lin. lat., pet. 2—4 lin.) obtusis v. obtuse acuminatis basi acutiusculis rarissime subrotundatis supra scabriusculis et pilis raris appressis conspersis subtus appresse pubescentibus; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero costato apice subbidentato et saepe ancipiti-compresso. Decaisne in *Nouv. Ann. Mus. d'hist. nat.* III. 492. — *P. indicae* Gaudich. proxima, in quâ tamen folia magis acuminata, et ad *P. glomeratam* Decaisne accedens. Radix nonnihil tuberosa, quo fit, ut haec Species ad *P. tuberosam* accedat. — In Timor.

561. Pouzolzia tenuis Bl.: caule erecto v. ascendente simplici v. subramoso angulato pilosiusculo; foliis trinerviis superioribus alternis, inferioribus oppositis longius petiolatis ovato- v. subrhombeo-oblongis (¾—1⅓ poll., ⅓—½ poll. lat., pet. 2—5 lin.) obtusis v. obtuse acuminatis utrinque pilosiusculis; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero costato et inaequali-quadrialato. — *Urtica tenuis* Steud. in *Flor. Regensb.* (1850) 257. — Herb. Hügel in *Mus. Caes. Vindob.* N°. 1793. — *P. zeylanicae* Bennet satis affinis. Herba pedalis, radice tenui fibrosâ. Caulis rectus v. ascendens, simplex aut basi modo unum paucosve ramos breves emittens, tenuis, obtuse quadrangularis, pilis sparsis patentibus albidis pilosiusculus. Folia inferiora opposita et longius petiolata, superiora alterna, basi rotundata s. acutiuscula, nervoso-venosa, membranacea, supra punctulata, pubescentiâ infra densiore et pilis brevioribus quam in paginâ superiore formatâ. Stipulae parvae, geminae, laterales, triangulari-ovatae, nervo excurrente acuminatae, margine et extus in nervo pilosulae, persistentes. Flores 6—10 in axillis glomerati, masculi distinctius pedicellati et magis hirsutuli. Perigonium masculum profunde quadripartitum, intus glabrum, extus praesertim in vertice hirsutulum; segmentis oblongis, aequalibus, superne paulo latioribus et sub apice triangulari-ovato incurvo quasi saccatis. Filamenta elastice prosilientia, filiformia, complanata, glabra, per anthesin erecto-conniventia. Antherae subrotundae. Rudimentum pistilli minutissimum, subulatum, basi subvillosum. Perigonium femineum urceolato-ovoideum, costatum, ore bidentatum. Stigma terminale, filiforme, subcurvatum, in latere incurvo tomentosulum, deciduum. Caryopsis ovoidea, perigonio ad latera alis quatuor semiovatis membranaceis in margine pubescente nervo cinctis, duabus inter se oppositis latioribus, inclusa. — In campis prope oppidum Mangalor in terrâ Canarâ et aliis locis Indiae orientalis.

562. Pouzolzia abyssinica Bl.: caule subramoso angulato pilosiusculo; foliis trinerviis plurimis alternis (infimis oppositis) petiolatis ovatis v. elliptico-oblongis (1—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{3}{4}$ poll.) acuminatis basi acutis supra pilis sparsis obsitis subtus canescenti-tomentosis; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis triandris; perigonio fructifero nervoso-striato ore obsolete bidentato. — *Margarocarpus Schimperianus* Wedd. in *Ann. Sc. nat.* 4^{me} Sér. I. 205. 11. — *Parietaria abyssinica* Hochst. *Herb. Un. itin.* Schimp. *Abyss.* N°. 1433. et in A. Rich. *Tent. Fl. Abyss.* II. 250. — Herba spithamea ad sesquipedalis. Caulis fere simplex, medio tantum in ramos paucos alternos 1—3 poll. longos simplices erecto-patentes folia brevius petiolata gerentes divisus, ex basi repente nudâ ascendens, obtuse quadrangularis, ut petioli pube brevi densâ pilisque sparsis patentibus albidis obsessus. Folia inferiora satis longe petiolata, infimis duobus obtusiusculis oppositis, reliquis alternis, satis remota, membranacea, nervoso-venosa, supra punctato-asperula et maxime in marginibus pilosiuscula, subtus tomento arachnoideo canescentia. Glomeruli axillares, pauciflori, bracteis involucralibus subulatis membranaceis pubescentibus cincti. Perigonium masculum profunde tripartitum, extus subpubescens; segmentis ovatis, mucronatis, concavis. Stamina 3; filamenta lineari-subulata, perigonio longiora, glabra, antheris subrotundo-didymis. Pistilli rudimentum minutissimum, subulatum. Perigonium femineum urceolato-ovoideum, ovarium arctissime obtegens, apice obsolete bidentatum, pubescens. Stigma terminale, filiforme, leniter curvatum, longitudine ovarii, altero latere dense papillosum, deciduum. Caryopsis compresso-ovoidea, perigonio accrescente nervoso-striato pubescente arcte involucrata. — In Abyssiniâ, in rupibus vallis Mai-Mezano pagi Djeladjeranne.

†††† *Folia opposita v. subopposita. Flores masculi tetrandri rarissime triandri.*

563. Pouzolzia microphylla Wight: procumbens, diffusa, ramosissima; ramis angulatis pilosiusculis; foliis trinerviis oppositis breviter petiolatis supra pilosulis subtus dense appresse pubescentibus, nunc subconformibus ovatis (5—8 lin., 3—5 lin. lat., pet. 1—$2\frac{1}{2}$ lin.) acutis v. obtusis, nunc magis dissimilibus, superioribus nempe longioribus ovato-ellipticis lanceolatisve ($\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—$3\frac{1}{2}$ lin.) acutis v. subacuminatis; inferioribus et ramulorum minoribus ovalibus v. subrotundo-obovatis; glomerulis androgynis (multifloris); floribus masculis tetrandris rarissime triandris; perigonio fructifero angulato-costato aptero v. quadrialato (alis rotundatis conchaeformi-conniventibus) cum apiculo ancipiti bidentato. WIGHT *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 30. *tab.* 2098. 30. — *Parietaria cochinchinensis* Herb. RWDT. — Herbam nostram javanicam a stirpe, quam WIGHT descripsit, Specie non diversam esse puto, quamquam nostrae foliorum basis modo rotundata, modo acutiuscula, nunquam vero subcordata est. Perigonia fructifera saepe modo obsolete quadrialata sunt, alis tamen interdum satis latis. Facie *P. procumbenti* WIGHT simillima, sed foliis oppositis satis ab eâ diversa. Ramos, in quibus folia superiora subinde majora et formâ ovato-ellipticâ v. lanceolatâ, a *P. strigosâ* HASSKL. vix distinguas. Vulgo tamen folia multo minora et magis approximata quam in *P. strigosâ.* — Prope Trogon, Limbangan, aliisque locis agri Preangerani insulae Javae; in Sumatrâ et, ut verisimile, etiam in Malabariâ.

564. Pouzolzia muralis MIQ.: opposite ramosa; ramis angulatis strigosulis; foliis trinerviis oppositis brevissime petiolatis v. subsessilibus ovatis v. lanceolato-ovatis ($\frac{1}{2}$—1$\frac{1}{3}$ poll., $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll. lat.) subacuminatis (inferioribus passim ovato-rotundatis) basi rotundatis v. obtusis supra scabriusculis subtus appresse pubescentibus; glomerulis androgynis (multifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero angulato-costato v. saepius quadrialato (alis rotundatis conchaeformi-conniventibus apiculo ancipiti bidentato terminato. MIQ. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 24. 4. — Herbacea, non suffruticosa, ut perhibet MIQUEL V. Cl. A *P. zeylanicâ* BENNETT foliis brevissime petiolatis supra non pilosis vix diversa. *P. microphyllae* WIGHT *tab.* 2098. 30 quoque proxima haec est Species. — Locis Javae inter austrum et orientem sitis.

565. Pouzolzia strigosa HASSKL.: procumbens, laxe ramosa; ramis elongatis angulatis strigoso-pilosiusculis; foliis trinerviis oppositis breviter petiolatis ovato-ellipticis ($\frac{1}{2}$—1$\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{3}$—$\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. 2—4 lin.; infimis et ramulorum minoribus ovalibus v. obovatis obtusis) utrinque acutis supra pilis raris strigosulis subtus imprimis ad nervos dense pubescentibus; glomerulis androgynis (pauci- v. multifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero obsolete costato v. interdum quadrimarginato ore modo subancipiti-compresso et obsolete bidentato. HASSKL. *Cat. Bog.* 80. 3. — *Urtica strigosa* BL. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 595. — *Djukkut lida ayam* Mal.; *Djukkut lida hayam* Sund. — Mihi vix diversa videtur a *P. prostratâ* BENNETT, in quâ tamen folia, fide diagnosios, lato-ovata atque obtusiuscula, et glomeruli unisexuales. In *P. zeylanicâ* BENNETT vero folia sunt longe petiolata, ovata, acuminata et perigonia fructifera quadrialata, at hic modo supra medium interdum quatuor marginibus parum prominentibus. — In humidis Javae, Borneo, cet.

566. Pouzolzia heterophylla BL.: procumbens, laxe ramosa; ramis elongatis angulatis strigosulis; foliis trinerviis plurimis oppositis v. interdum ad apicem ramorum alternis breviter petiolatis dissimilibus, aliis subrotundis v. ovalibus ($\frac{1}{4}$—$\frac{3}{4}$ poll.,

$\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2 lin.), aliis ovatis v. ovato-oblongis ($\frac{3}{4}$—1$\frac{1}{2}$ poll., 5—10 lin. lat., pet. 2—4 lin.) obtusiusculis supra pilis raris subtus densis appressis pubescentibus; glomerulis androgynis (paucifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero costato et interdum quadrimarginato ore obsolete bidentato — *Urtica alienata* (ex parte) *Herb.* Jacq. fil. in *Mus. Caes. Vindobonensi.* — *Urtica alienata* Roxb. Wight *Icon. tab.* 693, quam Wight V. Cl. in *Monogr. Pouz.* VI. 46, ut mihi quidem videtur, injuriâ cum *P. zeylaniâ* Bennett conjunxit, nostrae annumeranda esse videtur Speciei, quamquam in figurâ illâ folia partim longius petiolata et acutiora compareant. At *P. zeylanicae* Bennett, in *Iconibus* Wightii in *tab.* 2101 depictae, folia sunt conformia, longius petiolata, acuminata, tum costae laterales perigoniorum fructiferorum in quatuor alas distinctas rotundatas expansae sunt, quae in nostrâ Specie in lateribus margines modo quatuor membranaceas exhibent. — In Indiâ orientali.

567. Pouzolzia Forsteniana Bl.: caule ascendente subfastigiato-ramoso superne angulato strigosulo; foliis trinerviis oppositis dissimilibus, aliis subrotundis v. obovatis ($\frac{1}{2}$—1$\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. 2—5 lin.), aliis ellipticis lanceolatisve (1—3 poll., $\frac{1}{2}$—1$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—6 lin.) utrinque acutis v. apice acuminatis supra pube rarâ brevi scabridis subtus dense appresse pubescentibus; glomerulis androgynis (densifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero obsolete costato et interdum anguste quadrimarginato superne ancipiti-compresso bidentato. — Proxime *P. heterophyllae* mihi affinis, sed diversa foliis partim magis lanceolatis acuminatis et maxime perigoniis fructiferis minus distincte costatis superne ancipiti-compressis. Itaque quamvis habitu inter se sint simillimae, discrimen comparatis utriusque perigoniis fructiferis manifesto apparet. — In sylvis Ternatanis a divo Forsten reperta.

Sect. 2. Folia multinervia, nervis lateralibus interdum furcatis.

568. Pouzolzia cymosa Wight: caule ramoso inferne tereti superne tetragono pilis raris strigosulo; foliis multinerviis oppositis brevissime petiolatis ovato-lanceolatis (1$\frac{2}{3}$—2$\frac{3}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. 1—2 lin.) acuminatis utrinque pubescentibus; floribus masculis pentandris in cymis axillaribus dichotomis, femineis in iisdem axillis paucis sessilibus; perigonio fructifero costato ore obsolete bidentato. Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 29. *tab.* 1979. 2. — *Elkania multinervis* Schldl. *Pl. Ind. or.* (m. Nilagiri) Ed. R. F. Hohenacker N°. 1046. — Suffrutex 3—4 ped., erectus, ramosus; ramis elongatis, inferne teretiusculis, tenuiter striatis, fuscis, ut petioli et pedunculi pilis appressis sparsis brevibus albidis strigillosis, superne obtuse quadrangularibus. Folia superne inter nervos depressos strigosa et aspera, subtus maxime in nervis protuberantibus molliter pubescentia. Stipulae interpetiolares, utrinque geminae, patulae, e basi latâ subulatae, acuminatissimae, membranaceae, uninerviae, intus glabrae, extus ad margines ac praesertim in nervo medio elevato strigosulae. Cymae axillares, geminae, foliis multo breviores, patentes, dichotomae, in ramulis brevibus flores masculos nonnisi bracteatos proferentes. Masc.: breviter pedicellati, hirtuli, dum adhuc clausi depresso-globosi. Perigonium aequaliquinquepartitum, membranaceum, intus glabrum; laciniis lanceolatis, acutis, concaviusculis, uninerviis, patentibus, apice incurvis. Stamina 5, in fundo perigonii circum pistillum turbinatum subangulatum rudimentarium inserta, ejusdem laciniis opposita iisque breviora, erecto-conniventia, glabra; filamenta subulato-filiformia, complanata, apice incurva; antherae subrotundae, utrinque emarginatae, dorso supra basin affixae, resupinatae, biloculares, loculis bilateralibus, connectivo carnosulo disjunctis. Fem.: praecociores, solitarii v. pauci, ex foliorum axillis in basi inflorescentiae masculae, sessiles, parvi. Perigonium tubulosum, elongato-conicum, ore constricto obsolete bidentatum, membranaceum, puberulum, ovarium arcte vaginans, vegeto-persistens. Ovarium elongato-ovoideum, glabrum. Stigma terminale, filiforme, leviter curvatum, imâ constrictum, apice attenuatum et in juventute paulo circinnatum, undique puberulum, deciduum. Caryopsis ovoidea, paululum modo compressa, superne attenuata, laevigata, perigonio membranaceo longitudinaliter costato superne nonnihil pubescenti et ore constricto brevissime bidentato inclusa. Pericarpium chartaceum, nitidum, inferne pallidum, apice castaneum. Membrana seminis simplex, tenuis. Albumen carnosum, album. Embryon fere longitudine albuminis, inversum, rectum. Cotyledones subrotundo-ovales, basi emarginatae, crassiusculae. Radicula brevis, clavata, supera. — In montanis Nilagiri Indiae orientalis.

569. Pouzolzia Waitziana Bl.: caule ramoso tereti glabro; ramis teretiusculis hirtulis; foliis submultinerviis oppositis omnibus similibus sessilibus e basi subcordatâ ovatis v. ovato-lanceolatis (1—1¾ poll., ½—¾ poll. lat.) acutis v. subacuminatis subrugosis supra asperrimis et imprimis margine hispidis subtus pilosis; glomerulis inferioribus masculis (densifloris), superioribus androgynis; floribus masculis pentandris; perigonio fructifero striato aptero. — *P. hirtae* Hasskl. et *P. revolutae* mihi nimis affinis, sed foliis brevioribus et nervis lateralibus saepius furcatis diversa. — In Javâ orientali.

Sect. 3. Folia simpliciter curvinervia.

† *Folia opposita, conformia.*

* *Flores pentandri v. nonnulli interdum tetrandri.*

570. Pouzolzia hirta Hasskl.: caule ramoso scandente inferne teretiusculo glabrato superne subtetragono hirtulo; foliis omnibus similibus tri-quinquenerviis oppositis brevissime petiolatis e basi subcordatâ ovatis v. ovato-lanceolatis (1—3½ poll., ½—1½ poll. lat., pet. 1—2 lin.) acutis v. saepius longe acuminatis (interdum rugosulis) supra pilosulo-asperis subtus hirtulis; glomerulis androgynis (densifloris); floribus masculis pentandris rarius tetrandris; perigonio fructifero striato aptero. Hasskl. *Cat. Bog.* 80. 2. — *Hyrtandra hirta* Miq. in *Pl. Jungh.* Fasc. I.

26. 2. Zölling. *Syst. Verz.* II. 102. 1. — *Urtica hirta* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 495. — *Djukut letta hajam* Sund.; *Daun lida ayam* Mal.; *Pandju kitan* Jav. — Ad *P. cordatam* Bennett accedens, caule tamen haud laevigato floribusque haud dioicis distincta; affinis etiam *P. integrifoliae* Dalzell, a quâ floribus saepius pentandris ac perigonio fructifero aptero facile distinguenda. — In sylvis montanis humidis ad alt. 4000 ad 5000 ped. Javae occidentalis.

β *Var. laeviuscula:* foliis supra vix scabridis subtusque minus hirtulis. — In Sumatrâ.

571. Pouzolzia revoluta Bl.: caule erecto subramoso inferne teretiusculo glabrato superne angulato lineis binis pubescentibus; foliis omnibus similibus tri-quinquenerviis oppositis sessilibus e basi cordatâ ovato-lanceolatis ($2\frac{1}{4}$—4 poll., $\frac{3}{4}$—1 poll. lat.) longe acuminatis margine revolutis subrugosis supra hispidulis subtus glabriusculis; glomerulis unisexualibus, masculis densifloris; floribus masculis pentandris rarissime hexandris. — *Urtica hirta* (haud Bl.) Herb. Korths. — In Sumatrâ.

572. Pouzolzia hispida Bennett: caule ramoso tetragono ad angulos puberulo; foliis omnibus similibus trinerviis oppositis subsessilibus v. breviter petiolatis e basi subcordatâ v. rotundatâ lanceolatis ($1\frac{1}{3}$—$2\frac{1}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. 1—3 lin.) acuminatis supra imprimis margine asperis subtus glabriusculis; glomerulis unisexualibus (densifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero bi- v. trialato. Bennett in Horsf. *Pl. Jav. rar.* 66. 5. Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 51. — *Memorialis hispida* Hamilt. in Herb. Wall. N°. 4601. A (ex parte). — In Napaliâ.

β *Var. ovata:* foliis rameis ovatis. Bennett *l. c.* β. — *Urtica quinquenervis* Herb. Wall. N°. 4601. B. — In Nepaliâ.

γ *Var. glabrata:* foliis vix tactu asperis Bennett *l. c.* γ. — *Urtica quinquenervis* Herb. Wall. N°. 4601. C. — In Silhet.

573. Pouzolzia Gardneriana Wight: caule erecto subramoso tereti glabro; ramis teretiusculis superne pubescentibus; foliis omnibus similibus trinerviis oppositis brevissime petiolatis ellipticis (2—3 poll., 1—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatis basi obtusis utrinque pilosiusculis; glomerulis androgynis; floribus masculis pentandris; perigonio fructifero nervoso-striato apice attenuato edentulo. Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 7. *tab.* 2092. 5. — Foliis brevius petiolatis latioribus a *P. Mysorensi* Wight parum diversa. — In Zeylaniâ.

Lugduni-Batavorum, Kal. Maii 1856.

TOM. II. Nr. 16.

MUSEUM BOTANICUM

LUGDUNO-BATAVUM.

Ord. **Urticaceae.** — **Pouzolzia.**

(Continuatio.)

574. Pouzolzia obscura Bl.: ramis teretiusculis superne hirtulis; foliis omnibus similibus subtriplinerviis oppositis brevissime petiolatis ellipticis v. lanceolato-ellipticis ($1\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. 1—2 lin.) acuminatis basi acutis v. obtusis margine hispidulis ceterum utrinque glabriusculis; glomerulis unisexualibus (?) paucifloris; floribus masculis pentandris. — Folia minora, subtriplinervia, nonnisi ad margines pilis brevibus hispidula, venulis transversalibus teneris inter nervos magis horizontalibus minus curvatis, quibus rebus a *P. Gardnerianâ* Wight insignitur. Magnitudine foliorum potius convenit cum *P. ovalifoliâ* Wight, quae tamen utrinque pilosa. Specimen a me exploratum in foliorum axillis flores masculos habebat tantummodo laxe fasciculatos. Perigonium fructiferum non vidi. — In Zeylaniâ.

575. Pouzolzia Hügeliana Bl.: caule teretiusculo pubescente; foliis omnibus similibus trinerviis oppositis breviter petiolatis lanceolatis ($3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatissimis basi aequali- v. oblique obtusis rectis v. subfalcatis supra pubescentibus subtus canescenti-velutinis; glomerulis androgynis (densifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero costato aptero. — Herb. Hügel N°. 4680. — Affinis *P. Bennettianae* Wight *Icon.* VI. tab. 1978, sed foliis oppositis distincta. — In Asiâ fide speciminis e Mus. bot. Caes. Vindob.

** *Flores triandri rarissime tetrandri.*

576. Pouzolzia triandra Bl.: caule procumbente ramoso; ramis ascendentibus subangulatis lineis duabus pubescentibus; foliis omnibus similibus trinerviis oppositis sessilibus ovatis v. oblongo-ovatis ($\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll., 3—5 lin. lat.) acutis v. saepius obtuse productis basi subcordatis margine asperulis ceterum glabris lucidis; glomerulis androgynis (pauci- v. multifloris); floribus masculis triandris rarissime tetrandris; perigonio fructifero sublenticulari-compresso nervoso-striato apice obsolete bidentato. — *P. lucida* Hasskl. *Cat. Bog.* 80. 4. — *Urtica triandra* Bl. *Bijdr. Flor. Ned. Ind.* 496. — *Djukut letta hajam* Sund.; *Djukut lida ayam* Mal. — *P. parvifoliae* Wight, quae Zeylaniam incolit, fide imaginis, folia non sessilia, sed brevissime petiolata pubescentia esse videntur, quibus maxime ab herbâ javanicâ insignitur. Utrique flores triandri et perigonia fructifera non alata. Nomen a me primum datum mutavit HASSKARL V. Cl., quod, illo auctore, plerique flores masculi essent tetrandri; quâ in re profecto errore aliquo lapsus est. — In humidis provinciarum Javae occidentalium.

†† *Folia opposita, dissimilia, superiora nempe decrescentia v. bracteaeformia.*

* *Flores pentandri, rarissime tetrandri.*

577. Pouzolzia glabra WIGHT: caule erecto parce ramoso tereti inferne glabro superne puberulo; foliis dissimilibus triplinerviis oppositis breviter petiolatis v. subsessilibus e basi obtusâ v. acutiusculâ lanceolatis (2½—6 poll., 7—14 lin. lat., pet. 2—4 lin.; superioribus sensim minoribus cordato-ovatis lanceolatisve) acuminatis margine ciliatis ceterum glabris; glomerulis androgynis (densifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero costato aptero v. saepius lato-bialato. WIGHT *Icon.* VI. *Pouz.* 20. tab. 2095. 15. — *Parietaria* VII in Herb. *Leschenault.* — In Zeylaniâ.

578. Pouzolzia hypericifolia BL.: ramis subtetragonis hirtulis; foliis dissimilibus trinerviis oppositis brevissime petiolatis v. subsessilibus lineari-lanceolatis (1—1½ poll., 3—4 lin. lat., pet. ½—1 lin.; summis minoribus ovalibus oblongisve obtusis) acuminatis basi subcordatis margine hispidulis ceterum glabris v. in nervis subtus parce puberulis; glomerulis androgynis (densifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero aptero nervoso-striato apice attenuato edentulo. — In Sinâ australiori.

579. Pouzolzia pentandra BENNETT: caule ramoso tetragono glabriusculo v. ad angulos pilosiusculo; foliis dissimilibus trinerviis oppositis subsessilibus e basi cordatâ v. rotundatâ lanceolatis (2—3 poll., ½ poll. lat.; superioribus sensim minoribus sed conformibus) acuminatis (ad ramos saepe obtusis) supra scabridis et secundum margines strigosulo-hispidulis subtus glabris v. ad nervos pilis raris obsitis; glomerulis androgynis; floribus masculis pentandris rarissime tetrandris; perigonio fructifero bialato saepe cum rudimento alae crassioris. BENNETT in HORSF. *Pl. Jav. rar.* 64. tab. 14. WIGHT *Icon.* VI. *Pouz.* 16 (excl. fig. tab. 2096. 20!). — *Hyrtandra javanica* et *Hyrtandra pentandra* MIQ. in *Pl. Jungh.* Fasc. I. 25. 1 et in *Verh. Kon. Ned. Inst.* (1852) V. 1 et 2 tab. 1. — *Hyrtandra javanica* MIQ. in ZÖLLING. *Syst. Verz.* II. 102. 2. Herb. ZÖLLING. N°. 2277. — *Memorialis ciliaris* HAMILT. in WALL. *Cat.* N°. 4598. — *Urtica pentandra Roxb. Flor. Ind.* III. 583. 6. WALL. *Cat.* N°. 4598 (ex parte). WIGHT *Icon.* II. 696. — *Urtica* s. *Procris decussata* Herb. ZIPP. — *Salanjowo* s. *Sambangchollok* JAV.; *Urangurungan* Mal. — Inter lapides ad rivulos in Javâ orientali; in Bengaliâ, Nepaliâ, cet.

β Var. elongata: ramulis elongatis ascendentibus inferne radicantibus; perigonio fructifero saepe inaequali-tri-v. quadrialato (alis alternis minoribus). — In humidis maritimis Javae australis.

** *Flores tetrandri.*

580. Pouzolzia ambigua Wight: caule erecto subramoso inferne tereti glabro; ramis subtetragonis superne hirtulis; foliis dissimilibus tri- v. subquinquenerviis oppositis subsessilibus lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{3}$ poll., $\frac{2}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat.; superioribus sensim minoribus sed conformibus) acuminatis basi subcordatis v. rotundatis rectis v. subfalcatis supra pubescenti-asperis subtus velutino-tomentosulis; glomerulis infimis androgynis, superioribus femineis; floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero lato-bialato costato basi profunde cordato. Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 6. tab. 2095. 19. — Accedit ad *P. Wightii* Bennett. — In Malabariâ.

581. Pouzolzia courtallensis Wight: caule ramoso tereti glabro superne tetragono ad angulos hirtulo; foliis dissimilibus trinerviis oppositis sessilibus ovato-lanceolatis ($1\frac{1}{2}$—$5\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—$1\frac{1}{4}$ poll. lat.; superioribus minimis bracteaeformibus cordato-ovatis) acuminatis basi rotundatis v. subcordatis supra imprimis ad margines hispidulis subtus in nervis parce appresse pubescentibus; glomerulis androgynis; floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero nunc costato-aptero ore attenuato obsolete bidentato v. saepius lato-bialato. Wight *Icon.* VI. tab. 4393. (10).—*P. caudata* Var. *pilosa* v. nov. spec. Schldl. in Herb. Hohenacker N°. 805.— *P. caudatae* Bennett valde affinis, quâcum accuratius conferri meretur. Caulis pedes aliquot altus, herbaceus, erectus, virgatus, integer, intus medullosus, crassitie pennae anatinae, inferne teres, in ramos remotos oppositos arrectos simplices tenues divisus, superne sensim tenuior, tetragonus, spicam fere pedalem interrupte glomeratam aemulans. Folia sessilia, lineâ elevatâ stipulari paulum puberulâ juncta, superiora atque ramealia magnitudine insigniter decrescentia, in extremitate caulis et ramorum in bracteas minutas maxime alternas cordato-ovatas mutata. Glomeruli infimi ex axillis foliorum oppositorum satis densiflori, magis bracteaeformium et alternorum pauciflori. Perigonium fructiferum elongato-ovoideum, apice attenuatum et obsolete bidentatum, decemcostatum, nunc apterum v. saepius lateribus margine satis lato semicirculari membranaceo elegantissimo venuloso ambitu puberulo-scabriusculo bialatum. — Descriptio fide speciminis ex Herb. V. Ill. Steudel prope oppidum Mangalor in terrâ Canarâ Indiae orientalis a R. F. Hohenacker lecti.

† † † *Folia opposita v. saepius verticillato-terna, dissimilia, superiora nempe minora v. bracteaeformia. Flores tetrandri.*

582. Pouzolzia aspera Wight: caule erecto laxe ramoso tereti; ramis subtetragonis hirtulis; foliis dissimilibus tri- v. obsolete quinquenerviis verticillato-ternis rarius oppositis subsessilibus ovato-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{4}$ poll., 1—$1\frac{1}{2}$ poll. lat.; superioribus minimis bracteaeformibus cordato-ovatis v. cordato-lanceolatis) subacuminatis basi cordatis v. rotundatis (rigidis) supra asperis et margine hispidulis subtus tomentosulis; glomerulis androgynis; floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero costato-aptero v. interdum bialato. Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 15. tab. 2095. 18. — Wight V. Cl., in descriptione hujus stirpis, „fructus," ait, „plane ovatus, costatus, non alatus," fide autem imaginis ab eo laudatae perigonia etiam reperiuntur bialata, id quod in *P. concinnâ* Wight obtinet, quae Species utique maxime affinis. — In Nellighery aliisque montibus Indiae orientalis.

583. Pouzolzia ternata Bennett: caule erecto tereti subramoso pubescente; foliis dissimilibus tri-v. subquintuplinerviis oppositis s. verticillato-ternis subsessilibus ovato-lanceolatis ($2\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ poll., $\frac{3}{4}$—$1\frac{1}{3}$ poll. lat., pet. vix 1 lin., superioribus minoribus sed conformibus) longe acuminatis basi subcordatis supra pubescentibus subtus velutino-tomentosis; glomerulis androgynis (multifloris); floribus masculis tetrandris; perigonio fructifero nunc costato-aptero v. saepius bialato. Bennett in Horsf. *Pl. Jav. rar.* 66. 4. Wight *Icon.* VI. *Gen. Pouz.* 11. tab. 2093. 7. — *Urtica ternata* Heyne in Herb. Wall. N°. 4599. A et B. — In Courtallum et montibus Travancore Indiae orientalis.

†††† *Folia subverticillato-terna, consimilia. Flores pentandri.*

584. Pouzolzia Bennettiana Wight: caule subramoso erecto teretiusculo superne pubescente; foliis omnibus similibus trinerviis verticillato-subternis breviter petiolatis lanceolatis (3—5 poll., $\frac{3}{4}$—1 poll. lat., pet. 3—4 lin.) acuminatissimis basi suboblique obtusis v. retusis rectis v. subfalcatis supra puberulo-scabridis subtus imprimis in nervis velutino-tomentosis; glomerulis androgynis (densifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero costato v. lato-bi- s. inaequali-trialato. Wight *Icon.* VI. tab. 1978. *Pouz.* 10. — In Nilagiri Indiae orientalis, Zeylaniâ, cet.

585. Pouzolzia sponiaefolia Schldl.: ramis teretibus tomentoso-asperis; foliis omnibus similibus tri- v. subtriplinerviis verticillato-ternis breviter petiolatis lanceolatis (2—$2\frac{3}{4}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. 2—3 lin.) acuminatissimis basi acutis supra puberulo-asperis subtus pubescentibus; glomerulis androgynis (multifloris); floribus masculis pentandris; perigonio fructifero striato aptero v. lato-bialato. Schldl. *Pl. Ind. or.* (m. Nilagiri) Ed. R. F. Hohenacker N°. 1045. — *P. heterocarpae* Wight haec intime affinis nec forte satis ab eâ diversa. — In montanis Nilagiri Indiae orientalis.

Species accuratius explorandae.

586. Pouzolzia nana: caule (palmari) erecto ramoso piloso; foliis oppositis petiolatis ovatis obtusis pilosis asperis; floribus masculis tetrandris. *Boehmeria nana* Don. *Prodr. Flor. Nepal.* 60. 8. Spr. *Syst. Veg.* III. 844. 14. — Referenda ad Sectionem foliis mixtinerviis proxime *P. mycrophyllae* Wight. — In Nepaliâ.

587. Pouzolzia cochinchinensis: caule diffuse ramoso (sesquipedali); foliis trinerviis oppositis ovatis (parvis minoribus permixtis) acutis pilosis; glomerulis androgynis; floribus masculis tetrandris. — *Böhmeria cochinchinensis* Spr. *Syst. Veg.* III. 844. 13. — *Parietaria cochinchinensis* Lour. *Flor. Cochinch.* (ed. Willd.) 804. 1. — Haec herba an a *P. mycrophyllâ* differat, adhuc dubito. — In Sinâ et Cochinchinâ.

588. Pouzolzia glochidiata: caule erecto simplici v. a basi opposite ramoso (6—8 poll.); ramis angulatis scabriusculis; foliis trinerviis oppositis petiolatis ovato- v. oblongo-lanceolatis ($\frac{2}{3}$—2 poll., 5—9 lin. lat., pet. 2—5 lin.; infimis subrotundo-ovatis acutis v. obtusis) acuminatis basi obtusis v. retusis supra glabriusculis margine hispidulo-ciliolatis subtus strigosis et in nervis setulis apice hamulatis obsitis; glomerulis androgynis (pauci- v. multifloris); floribus masculis tetrandris rarissime triandris; perigonio fructifero costato apice constricto edentulo. — *Boehmeria glochidiata* Hasskl. *Pl. Jav. rar.* 206. 133. — Etiam ad Sectionem foliis mixtinerviis *P. murali* Miq. proxima. — In ruderatis et hortis prope Bataviam.

PARIETARIA Tournef. Flores polygami rarius hermaphroditici, in axillis foliorum fasciculato-cymosi, rarissime solitarii, singulis floribus cymulisve involucro 1—5-aut polyphyllo cinctis; foliolis liberis v. basi coadunatis. Masc. Perigonium quadripartitum; laciniis aequalibus, praefloratione valvatis. Stamina 4, perigonii laciniis opposita; filamenta filiformia, primum inflexa; antherae introrsae, biloculares, dorso affixae, loculis appositis. Pistilli rudimentum. Fem. Perigonium tubuloso-ventricosum, limbo contracto, quadrifido. Ovarium liberum, ovulo basilari, orthotropo. Stylus terminalis, filiformis aut subnullus. Stigma capitato-penicillatum. Hermaphr. Perigonium ut in femineis et stamina ut in masculis, ovario stigmate subsessili coronato. Caryopsis lenticulari-compressa, crustacea, laevigata, perigonio accrescente in floribus hermaphroditicis saepe elongato marcescente et involucro immutato rarissime indurato incluso. Semen erectum. Embryon in albumine carnoso inversum, rectum. Cotyledones crassiusculae, plano-convexae; radiculâ conicâ, superâ. — Herbae annuae v. perennes, utriusque orbis incolae; foliis alternis, integerrimis, trinerviis aut triplinerviis, rarius penninerviis; stipulis liberis, parum conspicuis.

Obs. Ingens pro locorum coelique varietate mutabilitas definitionem Specierum hujus Generis facit difficillimam. Inflorescentia glomerata cymulis vulgo sessilibus aut brevissime pedunculatis contractis furcatis s.

dichotomis, saepe modo trifloris foliolis involucralibus obsessis constat. In quibusdam Speciebus foliola illa involucralia sunt distincta, in aliis basi plus minusve concreta s. gamophylla, in nonnullis denique flores involucrales in basi singuli binis ternisve foliolis involucralibus cinguntur, flos autem medius s. dichotomiarum uno modo latere unico semper foliolo involucrali obsidetur. Optime autem, meâ quidem sententia, tum foliorum involucralium ille habitus, tum flos medius s. qui dichotomiis insidet aut femineus (i. e. nullis staminum rudimentis) aut hermaphroditicus dignoscendis Speciebus inservire potest. Jam vir immortalis Linnée animadvertit flores *P. judaicae* omnes esse hermaphroditicos, quae sane Species transitum facit a veris *Parietariis* stylo elongato ad *Freiream* Gaudich., quae perinde ac *Tamuria* Gaudich. nonnisi subgenus est habendum.

1. *Genuinae.* Involucrum vegeto-persistens, foliolis distinctis v. basi connexis. Stylus in floribus femineis elongatus.

589. Parietaria officinalis Linn.: caule erecto simplici v. subramoso hirsutulo; foliis triplinerviis lanceolatis v. ovato- aut oblongo-lanceolatis (1—4 poll., $\frac{1}{3}$—2 poll. lat., pet. $\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll.) acuminatis basi acutis rarissime basi apiceque obtusiusculis v. basi rotundatis hirsutulis; cymis dichotomis, flore medio femineo; involucri foliolis distinctis; perigoniis staminigeris fructiferis campannlatis. Linn. *Sp. Pl.* 1492. 1. *Hort. Cliff.* 496. *Hort. Ups.* 302. *Mat. med.* 220. fig. 1. van Royen *Lugd. Bat.* 210. Dalib. *Paris.* 305. Gort. *Fl. Gelr.* 454. Ejusd. *Flor. Belg.* 288. Gouan. *Monsp.* 516. Oed. *Flor. Dan.* III. tab. 521. Scop. *Fl. Carn.* (ed. 2^{a}) N°. 1242. Reyg. *Fl. Gedan.* 1. 240. Kniph. *Cent.* 4. N°. 60. Neck. *del. Gallo-belg.* 418. Mattusch. *Fl. Siles.* N°. 732. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 400. 2. Bulliard *Herb.* tab. 199. Lam. *Fl. Franç.* III. 213. N°. 803. Ejusd. *Illustr.* tab. 853. fig. 1. Roth. *Germ.* I. 431. II. 549. Hoffm. *Germ.* 351. Schkr. *Handb.* tab. 346. Sturm. *Fl.* III. tab. 9. *Engl. bot.* XIII. tab. 879. Lam. et Decand. *Fl. Fr.* III. 324. N°. 2155. Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 14. 1. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 953. 2. Lam. et Decand. *Syn. Fl. Gall.* 184. N°. 2135. Pers. *Syn. Pl.* II. 555. 2. Hayne *Arnz. Gew.* V. tab. 12. Curt. *Fl. Lond.* III. tab. 521. Spr. *Syst. Veg.* III. 914. 1. Woodv. et Hook. *Med. Bot.* IV. tab. 239. Boxt. *Brit. Bot.* III. tab. 224. Dietr. *Flor. Ber.* X. 689. Fr. Nees ab Esenb. *Gen.* 4. 29. Reichenb. *Fl. Germ. exc.* I. 181. N°. 1110. Ejusd. *Fl. Germ.* 12. tab. 651. — *Parietaria erecta* Mert. et Koch *Deutsch. Fl.* I. 825. Koch. *Syn. Fl. Germ. et Helv.* (ed. 2^{a}) 733. 1. — *Parietaria foliis hirsutis, elliptico-lanceolatis.* Hall. *Helv.* N°. 1612. — *Parietaria Officinarum et Dioscoridis* C. Bauh. *Pin.* 121. — *Parietaria* Trag. 193. Val. Cord. *Adn.* 106. Dodon. *Pempt.* 102. — *Parietaria Helxine Tabern.* 550. Paull. *Fl. Dan.* tab. 156. Brunsf. *Herb. Arg.* II. 23. Blackw. tab. 156. — *Parietaria Vitriola* s. *Perdicium* Lob. *Ic.* 258. — *Helxine* Cam. *epit.* 849. Fuchs *Hist.* 277. Matth. *Com.* 781. — Nomen mutatum huic herbae a VV. Cl. Mertens et Koch datum videtur improbandum adeoque Linneanum ei servandum esse, neque refert aliquid ad eam rem, si sequens Species dudum cum eâ commutata sit, quod plurimis herbariis inspectis apparebit. Ab hac autem distinguitur foliis universe majoribus magis elongatis longius acuminatis, maxime vero inflorescentiâ magis dichotomo-ramosâ, foliolis involucri in basi non confluentibus sed magis distinctis, perigoniis hermaphroditicis fructiferis minus elongatis. Fieri possit, ut unus alterve e laudatis auctorum locis non hanc Speciem, sed sequentem spectet. — In Europae temperatis ad vicos, sepes et in ruderatis.

590. Parietaria diffusa Mert. et Koch: caule procumbente v. ascendente ramoso diffuso hirsutulo; foliis triplinerviis ovatis v. ellipticis lanceolatisve ($\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{4}$—1 poll. lat., pet. 2 lin.—1 poll.) basi apiceque acutis v. acuminatis obtusisve subpubescentibus; involucri tri- v. cymoso-pauciflori foliolis basi cohaerentibus, flore medio femineo; perigoniis staminiferis fructiferis elongatis. Mert. et Koch *Deutsch. Fl.* I. 827. Reichenb. *Fl. Germ. exc.* I. 181. N°. 110. Koch *Syn. Flor. Germ. et Helv.* (ed. 2^{a}) 733. 2. Reichenb. *Fl. Germ. XII.* tab. 651. — *Parietaria judaica* (haud Linn.) *Hall. Helv.* N°. 1612 (excl. ut in Syn. seq. cit. Linn.). Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 402. 3. Mill. *Dict.* N°. 2. Kniph. *Cent.* 11. N°. 83. Gaertn. *Fr. et Sem. Pl.* II. 184. tab. 119. 8. Lam. *Illustr.* tab. 853. fig. 2. Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 14. 2. Hoffm. *Deutsch. Fl.* II. 276. Schkr. *Handb.* tab. 346. Lam. et Decand. *Fl. Fr.* (ed. 3^{a}) III. 324. N°. 2136. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 954. 4. Lam. et Decand. *Fl. Gall.* 184. N°. 2136. Pers. *Syn. Pl.* II. 555. 4. Spr. *Syst. Veg.* III. 914. 3. — *Parietaria officinalis* (haud Linn.) Poll. *Pal.* II. 658. Smith *Fl. Brit.* 189. *Engl. Fl.* I. 223. — Admodum polymorpha, cum quod ad formam et magnitudinem, tum quod ad texturam et pubescentiam foliorum. Sunt formae foliis majoribus, quas primo aspectu *P. officinalis* esse credas, sed quae foliolis involucri imâ decurrentibus s. plus minusve confluentibus et perigonio fructifero florum hermaphroditicorum elongato ab illâ differunt, quum perigonii fructiferi pro staminibus longitudo nimis variet, quam ut distinguendis Speciebus inservire possit, id quod crebris explorationibus sum expertus. Ad formam foliis majoribus *P. officinali* Linn. simillimam cum alia referenda sunt specimina, tum in Herbario Willkom ex primo itinere Hispaniensi N°. 869 *P. officinalis* Linn. *angustifoliae* nomine militans staminibus tubo perigonii fructiferi plus dimidio brevioribus, aliud in Herb. Hausmann N°. 319 ex australi Tiroliâ prope Botzen in muris; denique specimen, ut videtur, authenticum Boccone in Herb. van Royen nomine *P. judaicâ* (haud Linn.) inscriptum cum titulo:

> „*Parietaria minor ocymi folio* C. B. P. 121.
> „Parietaria sicula, folio Alsines. Boccon. 47.
> „M. H. 2. 600.”

Huic quoque foliis longiuscule petiolatis tenerrimis opaco-punctatis ciliatis supra glabratis subtus ad nervos subpubescentibus stamina sunt tubo perigonii fructiferi fere dimidio breviora. Citatum autem Boccone Willdenow V. Cl. ad *P. punctatam* suam, herbam ex monte Macedoniae

Atho, refert, V. Cl. KOCH vero in *Syn. Flor. Germ. et Helv.* II. 733 ad *P. judaicam* LINN. quae Europam incolere non videtur.

Forma superiori plane contraria est foliis pro ratâ parte exiguis, cujus plurima e locis diversis in manibus sunt specimina, veluti ex Mus. Caes. Vindob. stirpis a CLEMENTI in ruderatis Parthenicis Atticae lectae, quae in Herb. PORTENSCHLAG sub N°. 1875 *P. cretica* audit, et nomine *P. lusitanica* (haud LINN.) a V. Cl. BESSER mecum est communicata, omnia staminibus longitudine tubi perianthii florum fructiferorum hermaphroditicorum; alterius ex eodem Museo e vetustis muris prope Roncino, in castro Görziano et turri D. Marci Venetorum, staminibus dimidiâ fere longitudine perigoniorum fructiferorum elongatorum; eodem pertinent specimina e Siciliâ, etiam in Herb. SIEBER nomine *P. officinalis* (haud LINN.) ex Corsicâ inscripta, et culta ex horto Caes. Schoenbr. nomine *P. achiraceae*, staminibus tubo perigoniorum fructiferorum elongatorum paulo brevioribus; nec minus frequens ea forma minoribus foliis circa Rhenum, veluti prope Confluentiam et in regione Palatinâ, sed staminibus florum fructiferorum hermaphroditicorum brevioribus, utpote tubum eorum dimidium longitudine aequantibus. At inter formam hanc et alteram majoribus foliis aliae manifesto quasi transitum indicant, quo pertinent: 1. specimina foliis ovato-ellipticis trinerviis V. Doct. HELFER e Siciliâ, staminibus tubo perigoniorum fructiferorum elongatorum fere dimidio brevioribus. — 2. alia superioribus etiam quoad longitudinem staminum satis similia, sed foliis triplinerviis, in Herb. JACQUIN, ex muris Mendrisii in Helvetiâ transalpinâ. — 3. alia foliis vulgo magis ovatis, staminibus longitudine tubi perigoniorum hermaphroditicorum elongatorum, e rupibus Acropolios Athenarum a FRIEDRICHSTHAL lecta, in Herb. ejus nomine *P. lusitanicae* (haud LINN.) e Graeciâ sub n°. 211 militantia, quibuscum specimina Neapolitana ex Herb. FENZL nomine *P. inconspicuae* satis congruunt. — 4. etiam *P. mauritanica* DURIEU, foliis modo ovatis modo oblongo-lanceolatis, perigoniis fructiferis elongatis stamina paulo superantibus, quae tantum forma *P. diffusae* MERT. et KOCH videtur, cujus specimina e provinciâ Oran e Florâ Atlanticâ exsiccatâ DURANGO habeo. — 5. quae huic formae accedunt specimina ex Tripoli, alia e Mauritaniâ in Herb. BOVÉ, etiam ex Algeriâ in Herb. Union. itiner. et e Corsicâ in Herb. SIEBER, *P. officinalis* nomine, quae omnia formâ foliorum magis lanceolatâ insigniuntur, staminibus fere longitudine tubi perigoniorum fructiferorum elongatorum. — 6. *P. judaicae* (haud LINN.) Herb. WELWITSCHII it. Lusit., in quâ eadem foliorum forma, quamquam texturae tenuioris est conspicua, sed stamina perigoniorum fructiferorum elongatorum tubo circiter dimidio breviora. — 7. denique huc pertinent specimina in Galliâ, Germaniâ, Nederlandiâ, Angliâ frequentissima et haud raro cum *P. officinali* confusa, foliis partim lanceolatis partim magis ellipticis, minoribus ovatis intermixtis, staminibus quales in *lusitanicâ* modo memoratâ. Ex his praeter alia sunt specimina Fl. Gall. et Germ. exs. a Sarrebourg N°. 52, ex aliis Galliae regionibus in Herb. PERSON; e locis circa Kaiserslautern in Herb. ENDLICHER; circa Halam in Herb. GATTERER; e Nederlandiâ in Herb. VAN ROYEN, MEERBURG, cet.

591. Parietaria punctata WILLD.: caule erecto simplici v. subramoso hirsutulo; foliis triplinerviis subrhombeo-ovatis v. ellipticis (1—1½ poll., ½—¾ poll. lat., pet. ⅓—½ poll.) utrinque acutis hirsutulis; involucri tri- v. cymoso-pauciflori foliolis basi cohaerentibus, flore medio femineo; perigoniis staminiferis fructiferis campanulatis. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 953. 3. Pers. *Syn. Pl.* II. 555. 3 (excl. Syn. P. ocymifoliae Poir.). Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 300. 13. — Specimen nostrum ex Macedoniâ cum descriptione Willdenow V. Cl. satis bene congruit. Foliolis perigonialibus basi connexis accedit ad *P. diffusam* Mert. et Koch, facie vero et perigoniis florum hermaphroditicorum fructiferis campanulatis, in quibus stamina fere perigoniorum longitudinem adaequant, potius cum *P. officinali* Linn. — In Macedoniâ in monte Atho.

592. Parietaria canescens Bl.: caule prostrato a basi ramoso diffuso canescenti-hirtulo; foliis triplinerviis v. interdum trinerviis ovatis ($\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll., 3—5 lin. lat., pet. 2—3 lin.) obtusis v. obtusiusculis basi rotundatis rarissime subcordatis utrinque hirtulis; involucri tri- v. cymoso-pauciflori foliolis basi cohaerentibus, flore medio femineo; perigoniis hermaphroditicis fructiferis subcampanulatis. — *P. judaica* (haud Linn.) Herb. Willkomm *It. hisp. secund.* N°. 39. — A *P. judaicâ* Linn. et *P. diffusâ* Mertens et Koch perigonio florum hermaphroditicorum fructificationis stadio non elongato diversa. Tota stirps plus minusve canescenti-hirtula, prostrata, a basi ramosa. Involucra in foliorum axillis subsessilia. sexoctofida, vel si malis, totidem foliolis in basi cupulatim cohaerentibus ovatis v. lanceolatis obtusiusculis reticulato-nervosis pilosiusculis viridibus conformata, plerumque triflora. Flores sessiles, laterales masculi aut plerumque hermaphroditici, medii feminei. Masc. v. hermaphr. Perigonium urceolato-quadrifidum, laciniis lato-ovatis, acuminatis, uninerviis, concavis, tenere membranaceis, extus superne hirtulis. Stamina 4, fere perigonii longitudine. Ovarium ellipsoideum, pedicello brevissimo conico suffultum. Stigma terminale, sessile, parvum, subcapitatum, papilligerum. Fem. Perigonium elongato-ovoideum, subangulatum, quadrifidum, membranaceum, intus villosiusculum, extus inferne glabrum, superne pubescens; laciniis lanceolatis, acuminatissimis, trinerviis, erectis, margine connexis. Ovarium sessile, ellipsoideum. Stylus filiformis, vix exsertus. Stigma crassum, capitatum, penicillatum. Caryopsis ellipsoidea, sublenticulari-compressa, laevigata, nitida, statu nondum plane maturo obscure viridis, perigonio nonnihil accrescenti in floribus staminigeris non elongato sed subcampanulato inclusa. — In Hispaniâ in muris circa Yrum et alibi.

593. Parietaria parviflora Friedrichsth.: caule prostrato filiformi ramoso pubescente; foliis trinerviis rhombeo-ovatis v. subrotundis (1$\frac{1}{2}$—3 lin., 1$\frac{1}{2}$—2 lin. lat., pet. $\frac{1}{2}$—2 lin.) obtusis utrinque pubescentibus; involucri triflori foliolis inaequalibus obtusis imâ cohaerentibus, flore medio femineo.— Herb. itin. *Friedrichsthal.* — *Parietaria cretica* (haud Linn.) Herb. Union. itin. Fleischer. — Transitum facit ad *P. creticam* Linn., sed multo magis nana ut *Soleirolia corsica* Gaudich., foliolis involucri triflori, quorum unum duo v. tria majora, cunctis fere ad basin usque distinctis, post anthesin non induratis. Flos medius femineus, laterales masculi v. hermaphroditici. — A Friedrichsthal in rupibus Acropolios Athenarum lecta sub N^{0}. 179 in Mus. Caes. Vindob.; etiam in rupestribus montosis Smyrnae.

2. *Thaumuria.* Involucrum gamophyllum, fructiferum induratum. Stylus elongatus.

594. Parietaria cretica Linn.: caule a basi ramoso diffuso puberulo; foliis tri- v. penninerviis rhombeo- v. subrotundo-ovatis (2—6 lin., 1½—4 lin. lat., pet. 1—4 lin.) obtusis utrinque puberulis; involucris inaequali-quinquefidis, laciniis duabus lateralibus majoribus alaeformibus, flore medio femineo. Linn. *Sp. Pl.* 1492. 4. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 403. 5. Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 15. 5. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 956. 12. Pers. *Syn. Pl.* II. 555. 12. Sibth. *Fl. Graec.* tab. 154. Spr. *Syst. Veg.* III. 914. 6. — *Thaumuria cretica* Gaudich. in Freycin. *Voy. bot.* 503 et in *Voy. Bonite* tab. 98. B. — *Parietaria cretica minor, capsulis seminum alatis* Tournef. *Inst. coroll.* 38. — *Parietaria affinis* Hornem. Hort. Hafn. (1850). — *Parietaria lusitanica* (haud Linn.) in *Hort. Monac.* et in Herb. Pers. (ex parte). — Foliorum formâ, magnitudine atque texturâ satis variabilis, quae non ut V.Cl. Poiret et Sprengel l. c. referunt glabra, sed ut petioli, rami, involucra cum floribus pubescentiâ brevi satis densâ obducta. Caulis inferne lignescens, in Varietate omnino herbaceus. Involucra axillaria, brevissime pedunculata, laciniis ad basin cupulatim concretis. Flores terni, sessiles, laterales hermaphroditici s. masculi, medius femineus. Perigonium femineum tubuloso-ventricosum, ore contracto quadrifido, intus villosum, fructiferum subangulatum. Stylus filiformis, stigmate capitato, penicillato. Involucrum fructiferum auctum, induratum. — In Corsicâ, Italiâ australi circa Neapolin, Graeciâ, Cretâ, locis mari Caspio vicinis aliisque Asiae minoris.

β *Var. herbacea:* foliis ovatis obtusis v. subrotundis magisque membranaceis. — *Parietaria lusitanica* (haud Linn.) Herb. Sieb. e Cretâ. — Folia magis ovata (in α plerumque rhombeo-ovata), texturâ tenuiore. — In Cretâ circa Caneam.

3. *Ambiguae.* Involucrum vegeto-persistens, foliolis distinctis v. basi connexis. Stylus in floribus omnibus brevis.

595. Parietaria judaica Linn.: caulibus e rhizomate pluribus fasciculatis erectiusculis puberulis; foliis trinerviis ovatis v. ellipticis lanceolatisve (5—9 lin., 2—6 lin. lat., pet. 1—2 lin.) utrinque acutis v. apice obtusis imprimis margine puberulis; involucri tri- v. cymoso-septem-flori foliolis basi cohaerentibus; perigoniis omnibus hermaphroditicis, fructiferis elongatis. Linn. *Sp. Pl.* 1492. 2. — Herb. Union. it. (1834) T. Fr. Hohenacker. — Speciem hanc plerique auctores cum *P. diffusâ* Mert. et Koch confuderunt, a quâ foliis crebro trinerviis, maxime vero eo insignitur, quod flores involucrorum cuncti hermaphroditici, ut jam animadvertit immortalis Linneus. Equidem *P. nitentem* C. Koch non satis diversam esse suspicor. — In Palaestinâ et compluribus Asiae Minoris locis, imprimis in monte Caucaso in rimis saxorum.

β *Var. multicaulis:* foliis ovatis v. ovato-ellipticis (½—¾ poll., ¼—¾ poll. lat., pet. 1—3 lin.) acutis v. obtusiusculis basi subrotundatis; involucri subtriflori foliolis ad basin magis cohaerentibus. — *P. multicaulis* Boiss. et Heldr. *Diagn. Pl. nov. Or.* Fasc. XII. 106. — Herb. Heldr. N°. 714. — Maxime foliis latioribus ad basin magis rotundatis et involucri foliolis basi magis cohaerentibus ab α diversa. In hac quoque Varietate perigonia cuncta sunt staminigera, fructifera elongata et stamina duplo superantia.

596. Parietaria velutina Bl.: caulibus e rhizomate pluribus subfasciculatis ascendentibus dense pubescentibus; foliis trinerviis rhombeo-ovatis ($\frac{1}{3}$—$\frac{1}{2}$ poll., 3—5 lin. lat., pet. 1—2 lin.) acutis v. obtusis subtus velutino-pubescentibus; cymis furcatis, floribus omnibus hermaphroditicis; involucri foliolis distinctis. — *P. diffusa* (haud Mert. et Koch) in Herb. Steudel. — *P. judaicae* Linn. valde affinis ac pubescentiâ foliorum velutinâ foliolisque involucralibus in basi non connexis diversa. — In Perside australi in monte altissimo Kuh-Delu.

597. Parietaria cryptorum C. Koch: caulibus e rhizomate pluribus fasciculatis diffusis puberulis; foliis trinerviis v. subtriplinerviis ovato-ellipticis (4—6 lin., 2–4 lin. lat., pet. 1—2 lin.) utrinque acutis v. obtusiusculis supra albido-punctatis et imprimis margine puberulis; involucri 1—2 flori foliolis basi cohaerentibus; perigoniis omnibus hermaphroditicis, fructiferis elongatis. C. Koch in Linnaeâ XXII. 606. Walp. *Ann. bot.* III. 415. 3. — *P. judaica* (haud Linn.) in Herb. Endlich. in *Mus. bot. Caes. Vindob.* — Ad *P. judaicam* accedens et vix ab eâ distinguenda. Involucra subsessilia in specimine, quod exploravi, ex Herbario Endlicher in Museo Vindobonensi vulgo inaequali-penta-rarius tetraphylla, flores binos hermaphroditicos cingentia. Perigonium fructiferum elongatum, puberulum, stamina paene triplo excedens. Caryopsis nigrescens. — In Tauriâ.

598. Parietaria tibethana Bl.: caulibus e basi pluribus diffusis puberulis; foliis triplinerviis ovatis v. elliptico-oblongis ($\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll., 3—5 lin. lat., pet. 1—2 lin.) utrinque acutis v. basi rotundatis supra albido-punctatis et puberulo-asperis subtus hirtulis; involucri 3—7-flori foliolis basi cohaerentibus; perigoniis omnibus hermaphroditicis, fructiferis elongatis. — Praecipue inflorescentiâ cymosâ densiore foliisque subtus hirtis a *P. cryptorum* C. Koch diversa. Flos medius praecocior, hermaphroditicus, laterales aut masculi pistillo saepe abortivo, aut feminei staminibus abortivis. Tubus perigoniorum fructiferorum elongatus, extus glaber. — Quae notavi ex specimine admodum vitioso Musei Caes. Vindob. ab Hügel V. Nob. in Tibet lecti sub N°. 1078.

599. Parietaria Welwitschii Bl.: caule erecto inferne nudo superne subramoso puberulo; foliis trinerviis ovatis v. rhombeo-ovatis ($\frac{2}{3}$—1$\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—1 poll. lat., pet. 2—7 lin.) acuminatis basi rotundatis v. acutiusculis utrinque pilosulis; cymis subdichotomis, flore medio femineo; involucri foliolis distinctis oblongis obtusis florem aequantibus. — *Parietaria judaica* (haud Linn.) in Herb. Welwitschii *iter Lusit.* N°. 158. — Primo aspectu tamquam Varietatem *P. lusitanicae* Linn. annumerari eam posse putabam, sed differt et habitu, et foliis vulgo contracto-acuminatis, maxime vero eo, quod cymulae minutae in axillis glomeratae in dichotomiâ flores femineos emittunt, id quod et *P. officinali* Linn. et *P. diffusae* Mert. et Koch accidit, quum in *P. lusitanicâ* Linn. flos medius s. in dichotomiâ semper sit hermaphroditicus. Haec autem herba fere pedalis ob stylos brevissimos Sectioni *Freireae* annumeranda est. Perigonium femineum extus papillis densis est obsitum. In umbrosis editioribus Extramadurae cet.

600. Parietaria humifusa Bl.: caule prostrato ramosissimo pubescente; foliis trinerviis longe petiolatis ovatis v. rhombeo-ovatis orbiculatisve ($1\frac{1}{2}$—11 lin., $1\frac{1}{2}$—7 lin. lat., pet. 3—13 lin.) obtusis pubescentibus tandem glabriusculis; floribus solitariis v. cymoso-glomeratis, flore medio hermaphroditico; involucri foliolis linearibus distinctis. — *Freirea humifusa* Gay *Fl. Chili* V. 366. — *Urtica freieraeformis* Steud. in *Fl. Regensb.* (1850) 258. 4. — *Urtica parietariaefolia* Herb. Berter. N°. 736. — *Freirea Steudelii* Bl. in Herb. Steud. (1851). — Herba circiter pedalis, e basi ramosissima, prostrata; ramis ascendentibus, tenuibus, carnosulis, striatis, pilis quam tenerrimis patentibus pellucidis albidis pubescentibus. Folia magnitudine atque formâ valde inaequalia, pleraque longissime petiolata, texturâ tenui herbaceâ, nervoso-venosa, punctato-asperula, subtus pallidiora. Involucra foliorum axillis insidentia, 3—7 phylla, unum modo paucosve flores sessiles monoicos cingentia, quorum medius masculus s. hermaphroditicus, laterales feminei; foliolis involucri linearibus v. spathulato-linearibus, inaequilongis, obtusis, florum instar pubescentibus. Masc. s. hermaphr. Perigonium profunde 4-partitum; segmentis ovato-lanceolatis, subacuminatis, concavis, uninerviis, nervo apice aliquantum incrassato. Stamina 4. Rudimentum pistilli centrale, satis magnum, lenticulari-compressum, substipitatum. Flores feminei multo minores. Perigonium profunde 4-partitum. Staminodia nulla. Ovarium ovoideum, substipitatum. Stylus brevis. Stigma terminale, capitatum, papillosum, papillis setulis aliquot intermixtis. Circa rupes Rancaguae Chili, in Valparaiso, cet.

β *Var. pusilla:* in omnibus partibus minor; foliis texturâ crassiore. — Herb. T. Drummond N^r^. 297. — Herba nana, 3—6 pollicaris, foliis vulgo minoribus et crassioribus. Involucra axillaria, solitaria, saepius flore hermaphroditico solitario praecoci cum femineo tardius evoluto. — In Novâ Orleans.

4. *Freirea.* Involucrum vegeto-persistens, foliolis in singulis floribus (exceptis dichotomiarum) 2—4. Stylus in floribus omnibus brevis v. nullus.

† *Involucro proprio diphyllo.*

601. Parietaria lusitanica Linn.: caule saepe procumbente et e basi ramoso puberulo; foliis trinerviis ovatis ($\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll., 2—4 lin. lat., pet. 1—2 lin.) obtusis basi rotundatis v. acutiusculis utrinque subpubescentibus; cymis trifloris v. subdichotomis, flore medio hermaphroditico; involucro femineo diphyllo, foliolis lineari-lanceolatis pubescentibus florem aequantibus v. saepe superantibus. Linn. *Sp. Pl.* 1492. 3. Houtt. *Nat. Hist.* II. 11. 403. 4. Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 15. 6. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 955. 11. Pers. *Syn. Pl.* II. 555. 11. Spr. *Syst. Veg.* III. 914. 5 (excl. Syn. nonnull.). — *Parietaria lusitanica annua, minima* Tournef. 509. Raj. *Hist. Pl.* III. 129. — *Fl. Gall. et Germ. exs.* 4^e Cent. N°. 39. — *P. judaica* (haud Linn.) Herb. Pers. et Jacq. (ex parte). — Ut *P. diffusa* Mert. et Koch, haec quoque herbula variat foliorum formâ et pubescentiâ, longitudine petiolorum, magnitudine foliorum involucralium, modo floribus majorum, modo eos vix longitudine adaequantium, neque aliter ramificationes caulis ad angulos anguste marginatae modo dense hirtulae, modo sparse tantum puberulae. Nonnullas Varietatum s. formarum obviarum earum operae pretium est brevibus memorare. 1. Forma nana est quam circa Toloniam legit Durieu de Maisonneuve, in Fl. Gall. et Germ. exs. 4^a Cent. N°. 39, foliis minutis breviter petiolatis ovatis v. subrotundis supra et in nervis ramisque pubescentibus, cymulis paucifloris, quâcum specimen e Museo Caes. Vindob. nomine *P. creticae* (haud Linn.) ex Caneâ inscriptum, et aliud in Herb. Jacquin ex Libano, cum *P. judaicâ* commutatum, congruunt: specimina his satis similia, sed foliis jam ex parte ellipticis, habemus a Gussone collecta. — 2. Ab his diversa sunt in Herb. Person specimina foliis paulo tantum majoribus supra magis ad margines ceterum utrimque sparsim pubescentibus; pubescentiâ in ramis quoque rariore; cum quibus congruunt specimina in Herb. Sieber circa speluncam Pausilippi prope Neapolin. — 3. Specimen in Herb. Person, nomine *P. judaica* (haud Linn.), foliaturâ quidem cum hac sub n°. 2 memoratâ convenit, sed rami pube densâ brevi obsiti, cymulae plerumque dichotomae et folia involucralia flores longitudine superantia. — 4. Varietas valde insignis, quam *lanceolatam* appellare placet, in Herb. Jacquin nomine *P. judaicae* (haud Linn.) ex Neapoli inscripta; gaudet foliis maximam partem lanceolatis utrinque attenuatis v. apice obtusiusculis, partim longiuscule petiolatis, cymulis subdichotomis, foliolis involucralibus florem longitudine superantibus et ramis parce tantum puberulis. Est haec *Parietaria sicula, alsines folio* Boccone *Sic.* 47. tab. 24 secundum specimina authentica in Herb. van Royen ex Siciliâ, quae transitum facit ad sequentem. — 5 *Var. chersonensis* a superioribus omnibus magnitudine foliorum, interdum 1—$1\frac{1}{3}$ poll., $\frac{1}{2}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., insignis. Rami dense puberuli. Folia longiuscule petiolata, ovata v. subrotunda, plerumque ovato-lanceolata v. elliptica, obtusa v. obtuse producta, basi acutiuscula, imprimis margine pubescentia. Cymulae bifidae, foliolis involucralibus flore longioribus, paulo acutiores quam in Varietatibus praecedentibus. Vidi in Herb. ruth. Láng et Szovits Cent. I. N°. 64 specimina collecta in fissuris rupium prope Odessam, alia a R. F. Hohenacker prope Schuscha in Georgiâ caucasicâ, caule tantummodo subramoso erecto et foliolis involucralibus linearibus obtusis. — 6 *Var. ocimifolia* s. *P. ocimifolia* Poir. in Lam. *Enc. bot.* V. 15. 3 ad Varietatem superiorem satis accedit magnitudine foliorum, quae item texturâ tenuissime membranaceâ, ovata, plerumque obtusa, basi subcordata v. rotundata v. paululum in petiolum attenuata, glabriuscula, in marginibus subciliata. Rami parce tantum puberuli. In Herb. van Royen nomine *P. judaica* (haud Linn.), quod specimen, ut verisimile, a Boccone lectum inscribitur: „Parietaria ocymi folio Tragi: Boccon. Herb. Sicul. 74."—7. Alia praeterea Varietas in Herb. Schimper *iter Abyssinicum Sect.* 3. N°. 1667 *Parietaria alsinefolia* Delil. inscripta accedit ad proxime descriptam. Tota stirps vix spithamea. Caulis simplex v. subramosus, gracilis, assurgens, striatus, inferne nudus, pubescens. Folia longe petiolata, rhombeo-ovata, $\frac{1}{3}$—1 poll. longa, $\frac{1}{4}$—$\frac{2}{3}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—1 poll., obtusiuscula, tenuia, obsolete punctulata, utrinque praesertim ad margines et in petiolis plus minusve pubescentia. Foliola involucralia paulum inaequilonga et praesertim perigonium florum hermaphroditicorum extus pilis sparsis satis longis pellucidis obsita. Jam quaeri potest, an et haec Varietas, quam *Schimperi* dico, et *chersonensis* atque *ocimifolia*, utpote habitu foliisque majoribus longiusque petiolatis diversae, ab α tamquam Species peculiares sint segregandae?

602. Parietaria pensylvanica Mühlenb.: caule erecto simplici v. ramoso subpubescente; foliis tripli- v. penninerviis lanceolatis (1—2$\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{3}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{3}{4}$ poll.) utrinque acuminatis v. apice obtusiusculis imprimis margine pubescentibus; cymis subdichotomis pauciflorisve, flore medio hermaphroditico; involucro femineo diphyllo, foliolis lineari-lanceolatis pubescentibus florem superantibus. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 955. 10. Pers. *Syn. Pl.* II. 555. 10. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 301. 16. Spr. *Syst. Veg.* III. 915 (excl. Syn. *P. lanceolatae* Thunb.) — Ut Species europaeae nostrae, haec quoque et magnitudine totius stirpis, et ramificatione caulis, et foliorum tam magnitudine et formâ quam pubescentiâ admodum variat. Dispositione florum, quam minus accurate prodidit Willdenow V. Cl. l. c., cum *P. lusitanicâ* Linn. congruit, quamquam foliola involucralia in *P. pensylvanicâ* sunt majora. — Vidi specimina e civitate Ohio, e sylvis circa Mississippi, e Texas, Mexico, cet.

β *Var. floridana:* foliis minoribus oblongis v. ellipticis lanceolatisve obtusis v. breviter obtuse productis densius pubescentibus; caule ramoso procumbente. — *Parietaria floridana* Nutt. fide speciminis Herb. A. Gray.

†† *Involucro proprio tri- rarissime tetraphyllo.*

603. Parietaria debilis Forst.: caule e basi laxe ramoso ascendente pilosiusculo; foliis tri- v. quintuplinerviis ovatis ($\frac{2}{3}$—2$\frac{1}{2}$ poll., $\frac{1}{2}$—1$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—1$\frac{1}{2}$ poll.) obtusis v. longe obtuse acuminatis basi rotundatis v. subcordatis pilosiusculis; cymis trifloris, flore medio femineo, hermaphroditicis singulis involucro triphyllo cinctis. Forst. *Prodr.* N°. 387. Willd. *Sp. Pl.* IV. 2. 954. 5. Pers. *Syn. Pl.* II. 555. 5. Poir. in Lam. *Enc. bot. Suppl.* IV. 301. Spr. *Syst. Veg.* III. 914. 4. A. Rich. *Fl. Nov. Zel.* 354. — *Urtica debilis* Endl. *Prodr. Fl. Norfolk.* 37. 81. Cunningh. *Ann. of nat. hist.* I. 214. — Staturâ totius stirpis et magnitudine foliorum admodum variabilis. Cymulae brevissime pedunculatae, hirsutulae, triflorae. Flos medius major, sessilis, femineus, foliolo involucrali solitario lineari-lanceolato obtuso pubescente suffultus; laterales brevissime pedicellati hermaphroditici, singuli involucro triphyllo cincti; foliolis flori femineo conformibus sed minoribus, perigonio longitudine aequalibus v. sublongioribus. — Vidi specimen authenticum in Mus. Caes. Vindob. a Forster in Novâ Zelandiâ, alia a Ferd. Bauer in insulâ Norfolk lecta.

604. Parietaria micrantha Ledeb.: caule simplici v. subramoso ascendente puberulo; foliis trinerviis ovatis v. rhombeo-ovatis ($\frac{1}{3}$—$\frac{2}{3}$ poll., $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll. lat., pet. 2—8 lin.) obtusis basi rotundatis v. acutiusculis utrinque sparse pubescentibus; cymis tri- v. furcato-septemfloris, flore medio hermaphroditico; involucro femineo triphyllo, foliolis linearibus. Ledeb. *Fl. Altaic.* IV. 356 et *Icon.* tab. 22. — Herb. Karelin et Kiriloff N°. 1959. — A V. Cl. Weddell in *Ann. Sc. nat.* 4^e Sér. I. 209. 7 cum *P. debili* Forst. conjuncta, sed eâ longe minus robusta, habitu *P. lusitanicae* Linn. satis similis. Attamen inflorescentiâ omnino satis cum *P. debili* convenit, eo discrimine, ut flos medius non, sicut in hac, femineus sit, sed hermaphroditicus, laterales vero, qui tribus foliolis involucralibus linearibus cinguntur, feminei. Cymae quoque in hac crebro dichotomae, in *P. debili* reverâ triflorae. — In montibus Altai; in muscosis inter saxa montium Alatan ad flumen Lepsa.

605. Parietaria carnosula Bl.: caule erecto simplici v. ramoso pubescente; foliis trinerviis longe petiolatis ovatis ($\frac{1}{3}$—1 poll., $\frac{1}{4}$—$\frac{3}{4}$ poll. lat., pet. $\frac{1}{4}$—1 poll.) obtusis basi rotundatis v. subcordatis supra et in nervis subtus pubescentibus; pedunculis uni- v. cymoso-trifloris, flore medio hermaphroditico; involucro femineo triphyllo, foliolis linearibus florem vix aequantibus. — *Freirea alsinefolia* (haud Gaudich.) in *Herb. Un. itin.* Schimp. *it. Abyss.* N°. 753. — Maxime ad *P. micrantham* Ledeb. accedens, sed foiiis saepe subcordatis distincta. A *P. alsinefoliâ* (s. Freireâ alsinaefoliâ Gaudich.) Delil., quâcum commutatur, facilis distinctu foliolis involucri minoribus angustis, perigonii feminei segmentis, quae in illâ trinervia, in hac nervo uno leviter distincto, denique caulibus carnosulis. Planta spithamea, erecta, radice fibrosâ. Caulis simplicissimus vel interdum a basi inde in ramos aliquot oppositos divaricatos simplices divisus, angulato-striatus, carnosulus. Cuncta fere folia alterna, inferiorum pauca modo opposita, magnitudine satis dissimilia, membranacea, pellucida, nervoso-venosa, utrinque puncticulata. Flores axillares, polygami, solitarii v. per cymulas paucifloras brevissime pedunculatas, quorum flos medius major hermaphroditicus et foliolo involucrali solitario stipatus, laterales feminei brevissime pedicellati, singuli involucro foliolorum trium nonnihil aequilongorum obtusorum hirsutulorum perigonium vix adaequantium cincti. Perigonium a basi usque 4-fidum, membranaceum; segmentis ovatis, obtusis, nervo medio vix conspicuo, extus subpubescentibus. Stamina in flore hermaphroditico 4; filamenta filiformia, complanata, glabra, antheris magnis reniformibus didymis. Ovarium ellipsoideum, disco parvo hemisphaerico impositum, laevigatum, glabrum. Stigma terminale, subsessile, capitatum, papilloso-villosum, deciduum. Caryopsis perigonio cincta, compresso-ovoidea, laevis. — In Abyssiniâ ad rupes prope Enschedcap.

606. Parietaria squalida Hook. fil.: caule prostrato e basi ramoso puberulo; foliis trinerviis cordato-ovatis ($2\frac{1}{2}$—4 lin., 2—3 lin. lat., pet. 1—3 lin.) acutiusculis v. obtusis crassiusculis utrinque pilosis; pedunculis uni- v. cymoso-trifloris, flore medio hermaphroditico; involucro femineo triphyllo, foliolis oblongis obtusis hirsutis florem superantibus. Hook. fil. in *Lond. Journ. of Bot.* VI. 285. 1. Walps. *Ann. bot.* I. 649. 2. — Circular head in insulâ van Diemens land.

607. Parietaria alsinefolia Delil.: caule erecto simplici v. saepius e basi ramoso pubescente; foliis trinerviis longe petiolatis ovatis v. subrhombeo-ovatis (3—11 lin., 2—7 lin. lat., pet. 2—10 lin.) obtusis utrinque subpubescentibus; cymis paucifloris, flore medio hermaphroditico; involucro femineo triphyllo, foliolis cordato-ovatis florem superantibus. Delile *Aegypte* tab. 50. Spr. *Syst. Veg.* III. 915. 7. — *Freirea alsinaefolia* Gaudich. in Freyc. *Voy. bot.* 502. — A congeneribus facile distinguitur foliolis involucralibus florum femineorum magnis, quorum unum vulgo minus. Segmenta perigonii masculi longius acuminata, nervis minus distinctis, in floribus femineis margine villosula, trinervia, nervo marginali utroque sursum evanescente. Varietas sequens nonnisi foliolis involucralibus obtuse acuminatis differt, in α obtusis s. obtusissimis. — In Aegypto, Syriâ, Arabiâ felici, cet.

β *Var. elongata:* involucri foliolis obtuse acuminatis. — In monte Sinai.

608. Parietaria australis Bl.: caule erecto e basi ramosissimo glabriusculo v. superne obsolete puberulo; foliis trinerviis longe petiolatis ovatis v. deltoideo-ovatis ($\frac{1}{4}$—$\frac{2}{3}$ poll., 2—6 lin. lat., pet. $\frac{1}{4}$—$\frac{1}{2}$ poll.) obtusis basi rotundatis v. subcordatis rarissime acutiusculis utrinque parce puberulis aetate glabrescentibus; cymis paucifloris, flore medio hermaphroditico; involucro femineo triphyllo, foliolis ovatis obtusis saepe inaequalibus florem superantibus. — *Freirea australis* Nees ab Esenb. in Preiss *Enum. Pl. Austr.* I. 638. 1. — Ramuli ad angulos anguste marginati. Cymulae aggregatae, pauciflorae, sessiles v. brevissime pedunculatae, in quibus flos medius hermaphroditicus s. masculus esse solet, perigonio profundius partito insignis, auctore Nees ab Esenbeck V. Ill. nudus, ex meis investigationibus semper bracteâ involucrali solitariâ lanceolatâ comitatus. In Varietate foliola involucralia florum femineorum obtusiora, pilis ex parte glanduliferis. — In Novâ Hollandiâ australi.

β *Var. glandulifera:* involucri foliolis glanduloso-pilosiusculis. — Herb. Drummond N°. 734.

Lugduni-Batavorum, Kal. Junii 1856.



Nepenthes melamphora Bl.

HOMALIACEAE.

II.



Blackwellia tomentosa Vent.



Blackwellia gracilis Bl.

III.



Cordylanthus frutescens Bl.

DIPTEROCARPEAE.

IV.



Vateria indica Linn.

HYPERICINEAE.



Cratoxylon celebicum Bl.

DIPTEROCARPEAE.



Anisoptera polyandra Bl.

[illegible] del. et l. Mus. Bot. [illegible]

DIPTEROCARPEAE.



Vatica pauciflora Bl. Vatica Roxburghiana Bl.



Shorea obtusa Wall Shorea robusta Roxb.

MONIMIACEAE.



Kibara Blumei Steud.



Matthaea sancta Bl.

HOMALIACEAE.



Nisa retusa Bl.

URTICACEAE.



Lecanocnide diversifolia Bl.

XII.



Lecanocnide scaberrima Bl.

XIII.



Böhmeria ramiflora Jacq.

XIV.



Nothocnide repanda Bl.

URTICACEAE



Villebrunea sylvatica Bl.



Morocarpus edulis Sieb. & Zucc. XVI. a.

URTICACEAE.



Nanocnide japonica Bl.



Pilea petiolaris Bl.



Pilea melastomoides Bl.

A.J.Wendel del. & S.   Mus Bot.   J.E.M[illegible] Imp.



Elatostema umbellatum Bl.



Achudemia javanica Bl.

A. J. Wendel del. & S.
Mus. Bot. II.
J. H. Kurburg Imp.

URTICACEAE.

XXI.



Fleurya lurida Bl.



Fleurya aestuans Gaudich.

XXII.



Urera amplissima Bl.

A.J.Wendel. del. et Sc.
Mus. Bu. H.



Laportea stimulans Bl.



Touchardia candidissima Bl.

A. J. Wendel del. et sc. Mus. Bot. L. [illegible]



Gironniera rhamnifolia Bl.



Gironniera subaequalis Planch.

ARTOCARPEAE.

XXVI



Taxotrophis javanica Bl

XXVII



Cephalotrophis javanica Bl.

XXVIII.



Bleekrodea insignis Bl.

XXIX.



Antiaris innoxia Bl

A J Wendel del et sc
Mus. Bot. II
J H Meerburg imp



Streblus asper Lour.



Maclura (Leptosura) javanica Bl.

A.J.Wendel. del et sc.   Mus Bot $\frac{II}{12}$.   J.H.Moerburg, impr



Trema velutina Bl.



Solenostigma consimile Bl.

A.J.Wendel del et sc. Mus Bot. $\frac{II}{17}$. J.H.Meerburg impr.



Homoioceltis aspera Bl.



Parasponia parviflora Miq.



Momisia Lamarckii Bl.

A. J. Wendel et sc.

Mus Bot $\frac{\text{II}}{18}$.

ARTOCARPEAE.



Maclura Sieberi Bl.



Fatoua japonica Bl.

URTICACEAE.



Conocephalus suaveolens Bl.

A J Wendel del et sc

Mus Bot $\frac{II}{19}$

J H Meerburg imp

XL.



Broussonetia Kaempferi Sieb.

A.J.Wendel del et sc

Mus Bot $\frac{II}{20}$.

J.H.Meerburg impr



Lagerströmia (Adambea) Reginae Roxb.

A. J. W[illegible] del. et sc. Mus. Bot. II/27 [illegible] impr.

XLI.
B.



Lagerströmia (Rytidotrochis) floribunda Jack.

Mus Bot $\frac{II}{22}$

LYTHRARIACEAE.



Crypteronia paniculata Bl.



Pemphis acidula Forst.

A. J. Wendel ad. nat. et lith. Mus Bot II/23. J. H. Meerburg impr.



Cryptotheca dichotoma Bl.



Grislea tomentosa Roxb.

A J Wendel, ad nat et lith. Mus Bot $\frac{II}{21}$ J u Meerburg [illegible]

LYTHRARIACEAE.



Ammannia (Hapalocarp.) indica DeCand.

Ammannia (Sellowia) pentandra Roxb.

Ammeletia indica DeCand.

Mus Bot $\frac{II}{25}$



Gunnera macrophylla Bl.



Böhmeria (Margaroc.) sanguinea Hasſkl.

[illegible] del. [illegible] Mus Bot II/27 [illegible] imp.

COMBRETACEAE.



Embryogonia lucida Bl.

Combretum punctatum Bl.

A. J. Wendel. del. et sc.

Mus. Bot. $\frac{II}{28}$



Phenax pentandrus Bl.



Phenax urticaefolius Wedd.

[illegible] del & s

Mus Bot $\frac{11}{29}$

URTICACEAE.

LV.



Stachyocnide luzonica Bl.

A J Wendel, del. e

Mus Bot $\frac{II}{30}$

[illegible] impr



A. Böhmeria (Sarcocnide) formicaria Pöpp.

B. B. (Tilocnide) tenacissima Gaudich._C. B. (Duretia) caudata Sw.

A. Weddel del. [illegible] Mus. Bot. $\frac{II}{31}$ J. H. [illegible] impr

URTICACEAE.

LVII.



Leptocnide rubricaulis Bl.

LVIII.



A. Pouzolzia indica Gaudich. _ B. P. Waitziana Bl.

A. [illegible] del. & [illegible]

Mus. Bot. $\frac{II}{32}$

J. H. [illegible]